SUB CRUCE DOMINI

Opera contenta in Vol.

1. In Const. "Apostolicae sedis"
D'Annibale
Maceri, OP, Aegidius
De Siena, Paschalis

2. In Const. "Divino afflatu"
Piacenza, Petrus

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICAE SEDIS

QUA CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR

COMMENTARII

AUCTORE

JOSEPHO CARD. D'ANNIBALE

EDITIO QUARTA

CURANTE

FRIDERICO CAN. POLIDORI

AB EODEM AUCTORE ULTIMIS STUDIIS NOTABILITER EMENDATA ET AUCTA



PRATI

EX OFFICINA LIBRARIA GIACHETTI, FILII ET SOC.

1894

5640

PROPRIETAS LITERARIA

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter « veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, « ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse tem- « perandum prudenti dispensatione suadeat, EADEM APOSTO- « LICA SEDES congruum supremae suae potestatis remedium « ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro « jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per « modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad « incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, « effraenemque improborum licentiam coercendam et emen- « dandam sancte per singulas aetates indictae ac promul- « gatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse ; « quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine « atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina « utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem « non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura « commissa est, sive in ipsis fidelibus *dubietates, anxietates,* « *angoresque conscientiae;* Nos ejusmodi incommodis occur- « rere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, No- « bisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita considera- « tione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere « oporteret, quas vero moderari, abrogare congrueret. Ea

« igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus
« Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus
« Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam
« deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature
« perpensa, *motu proprio,* certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus,
« ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis,
« sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae
« sententiae ipsoque facto incurrendae hactenus impositae
« sunt, *nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inse-*
« *rimus, eoque modo, quo inserimus* robur exinde habeant;
« simul declarantes, easdem non modo *ex veterum canonum*
« *auctoritate,* quatenus cum hac Nostra Constitutione con-
« veniunt, verum etiam *ex hac ipsa Constitutione Nostra,*
« *non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam*
« *prorsus accipere debere.* »

CAPUT I.

PRAENOTANDA

4. Facturus, jussu Ejus (*) cui non parere nefas est, interpretationem Const. *Apostolicae Sedis,* qua, sapientissimo consilio ac prope divino, ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur, prius de ipsis Censuris, et de ratione hujus Constit. interpretandae nonnulla paucis animadvertere existimavi; nec illotis, ut Caji verbis utar, manibus protinus materiam interpretationis tractare. Sane haec libentius ad lectionem propositae materiae perducunt, et cum ibi venerimus, evidentiorem praestant intellectum (**).

ART. I. — *Generalia de Censuris.*

5. Censura est — *Poena medicinalis, qua Christiano delinquenti, et contumaci quorumdam bonorum spiritualium adimitur usus* (1) — Est autem vel *sententiae ferendae,* vel *latae sententiae.* Ferendae sententiae ea dicitur, quae irrogatur officio judicis; latae quae, delicto admisso, sine judice, illico reum tenet. Censura igitur est poena medicinalis; proinde ad eam incurrendam qua *poena*, delictum; qua *medicina* est, contumacia requiritur.

6. Et primo delictum. Delictum proprie est — *Externa legis poenalis violatio dolo malo facta.* Legem poenalem accipere debemus eam, quae certam poenam irrogat transgressoribus; adeoque non naturalem, neque divinam, sed humanam tantum (2). Itaque non transgressio legis naturalis, aut divinae, seu peccatum; sed legis humanae

* Hujusmodi Commentarii editi primum fuerunt jussu Ill.mi ac R.mi Fr. Aegidii Mauri O. PP. Episcopi Reatini, cujus Pro-Vicarii Generalis munere fungebar.

** L. 1. *De Orig. Jur.*

1 Ex Suar., *De Censur.,* Disp. 1, Sect. 1, n. 5.

2 Ex C. 1, Dist. 82; Suar., IV, 8, 20; S. Alph., VII, 350.

transgressio delictum, crimen facit: ideoque non illius vel istius violatio censuris obnoxia est, sed hujus tantum. Hujus autem violatio sine actu interno et externo ne intelligi quidem potest. Proinde, ut sit delictum, necesse est, quoad *internum*, ut quis delinquat sciens volens (3), non casu, non culpa civili (4); quoad *externum*, quia versamur in odiosis, perfecto et consummato delicto opus est, nisi aliud in lege fuerit expressum (5). Hac re non sufficit ad incurrendam censuram actus internus, si externus desit (6); nec externus si desit internus (7); nec uterque, si non fuerit consummatus (8): adeoque cum lex *actum*, v. c. matrimonium, prohibeat, si hic nullius momenti sit, excommunicatio cessat (9), nisi forte lex coerceat actum hujusmodi quasi merum factum (10). Amplius si delictum ex effectu capit perfectionem, utputa consilium, mandatum, censura non intelligitur antequam effectus sequutus fuerit (11). Sed neque effectum

3 Ex L. 3, § 1, D. De Injur., C. 2, De Constit.

4 Ex C. 23, *De Reg. Jur.* in 6°. De casu expedita res est; culpa civilis in casum recidit (Lugo, *De Justit.* VIII, 107).

5 L. 1, § *Haec autem*, D. *Quod quisq. Jur.*, C. 4, § 1. *De Cler. non resid. Communissima. Nisi* etc.; ut in C. 1. *De Homic.* in 6°, L. 16, D. *De Poenis.*

6 L. 225, *De Verb. signif.*; S. Alph., Lib. VII, n. 34. Veluti si haereticus haeresim animo et cogitatione abdat (Lugo, *De Fide*, 93, 11, etc.).

7 Ex C. 54, De S. E. *(Sententia Excommunicationis).* Utputa si quis negat aliquem fidei articulum oretenus (Salmat., Tract. X, *De Censur.*, Cap. I, n. 44).

8 Suar., 22, 1, 23; Salmat., 10, 1, 44. Puta si manus in Clericum levaveris, nec percusseris; aut percusseris, si ille ictum declinavit (S. Alph., VII, 273).

9 L. 5, C. *Si mancip. ita fuer. alienat.*; Suar., *De Legib.* V, 34, nn. 10, 13; S. Alph., III, 90. Ut ecce si Diaconus religiosus praesumat ministrare laicis sacramentum E. U. (§ 144) sine licentia Parochi; nam quod ministrat nihil est (Suar., *De Censur.* 22, 45).

10 L. 13, § 3, *De iis qui notant. infam.*; quod tenendum est quoties coercet actum alias irritum, velut matrimonium subdiaconi vel Religiosi (§ 155), vel quem ipsa coercendo irritum facit, *ut puta* absolutio complicis. Nempe heic *non juris effectus, sed animi destinatio cogitatur* (L. 18, C. Ad L. Jul. De Adulter.), idest *effectus intentionis cum opere subsecuto* (C. ult. *De Bigam.*). Verum *heic* necesse est ut *facto* hujusmodi essentiale (juxta naturam cujusque actus) nihil desit, alias nec *factum* dici posset (L. 6. *Ad L. Corn. De Fals.*). Heinc., v. c., constitutus in ordine sacro, aut solemni voto castitatis obstrictus (§ 155) contrahentes matrimonium verbo tenus, sine consensu, non incurrunt excommunicationem (Sanch., M. VII, 48, 8): is qui e. g, rebaptizat (valide baptizatum) in vino, vel corrupta forma, vel sine intentione rebaptizandi non contrahit irregularitatem: scilicet actus simulatus nihil est (Suar., XI, 3, 14; Bonac.. Disp. I, Quae. 22, P. 3, n. 3; Salmat., X, VIII, 61; S. Alph., VII, 356).

11 C. H. § 1. *De Cler. non resid. Quid enim obest conatus cum delictum nullum habuerit effectum* (L. 1, § 1. *Quod quisq. jur.*)? Ut ecce si indigno suffragium tuleris, et ille non fuerit electus (C. 7, *De Elect.* in 6°): si quem letaliter vulneraveris, et is

sequutum fuisse nocet, si actio non fuerit mala in ipso opere externo, et graviter mala (12); graviter inquam, materialiter et per se, non formaliter et per accidens tantum (13).

7. Deinde censura non incurritur sine contumacia (14). Contumacia hoc loco est: *Contemptus censurae* (15). Ideo censura nec potest irrogari propter delictum, quod sub nulla censura vetitum erat; nisi forte habeat *tractum*, uti ajunt, *successivum* (16). Et si quis post delictum admissum, ante effectum sequutum, recedat a contumacia; idest si ipsum delicti poenituit, et studuit effectum impedire, verius effugit censuram (17), nam quorsum medicina, sanato morbo?

8. A censuris, *qua sunt poenae*, excusat quidquid a delicto excusat; qua sunt *censurae*, quidquid excusat a contumacia. Age nunc, a DELICTO idest a transgressione legis humanae excusat metus, nempe gravis (seu absolute, seu relative) et injustus: quamvis non excuset a peccato letali, forte quia delictum quod perpetratur jure quoque naturali vetitum est: veluti si quis Clericum occidat jussus, alias ipse occidendus (18); ratio est, quia censura cohaeret legi, a qua sancita ea fuit, idest (§ 6) humanae (19); cujus nulla regulariter

deinde incendio, naufragio, vel quo alio ictu, maturius perierit (LL. 11, 15, 30. *Ad L. Aquil.*); vel ex miraculo convaluerit (Suar., 4, 3, 4). *Ex effectu* etc. Nam si absque eo perfectus ex se, consummatusque intelligitur, de effectu non queritur: veluti si quis pejeraverit, ut reus absolveretur, isque nihilominus fuerit condemnatus: si legem contra Ecclesiae libertatem ediderit (§ 64), licet subditi eam non receperint. Eoque minus effectus inspicitur, si locum habere non possit; utputa in appellatione a Romano Pontifice ad futurum Concilium (§ 46).

12 Suar., *De Fide*, 21, 2, 12. Veluti si quis haeresim suam proferat quasi librum legens, vel audita referens, vel in somno (Croix, Lib. VI, Par. II, n. 1650). *Et graviter mala* (Lugo, *De Poenit.* Disp. XX, n. 5; Croix, VII, 51; S. Alph., 273): puta si quis Clericum, quem confossurus telo petiit, forte scarificat (S. Alph., VII, 34).

13 Ex *L. Qui injuria* 55, pr. *De Furt.;* Croix, VII, 51. Quamobrem si excommunicatio lata esset in fures, eam non incurreret qui surriperet acum sarcitori, grave exinde damnum passo (Mazzot., *De Cens.*, Disp. I, Q. 1, Cap. 1, § 3).

14 C. 11. *De Constit.;* CC. 3, 9, 13. De S. E. in 6°.

15 Laym., *De Cens.* V, 4; S. Alph., VII, 43.

16 Pirhin., *Ad Decretales*, V, 29, 32; Schmalz., V, 39, 67; S. Alph., VII, 54, tametsi gravissimum sit (Suar., 2, 12, 3), ut blasphemia. *Nisi* etc. (Ex C. 23, *De Verb. Sign.;* C. 5, *De S. E.*): ut furtum, detractio, damnum injuria datum etc.

17 Ex CC. 23, 31, *De Sponsal.;* Salm., XI, I, 153; S. Alph., VII, 40. - Veluti si quis abortivum dederit puellae praegnanti, et incontinenti id doluit, vel antidotum praebuit.

18 Ex CC. 15, 28, *De Sponsal.;* Suar., *De Cens.* 4, 13, 4; S. Alph. VII, 46, 350. Et immerito, ex recentioribus, id negat Panzuti, et subdubitat Grassi. Nisi forte extorqueri velit in contemptum Religionis, vel Ecclesiae (Ex C. 5. *De his quae vi*). Dixi seu *relative* V. Summula, I, § 138, 14.

19 Ex C. 2, Dist. 82; Salm., 10, 1, 204.

est obligatio cum incommodo gravi. Sed an excusentur hi, qui parere necesse habent? Et in his quae leviora sunt excusari puto (20) quodam quasi metu reverentiali, utputa si Religiosus laico viaticum ministraverit (§ 144): in gravioribus non item (21), veluti si jussus fuerit ejicere Episcopum e suo territorio (§ 49). A CONTUMACIA excusat ignorantia; *non* enim *contemnit qui ignorat* (22); et nedum facti, haec enim vel a peccato excusat (§ 6, n. 3); sed et juris, canonici inquam, vel solius censurae (23). Scilicet voluntaria (nam involuntaria a delicto excusat); et ea quae dicitur *vincibilis* simpliciter, excusat semper, adeoque etsi gravi non vacet (24), *crassa* et *supina*, excusat si censura lata sit in eos, qui *temere aliquid faciunt*, vel in eos, qui *facere praesumunt* (25), demum *affectata*, si censura in eos lata sit, qui aliquid faciunt *consulto-scienter;* quae plurium sententia est (26).

20 Ad ea quae non habent atrocitatem, facinorosis ignoscitur servis, si dominis obtemperaverint (L. 202, *De Reg. Jur.*).

21 L. 19, *De Action. et oblig.* Ut puta si *occidere*, aut *furtum facere* alicui jussus fuerit (Ibi).

22 L. *Si ignorans 54 Locati.*

23 V. Salm., 10, 2, 48. *Facti*, ut puta si quis percusserit Clericum, quem laicum putabat (C. *4, De Sent. excom.*). *Juris*, v. c., si ingressus fuerit septa monialium, nesciens id vetitum esse (Ex C. 9. *De Cler. excomm. min.*). *Canonici*, adeoque etsi non ignoraverit, rem vetitam esse naturali jure, aut divino; utputa si nupserit consobrinae, nesciens hujusmodi matrimonia ab Ecclesia prohiberi (Suar., IV, 8, 20; S. Alph., VII, 350). Verum ignorantia juris vix admittitur in foro externo. *Censurae* (S. Alph., I, 169, VI, 1072); cujus est et alia ratio; quia censura est poena extraordinaria (S. Alphons., VI, 1074; VII, 351).

24 Sanch., *Matrim.*, IX, 32, 31; Pala., Avil., Dian., Henriquez., etc. ap. Salm., X, I, 196. Nam si vacet gravi, censura cessat ex alio capite (V. § 6). Et ideo haec sententia vel ipsi Suaresio (*De Virt. Fid.*, 24, 1, 13), qui contrariam tuetur, probabilis visa est.

25 Navarr., *Manual.*, XXVII, 74; Suar., 22, 4, 21; Laym., *De Censur.*, V, 8; S. Alph., VII, 47. *Praesumere* enim dolum importat (Sanchez, *De Matr.* II, 40, 4). Porro haec verba exsulant in primis 12 excomm. R. P. r.; in coeteris rariora quam antea.

26 Sanch., *De Praecept. Decal.*, Lib. 2, Cap. 10, n. 38; Bonac., *De Censur.* Dis. I, Quae. 2, Prop. I, n. 4; Salm., X, I, 199: ibique Diana, Roncag., aliique ap. S. Alph., VII, 58. Porro affectata ignorantia ejus dicitur, qui eo consilio scire negligit, ne ab agendo prohibeatur. Contraria sententia est communior, sed nostra *reapse improbabilis dici nequit*, ait S. Alph., H. A. Tr. XIX, n. 8. Et quidni sit oppido probabilis, et fortassis verior? Nam ignorantia ex quacumque causa profluat (quae naturam ignorantiae non mutat), differt a scientia, et *reipsa*, quod planum est; et *moraliter*, ut ita dixerim; nam qui transgreditur legem sciens prudens, legem aperte contemnit; qui causat ignorantiam, eam adhuc aliquatenus vereri videtur (Salm. cit. n. 199). Et S. U. I., 1 Febr. 1871 ex Oraculo Sanctissimi respondit: censuras latas in eos qui *ausu temerario* aliquid fecerint, vel facere *praesumpserint*, ab eo solum incurri, qui haec facit *prudens ac sciens*. Ad haec excusat et inadvertentia, et oblivio, quae velut brevis ignorantia est; ut ecce si quis, dum Clericum percutit, non me-

9. At vero et delictum, et contumacia consistunt ex transgressione ejus legis, quae sub censura aliquid vetat; ideo necesse praeterea est, ut quis hujusmodi legem reipsa violaverit, et non tantum opinione sua: quamobrem si falso putet se legem violare, v. c. Clericum caedere, dum caedit laicum, licet *quoad animi cogitationem nocens sit*, nihilominus excommunicationem non subit (27); non enim contra jus canonicum, sed contra conscientiam peccat. Demum, quia in odiosis versamur, in dubiis semper id quod reo est favorabilius tenendum est (28); seu dubium sit facti, quia iniquum foret propter delictum incertum certa poena coerceri (29); seu juris tantum, quia lex dubia non obligat (30). Verum quoad dubium *juris* non brevis doctrina est, et recidit in legis interpretationem (doctrinalem); de qua non obiter prorsus agendum existimavi, propter varias hujus nostrae Constit. Commentatorum sententias; hoc enim toto versamur cardine rerum.

10. Haec igitur definitur — *In re obscura voluntatis legislatoris diligens investigatio* — Triplex est; declarativa *(comprehensiva)*, extensiva, et restrictiva. *Illa* utimur cum VERBA legis obscura sunt, vel ambigua: *ista et hac* cum MENS legislatoris non satis apparet: nempe extensiva si verba legis *minus*, restrictiva si *plus* quam legislator voluit continere videantur. Principio igitur hoc certissimo jure utimur, in odiosis strictius interpretandum esse (31). Proinde cum maxime odiosae sint poenae, *in poenis benignior est interpretatio facienda* (32): *et legum interpretatione molliendae potius sunt quam exasperandae* (33). Quoties igitur utendum erit interpretatione declarativa, *verba legis in toto rigore ac proprietate teneantur, et strictissime limitentur quantum proprietas verborum permiserit* (34). De extensiva haec regula esto. *Nulla poena sine lege* (35): ideo ea uti, et legem extendere de

minit excommunicationis (Suar., VI, 2, 12; Salm., X, II, 189, 191; Croix, VI, II, 1614; S. Alph., I, 169; VII, 360, V. Ideo *communissima;* Thesaur., *De Poenis*, I, 15; Schmalz., IV, VII, 60).

27 Ex L. *falsus* 44, § *Si quis sponte, De Furt.;* L. 22, § *Etsi ei - Ad L. Corn., De Fals.;* Suar., 22, 1, 53.

28 LL. 168, 198, *De Reg. Jur.;* C. 49, *Eod. tit.* in 6°.

29 CC. 1, 14. *Qui filii sint legit. - Satius est impunitum relinqui facinus nocenti, quam innocentem condemnare* (L. 5, *De Poenis*).

30 Ex L. 11, *De Transact.*

31 C. 15, *De R. J.* in 6°.

32 C. 49, Eod., L. *Factum* 1198, *De R. J.*

33 L. 42, *De Poenis.*

34 Suar., IV, 3, 4. - V. c. interdicta *Parochia*, Parochiam accipimus ecclesiam parochialem, non oppidum, pagum - Hac re, suspensionibus latis in male *ordinatos* (§ 204) non subjacent Episcopi, quippe qui non ordinari sed *consecrari* dicuntur (Suar., 31, 1, 29; V. Schmalz., V, 39, 70 etc.).

35 L. 19, *De Verb. Oblig.* Idest - *Nulla poena incurritur nisi in jure sit expressa* - (Salm., XI, 4, 39; S. Alph., VI, 150 - VII, 343, 345): alias - *Poenae non excedunt proprium casum* (Suar., *De Legib.*, VI, 3, 5).

persona ad personam, de casu ad casum, nefas est (36); quamvis, par ratio, et fortassis gravior, id exigere videatur, et haec in ipsa lege sit expressa (37). Duo tantum casus excipiuntur: 1° si perpetua et universali Doctorum traditione aliud receptúm fuerit, ut in excom. *Canonis; quia non sunt mutanda quae interpretationem semper certam habuerunt* (38); 2° si alias absurdum manifestum, evidens, sequeretur (39). Contra restrictiva utendum est, non quidem pro lubitu, sed quum ratio juris id patitur (40); nam si alias, heic maxime, *capienda est occasio quae praebet benignius responsum* (41).

11. Restat ut videamus quinam sint obnoxii censuris. Et profecto obnoxii eis sunt omnes Christifideles; exceptis his, qui delinquendi sunt incapaces; idest homines non suae mentis, et personae morales quas vocant (42). Et praeterea, juris beneficio, impuberes, nisi

36 Thesaur.; *De Poenis*, Par. I, Cap. I. *Et haec est juridica ratio exponendi omnes canones poenales; et destructo hoc generali fundamento, tollitur certitudo in his legibus explicandis* (Suar., l. c., n. 7). Quod velim ne excidat. Hinc non licet ratiocinari, v. c., Clericus qui exercet ordinem quem non habet, *propter temeritatem* fit irregularis (C. 1, *De Cler. non ordin. min.*); ergo et laicus (Reiff., V, 28, 10) - Sacerdos qui dubitat an admiserit homicidium, debet se abstinere altaris ministerio *quia in dubio tutior pars est eligenda* (CC. 12, 18, *De Homic.*); ergo et is qui dubitat an rebaptizaverit (Sanch., Dec. I, 10, 48).

37 Ex C. 26, *De S. E.;* S. Alph., III, 473; VII, 345. Saepe enim leges in delicta animadvertunt, non quod atrociora illa sunt, sed quod aut frequentiora, aut periculosiora (Ex L. 16, § *Evenit. De Poenis;* D. Tho., 1, 2, 105, 2, ad 9). V. c. Clerici, qui commiscendo *sexum* mutant, excidunt omni privilegio clericali (S. Pius V, C. *Horrendum*), num igitur, immo magis, si *speciem* mutent? Minime (S. Alph., III, 474).

38 L. 22, *De Legibus.*

39 Ex L. 1, § 4, *Ad Senat. Cons. Turpil.;* Suar., *De Legib.*, IV, 3, 4; Laym., *De Legib.*, 18, 9; Salm., XI, IV, 39. Ut ecce in Ministro rebaptizante (V. *Summul.* Prol. § 410, 15). Verum extensio poenarum ipso jure locum habet in *contentis* (Ex L. 22. *Ad L. Jul. De Adulter.*): hinc v. c. poenae in haereticos latae tenent Apostatas. Verum quae hic extensio? Nam in toto pars continetur.

40 Ex C. 22, *De Elect.* in 6°. Jure Civili puniebatur patronus qui jurejurando adigebat libertum, ne uxorem duceret; et nihilominus, si castratum adegisset, abibat impune (L. 6, § 2, *De jure patr.*). Et penes nos, licet ex Const. S. Pii V male ordinati sint a *suorum ordinum* executione suspensi, hoc ad ordines tantum male susceptos, justa interpretatione, coarctatum est (Suar., 31, 1, 31). Et excommunicatio lata adversus eos qui spectant duellum (§ 112), ad eos qui prospiciunt e conclavi non pertinet.

41 L. 129, *De Reg. Jur.*

42 Quae igitur in personas morales feruntur (§§ 187, 223, Appendix), censuras accipimus lata significatione. Ceterum nihil prohibet, quominus veris censuris, v. c., excommunicatione, coerceri possint singuli, ex quibus persona moralis coalescit, ut puta singuli Decuriones, Deputati, Senatores suffragium ferentes (C. 7, *De Elect.* in 6°). Consiliarii condentes leges contra Ecclesiasticam libertatem (C. 49, *De S. E.;* Suar., 21, 2, 88; Bonac., Disp. I, Quae. 16, Sect. 2, 3, 3, n. 9, ibiq. Alter., Duard., Reginal.) etc.

aliud in jure sit expressum (43). Sed nec Episcopi *et alii superiores Praelati* eas incurrunt, excepta excomm., si censurae latae sunt in omnes generaliter, nisi eos nominatim comprehendant (44); immo, probabilius, ne excommunicatione quidam excepta, si latae fuerint in *Clericos*, quia Clericorum appellatione non veniunt in jure apices dignitatum (45). Amplius, quia heic strictius interpretandum est (§ 10), latae in clericos non tenent Regulares (46); latae in Regulares, seu moniales, non tenent Religiosarum Congregationum viros, seu mulieres, qui simplicia nuncupant vota. Latae adversus facientes regulariter non tenent mandantes, praeterquam si, non nudum factum, sed negocium aliquod mandantis nomine gerendum sit (§§ 136, 179); heic enim valet regula - *quod quis per alium facit per seipsum facere videtur* -. Nec latae adversus mandantes, facientes tenent (47); nec adversus utrosque latae tenent qui eos receptant, vel eis auxilium, consilium, favorem praestant (48). Quod si et in hos latae sint, proculdubio et eos tenent, sed tria inquirenda sunt; 1° quinam dicendi sint mandantes, consulentes etc.; 2° quo facto opus sit, ut hi censuris fiant obnoxii; et 3° an eas incurrant si praestitum consilium, auxilium, etc. in irritum cesserit.

43 Ex CC. 1, 2, *De Delict. puer.;* CC. 1, 60. *De S. E.;* S. Alph., VII, 14. Puberes autem dicuntur foeminae a 12, mares a 14 an. completo (L. 3, C. *Quando tut. vel curat.*). *Nisi aliud* etc. ut violantes clausuram monialium (Trid. XXV, Ref. 5).

44 C. 4, *De Sent. Excomm.* Licet electi tantum et confirmati, necdum consecrati (Suar., 28, 2, 7; Salmat., 10, 5, 46). *Alii superiores* etc. Nempe S. R. E. Cardinales (IV, 24). Quin multi putant S. R. E. Cardinales excommunicationi quoque eximi, quod alii negant, et rectius; nullo enim jure constat hoc privilegium eis constitutum esse: in dubio autem possidet lex.

45 Ferrar., V. *Clericus,* I, 20. Scilicet Episcopi semper nominibus quam amplissimis appellati sunt, ut a ceteris de clero distinguerentur; ut puta *Summi Sacerdotes - Angeli Ecclesiarum - Principes Populi - Successores Apostolorum - Apostoli* (V. Selvag., *Antiq. Christ.,* Lib. I, Cap. XII; Mamach., *De Origin. et Antiquit. Christ.,* To. IV).

46 Salm., 10, 6, 17; S. Alph., VII, 331. Nempe non Clericos (Suar., 28, 2, 9; Salm., 10, 6, 40). Sententia nostra media est inter sententias eorum, quorum alii omnino affirmant (Navarr., Covarr. etc.), alii omnino negant (Fagnan. Reiffenst., Schmalz. etc.) clericorum appellatione in odiosis Regulares contineri. Haec sententia communior est, eamque tenet S. Alph., VII, 331; quam proinde sequi et tutum et aequum puto: et ideo limitationem ex Suar., et Salmatic. (quae ceteroquin mihi vera est) in notis rejeci. Et hoc semel dixisse sufficiat.

47 Ex C. 6, § *qui vero, De homic.;* C. 1, *De Poen.* in 6°; Clem. 1, *Eod. tit.;* Schmalz., V, 39, 70; Sanch., *Matr.,* III, 49, 2; Lugo, *De Fide,* 21, 75; S. Alph., VII, 371, *Communissima.* Hinc, v. c., suspensio lata in conjungentes sponsos alienae dioecesis (Trid. XXV, Ref. m. 1), non tenet eos, qui dant mandatum conjungendi (Sanch., l. c.; Bonac., Disp. 3, q. 3, P. 5, n. 4): prout, ex diverso, excomm. lata in mandantes assassinium (C. 1, *De homic.* in 6°), ipsos assassinos non tenuit (S. Alph., III, 364).

48 Salm., 10, 1, 145.

12. Quoad primum duplex eorum genus constituendum est; alterum eorum qui in *animum*, alterum eorum qui in actum *externum* AGUNT. Qui in animum, seu actum internum, agunt, sunt mandantes, et consulentes. Mandantem accipimus qui rogat, vel jubet, aliquid fieri vice sua (49). Consilium dare intelligitur *qui persuadet et impellit* alium ad aliquid faciendum (50): *persuadet,* ideo non tenetur qui consilium praestat doctrinale, uti vocant (51): *impellit,* proinde nec is tenetur qui id alii suadet, quod huic jam certum erat admittere (52), v. c. duellum (53). In opus, seu actum externum, agunt defensores, receptatores, seu receptores: quippe auxilium vel favorem praestant. Hi non differunt specie, *sed ut magis, aut minus* (54); unum enim praestant omnes; *opem.* Porro defendere est protegere aliquem ut tuto et libere aliquid facere possit (55). Modus defensionis est aliquem recipere. *Recipere,* seu receptare, est — *Refugium abscondendi causa praestare in suo, vel in alieno loco* — (56): nec interest quis recipiat; privatus aliquisne, an magistratus, an Princeps (57). *Auxilium* praestare est — *opem ferre ad patrandum delictum* — (58). Demum *favere* est quamvis operam alicui praestare; ideo et auxilium et consilium continet: verum quia tria haec auxilium - consilium - favor - in jure canonico separantur, favorem, si quid opinor, accipere debemus cum quis (citra auxilium, et consilium) alicui studet, et quasi suppetias fert, alio quovis modo; ut puta suffragio, commendatione, praesentia; et in primis omittendo, ut res illi succedat, quae ex justitia facere debuisset (59).

49 L. 12, § *Idem Marcellus,* D. *Mandat.;* Salm., X, 1, 158. Dixi rogat *ut sua vice* etc., nam alias magis *consilium* (§ 6, Eod.), vel *exhortatio* (L. *Ob haec,* 20; D. *De his qui notant. inf.*) intelligitur.

50 L. *In furti,* 51, § *Consilium;* D. *De furt.*

51 Ex L. *Consilii,* 48, *De Reg. Jur.;* C. 62, *Eod. tit.* in 6°.

52 Salm., 10, 1, 147; S. Alph., III, 563. Itaque teneor consilii, si *persuaserim,* ut J. C. verbis utar, *alias nolenti* (L. *Non solum,* 8, § *Attilicinus,* D. *De Injur.*).

53 Pignatelli, Tom. IX, *Cons.* 88, n. 100.

54 Suar., *De Fide,* 24, 1, 4.

55 Bonac., Tom. III, Disp. 1, Q. 21, P. 11, n. 27. Porro quoties deinceps hunc auctorem allego, erit ex To. III, nisi aliud expressero.

56 L. 1, § 3, D. *De Serv. Corrupt.* Et eo pertinet, ut is qui delictum admisit poenas effugiat.

57 Sanch., Dec., II, X, 10; Reiff., *Ad Decret.,* V, 3, 249. *Receptatores* vero accipimus etsi *semel* recipiant (Sanchez, l. c.; Suar., l. c.).

58 Bonac., l. c.

59 Ex C. 3, Dist. 83; C. 8, § 9, *De Haeret.,* in 6°; Sanch., Dec., II, 10, 11; Suar., l. c., n. 6. Dicitur 1° *facere debuisset,* quia non est omissio moralis, ait Suar., l. c., n. 6., *nisi de his,* quae facere *tenemur;* 2° *jure officii proprii* (Sanch., l. c.), quia necessaria est obligatio, ut iterum Suaresius ait, *quae aliquo modo sit justitiae.* Hac re quamvis in C. 47, *De Sent. Exc.* generaliter cautum fuerit, excommunicationi obnoxios et eos fore, qui Clerici *percussionem* impedire potuissent, obtinuit, hoc ad eos non pertinere, qui non ex

13. At enim ad censuram incurrendam necesse est, haec praestari 1° ut alter delictum patrare, non ut delicti jam perpetrati poenam (excepta receptione), nisi hoc habeat tractum successivum, evadere possit (60); 2° non utcumque, sed *formaliter* (61). Scilicet necesse est, ut qui, v. c., haereticum recipit, eum recipiat *quia* haereticus est: ideo non intelligitur haereticum receptare, si eum abscondit cum a militibus quaeritur ob aliud crimen, v. c. ob furtum, homicidium, quod nemo dubitat; sed nec cum quasi haereticus quaeritur, si ei effugium praestet quasi amico, vel consanguineo; quod aut probabilius est, aut certe probabile (62). Illud non interest, utrum is cui consilium, auxilium etc. praestatur, sit in bona fide; quia bona ejus fides non tollit legem, adeoque non excusat peccatum alterius; ut ecce si quis faveat haeretico dumtaxat materiali; vel si jubeat Sejo caedere Sempronium Episcopum, vel S. R. E. Cardinalem, et Sejus putet Sempronium esse hominem laicum (63).

14. Verum seu mandet quis, seu consulat, seu opem praestet, dubitari potest, an incurrat censuram, si haec in irritum cesserint, nam censura regulariter non incurritur, nisi effectus sequutus fuerit (§ 6). Et si haec facta *coercentur* propter se, nempe quasi *delicta sui generis*, ut perjurium, raptus, homicidium, proculdubio eam incurrit; sin propter aliud (v. c. propter illud quod impediri vult), seu quasi *accessoria*, non item (64). Regulariter autem tenendum est, puniri propter aliud, ac proinde quasi accessoria, ea quae dumtaxat ante delicti perpetrationem praestari possunt, ut consilium, mandatum etc. (65).

justitia, sed ex caritate obligantur (Glo. ibi Pirinh., V, 39, 36; Schmalz., V, 39, 220; Reiff., V, 39, 114); licet *ex odio* non impedierint (S. Alph., VII, 269), quia animus opus non mutat. Numquam vero faventium appellatione veniunt hi qui consilium dant, illi enim in opus externum, hi in animum agunt (Reginald., IX, 263; Suar., 21, 2, 17).

60 Suar., 21, 2, 72.

61 Suar., 4, 3, 11. Etenim *maleficia distinguunt intentio* et *propositum faciendi* (L.).

62 Sanch., Dec., II, 10, 5; ibiq. Cajet., Sot., Navarr.; Salm., X, IV, 68; S. Alph., VII, 307. Ex L. 5, *De Recept.* V. Thesaur., v. *Haereticus*, Cap. 2, § 1.

63 Moli., To. IV, Disp. 62.

64 Ex L. 36, *Qui servo*, § *Pius*, *De Furt.*; Sanch., n. 9 in fl.; Cajet., v. *Excom.*; Suar., 21, 2, 16; Filliuc., XVI, 3.

65 Ex cit. L. 36; Bonac., Disp. I, Q. 21, P. I, n. 27. Nisi lex aliud exprimat. Sane plures ex Nostris docent consilium, vel mandatum puniri quasi delicta sui generis, quoties puniuntur non propter id quod mandatur, consulitur, sed propter ipsum consilium, mandatum (Croix, VII, 59, 60; Salm., 10, 1, 147; S. Alph., VII, 38). Ita porro, sed quaestio in eo posita est, quando propter se puniantur, et non propter aliud. Nempe, ajunt egregii Comm. Patavini, I, 18, quando poena lata est in solum consilium, vel in solum mandatum. Utique si in ipsa lege caveatur poena coerceri *solum* consilium, *solum* mandatum; at cum fertur in mandatum, vel consilium simpliciter, numquid haec eo casu *accessoria* esse desinunt? Et si non desinunt, quidni in dubio tenendum sit, ea coerceri quasi accessoria? Sane suf-

De his quae praestari possunt et ante et post illud perpetratum, ceu receptio, defensio, Sayrus putat coerceri quasi delicta sui generis; atque ideo censuram non effugere (66): contra Bonacina adhuc quasi accessoria coerceri putat, adeoque non esse censuris obnoxia. Sayrii sententiae adhaeret Suaresius; nihilominus is fatetur, rem dubiam esse: nos igitur quod minimum est sequimur. Itaque si haereticum receptaveris, defenderis, etc., ne caperetur, et ille nihilominus captus fuerit, excommunicationem latam in receptatores, vel defensores haereticorum non incurris (67). Amplius si effectu nondum sequuto, praestiti auxilii, vel defensionis poenitueris, mandatum, consilium revocaveris, licet revocatio innotescere nequiverit ei, cui mandatum, consilium dedisti, quia (ex multorum sententia) cessavit contumacia (§ 7, 26), *censura evanescit* (68). Demum quamdiu moraliter tibi non constet effectum revera sequutum, et ope, consilio, mandato tuo revera sequutum fuisse, censura non incurritur (69).

15. Ad ultimum tria quaeri possunt: 1° Si una eademque censura coercentur plures actiones; v. c., S. R. E. Cardinalem caedere, insequi, ejicere e suo territorio (§ 49), et aliquis plures ex his actionibus faciat, vel eamdem pluries, utrum unam, an plures censuras incurrat. 2° Si, ex diverso, eadem actio pluries ab eodem legislatore punitur censuris, ejusdem speciei quidem, sed quoad reservationem diversis, utrum is qui omnes has leges transgreditur plures censuras contrahat; ut ecce si quis percutiat Episcopum (§§ 49, 107), vel emat bona ecclesiastica (§ 170) ab usurpatore (§§ 89, 97). Demum 3° quando plures Censurae ejusdem speciei, v. c., plures excommunicationes, coercent actiones diversas, utrum omnes teneant eum, qui unam actionem patrat, qua omnes virtualiter continentur; v. c., cum qui dat nomen sectae (§ 116), quae haeresim profitetur (§ 28) - Et quandoquidem censura peccato cohaeret, existimo unam dumtaxat censuram incurri quousque ex omnibus, sive diversis, sive repetitis actionibus, unum dumtaxat peccatum lethale coalescit; plures vero,

fragium indigno latum excomm. coercetur; electio non item (C. 7, *De Election.* in 6°); et nihilominus si indignus non fuerit electus, excomm. cessat. Quid, quod lex, quando voluit coercere mandantes, vel consulentes effectu non sequuto, id expressit, ut in L. 5, *Ad L. Jul. Majest.* - et C. 1, *De homic.* in 6°?

66 Sayr., Thesaur., Tom. I, Lib. 3, Cap. 5, n. 4. Cui adhaerent Suar., *De Fide,* XXIV, 1, 14; Lugo, *De Fide,* 25, 9.

67 Bonac., D. 1, Q. 2, P. 3, n. 3; Sanch., Dec., II, 10, 9; Laym., *De Fide,* Cap. XIV in fi.; Salm., X, IV, 69, 70.

68 Duard., 21, Can. XI, q. 12 in pr. et q. 13; S. Alph., VII, 40; Salm., 10, 1, 148, ubi late.

69 Salm., n. 172 in fi. Et probabile est S. Alph., VII, 30.

pro numero peccatorum, quoties peccata seu specie, seu numero multiplicantur (70).

16. Est autem triplex censura, excommunicatio, suspensio et interdictum. Excommunicatio solius censurae vim habet: at suspensio, et interdictum nonnunquam irrogantur per modum solius *poenae*, nonnunquam per modum cujusdam *privationis* (71); quod cum fit censurae quidem, sed lata significatione nomen retinent. *Per modum poenae* quoties non contumacia coercetur, sed singulis irrogantur vel pro delictis praeteritis quae nullum habent tractum successivum (72), vel in perpetuum, vel in diem certum, vel quamdiu videbitur irroganti, aut Ordinario (73). *Per modum privationis* quoties non singulis irrogantur, sed in Collegium aliquod, vel Universitatem. Inter censuras autem, et poenas vel privationes hoc maxime distat, quod is, qui censuram violat ordinem exercendo, contrahit irregularitatem (74); at violatio poenae, vel privationis, neminem facit irregularem, nisi aliud in jure cautum sit nominatim (75).

17. Porro olim quotquot censuram aliquam contrahebant, *vitandi* erant; verum post Conc. Constant. hi solum vitandi sunt, in quos censura lata fuit *nominatim;* nec illico, sed postquam haec a judice publicata vel denunciata fuerit specialiter, vel expresse: caeteri *tolerati* dicuntur (76). Haec distinctio ei qui censuram subiit prodest

70 Adeoque 1° unam excomm. contrahere qui caedit S. R. E. Cardinalem ejciens eum e suo territorio, duas qui hodie caedit, cras ejicit; 2° unam qui emit bona Ecclesiae ab Usurpatore, vel Episcopum percutit (et re quidem vera, in utroque hoc casu una excommunicatio in altera, quasi species in genere continetur); 3° contra duas qui sectae haereticae se adjungit, quippe duo praecepta transgreditur, alterum contra obedientiam Ecclesiae debitam, alterum contra fidem. Porro S. U. J. consulta, utrum is qui peccat in materia quam et Conc. Tridentinum, et Const. *Ap. Sedis* attingunt, duplici excomm. innodetur, respondit, die 8 Julii 1874: *Negative* (*Acta Ap. Sedis,* IX, 315).

71 Salm., I0, 1, 80; S. Alph., VII, 52; Schmalz, V, 39, 30.

72 Suar., IV, 5, 6. Ut in C. 33, § Ult. *De Testib.*

73 Suar., 25, 1, 3; 2, 4. Scilicet censura est *medicina* (§ 5); et quando non adhibetur quasi medicina, censura esse desinit. Medicina autem nec in perpetuum datur, nec in definitum diem, nec quamdiu videbitur medico, sed quoad aegrotus convaluerit. Quando igitur *censura* irrogatur, sic irroganda est, ut reus absolvi possit statim ac recesserit a contumacia, non serius ocyus, nam secus *poena* erit. Qui plures poenas quae ipso facto contrahuntur, seorsim incurrerit, v. c., plures suspensiones ad mensem, ejus quam secundo contraxit dies computatur, non elapso mense prioris, sed statim a delicto admisso (Suar., 29, 1, 2; Sanch., M., III, 50, 3); et si toto eo mense non permanserit in suspensione, sed per aliquot dies, v. c., sacrum fecerit, nihilominus suspensio, elapso eo mense, finitur (Suar., n. 12).

74 C. 1, pr. *De Sent. et Re Judic.* in 6°.

75 S. Alph., VII, 314, 317. Nisi etc. ut in cit. C. 1.

76 Mart. V., C. *ad Evitanda.*

nihil, quia nihil quoad ipsum mutatum est; sed aliis tantum: scilicet, quamdiu ille *toleratus est*, perinde quoad nos habetur, ac si nulla censura irretitus esset: atque ideo non prohibemur comunicare cum eo, ceteris paribus, neque in humanis, neque in divinis (77).

Art. II. — *Generalia de Const. Ap. Sedis* (1).

18. Ante omnia sciendum est 1°, ex omnibus censuris l. s. quae hactenus per RR. PP. impositae fuerant, hodie *nonnisi* eas robur habere, quae in Const. Ap. Sedis insertae sunt: nempe 2° *non secus ac si ab ea primum editae fuerint;* et 3° *eo modo quo* in ea sunt insertae (§ 4). Ergo (ex 1°) ceterae omnes quae in corpore juris Canonici, Constitutionibus Pontificiis, et Conciliis oecumenicis continebantur, cessant, exceptis Tridentinis (§ 184), et his, quae respiciunt electionem R. Pontificis, vel ad internum regimen ordinum regularium pertinent (§ 223). Nec distinguitur utrum generales sint, an pro certis quibusdam locis vel personarum genere specialiter, immo singulariter (2) latae. Nam omnium accuratissimam et plenissimam recensionem factam fuisse dubitandum non est. Illae quoque exsulant, quae instar poenarum erant, vel privationum tantum (§ 16); quippe et harum recensio facta fuit, et aliquot ex eisquoque comprehendit, easdemque propterea limitat Constitutio nostra. Quoties igitur disputatur utrum aliqua sive ex *illis* sive ex *istis*, sive ex *his* adhuc vigeat, evidenter ostendi debet eam insertam esse in C. *Ap. Sedis* (3). Quae vero in ea sunt insertae (ex 2°), tenent ubique terrarum, ideoque his etiam locis, ubi antiquatae fuerant (4). Quorsum autem valeant, hoc (ex 3°) re-

77 S. Alph., VII, 139. Porro quos nos vitandos dicimus, in jure dici solent excommunicati, aut suspensi, aut interdicti *nominatim* (C. 29, § *De S. E.;* Rit. Rom. *Quib. non lic. dar. eccl. sep.;* C. Ap. Sedis, § 149, 150, 164, 204, 217.

1 Quo studio, quibus RR. CC. et EE. PP. collatis consiliis, quanta demum prudentia et maturitate edita fuerit haec Constitutio, nemo satis mirari potest, nisi qui acta perlegerit Supremae Cong. S. U. R. I., quod mihi, munus Adsessoris in ea obeunti facillime datum fuit.

2 Ut ecce excomm. lata in eos qui ferabantur animalia in Statu Pontificio, vel a furibus emebant (Greg. XIII, C. *Non sine*), vel ab eo extrahebant sine licentia frumentum, oleum etc. (Paulus V, C. *Inter gravissimas*); in edentes libellos adversus Inst. Ord. Praedicator (Alex. IV, Const. *Ex alto*), oppugnantes Institutum S. I. (Gregor. XIII, *Adscendente Domino*), prohibentes nomen dare Congregationi Olivetanae (Jul. II, C. *Etsi ad universas*): suspensiones latae in Italos Graecos qui ordines recipiunt ab Episcopo sui ritus sine dimmissorias Episcopi latini cui subjecti sunt (C.

3 Comm. Patav., I, § 37.

4 S. U. I., 1 Febr. 1871. Atque ideo non obstante quavis contraria consuetudine, etiam immemorabili, seu generali, seu speciali (Ex S. U. I., 22 Decem. 1880).

gulariter ex verbis quibus hoic sunt insertae aestimari oportet; si verba obscura sunt, adeunda est Supr. Congregat. S. U. I., cui Summus Pontifex potestatem fecit huius Constitutionis authentice interpretandae: verum quia hoc nec semper, nec omnibus datur, necesse est de doctrinali ejus interpretatione aliquid addere.

19. Principio igitur censurarum quae in Const. A. S. continentur triplex genus constituendum est: unum earum quae cum veteri jure plane conveniunt; alterum earum, quae ab eo nonnihil differunt; tertium earum, quae utrum plane conveniant, an aliquatenus differant, non satis apparet (V. § 2). Qua conveniunt (sive ex toto sive ex parte), aestimari debent *ex veterum canonum auctoritate:* et quia illae quae reservantur R. P. speciali modo, omnes, decima excepta, depromptae sunt ex Bulla in *Coena Domini* legi solita, ex hac interpretationem capere eas oportet: qua discrepant, ex Const. nostra, *non secus ac si nunc primum* ab ea *editae fuerint* (cit. § 3): adeoque in obscuris *illic* a receptis Canonistarum et Nostrorum interpretationibus recedendum non est, v. c., quoad percussores Clericorum, quorsum valeant ea verba – *injicere manus violentas* – (§ 97); *hic* novae interpretationi ex regulis juris (§ 10), et consultis Theologorum et Canonistarum, qui Const. *Ap. Sedis* sive commentariis (5) sive adnotationibus (6) illustrarunt, studendum erit.

20. Principio igitur, cum in omni, quae de alicujus legis suscipitur interpretatione, optimum sit explorare qua mente edita illa fuerit (7), juverit ante omnia animadvertere, Sapientissimum Pontificem censuras latae sententiae ad quam paucissimas redegisse, nedum quod ex eis quaedam exciderant a pristina utilitate et opportunitate, et propter earum magnum numerum, sed et ad *tollendas*, sive a Confessariis, sive a poenitentibus, *dubietates, anxietates, angoresque conscientiae:* adeoque Constitutionem hanc vere esse *beneficium Principis*, Confessariis et poenitentibus cum primis concessum. Ex

5 Horum agmen duxit Petrus Avanzini (vir de Jurisprud. Canonica optime meritus), qui omnium primus Commentarium edidit in Const. A. S., quem morte interceptus, non potuit ampliare, uti eruditissime coeperat; quemque subinde prosequendum latissime susceperunt Continuatores Ephemeridum - *Acta Apostolicae Sedis* - seu cl. Josephus Pennacchi, R.mus Formisani Nolanus Episcopus, Commentatores Patavini, Ciolli, P. a Varceno, et R.mus Del Vecchio.

6 Cl. P. Antonius Ballerini S. J., Cardoni, in notis ad Gury, et Scavini.

In horum labores nunc primum (nam exceptis Avanzinio, et Cardoni, ceteri in lucem prodierunt post editum Interanne an. 1873 Commentariolum meum) introivi, omnesque in rem meam expilavi: sed non *tacite;* veteris Graculi (tempora nunc licet feliciora) sortem veritus (V. Phoedr., Lib. I, Fab. 8).

7 L. 19, D. *Ad Exhib.*

quo sequitur eam latissime interpretandam esse (8), et *nulla juris ratio patitur, ut eam nos duriore interpretatione* contra ipsorum (et maxime poenitentium) *commodum producamus ad severitatem* (9).

21. Quando igitur Constitutio nostra cum veteri jure non plane convenit, omnis interpretatio cum primis regulariter ex ejus verbis petenda est (10). Idcirco sedulo perpendenda sunt hujus Const. verba; nec aliter recedendum ab eis est, quam cum *manifestum est* aliud sensisse legislatorem (11). Quamobrem si quid durius aut mitius in ea continetur *nec clementiae,* nec *severitatis* gloria affectanda est (12). Demum si non satis appareat utrum Const. A. S. a veteri jure discrepet, an secus, quamvis posteriores leges ad priores regulariter trahendae sint (13), nihilominus, et quia Const. nostra est beneficium Principis, et quia versamur in odiosis, et maxime odiosis, existimo interpretandam esse ex veteri jure si hoc mitius statuit; sin se-

8 C. 16, *De Verb. Signif.;* L. 3, D. *De Const. Princip.* Quamvis derogatoria sit, nam et *motu proprio* concessa est, et favorem Religionis spectat; quorum vel unum sufficit ut late interpretari possit (Suar., *De Legib.,* VI, 17, 11; Sanch., *De Matr.,* VIII, 1, 56; Laym., *De Legib.,* XXIII, 5; Reiff., I, 3, 138).

9 L. *Nulla,* 25, D. *De Legib* , C. 61, *De Reg. Jur.* in 6º.

10 L. 1, § 20, *Si is, De exerc. actio:* Quorsum enim sunt verba, nisi ut demonstrent voluntatem dicentis?

11 L. 67 pr. *De Legat.,* 3.

12 L. 11, *De Poenis* - Non CLEMENTIAE: quare cum hodie coerceantur excomm. impedientes exercitium jurisdictionis ecclesiasticae (§ 70), procurantes abortum, effectu sequuto (§ 158), rei simoniae confidentialis (§ 129), non licet amplius distinguere inter jurisdict. ordinariam et delegatam; inter foetum inanimatum et animatum; et excommunicatio tenet non eum solum, qui beneficium accipit in confidentiam, ut antea ex CC. Pii IV, et S. Pii V., sed et dantem (Comm. Patav., II, 268 in fi.). Et is qui cum excommunicato communicat in crimine criminoso (§ 149) hodie non excusatur, ut olim (C. 29, § 2, *De S. E.*), quod non scienter communicaverit. Qua in re notandum est non paucas censuras quae veteri jure latae fuerant in *temere* facientes - facere *praesumentes,* - in C. A. S. translatas fuisse detracta *temeritatis* etc., mentione: quamobrem ab his hodie non excusat, ut antea, ignorantia crassa et supina (§ 7) - Non SEVERITATIS: quamobrem cum hodie v. c. excomm. subeant soli *injicientes manum* in Clericos (§ 107), soli *usurpantes* bona ecclesiae (§ 93), non puto ea teneri qui percussionem suo nomine factam ratam habuit; nec eos qui empta ab usurpatoribus retinent, velut haeredes, legatarii, vel hi quibus a primis emptoribus donata, revendita fuerint (Sed V. §§ 89, 94). Ab hac regula, quod ad hanc partem attinet, recedunt, nec raro, quidam Nostrae Const. Interpretes, qui in sententias interdum severiores discedunt, et contrarias quasi erroneas exibilant; et nonnumquam satis hercule confidenter. At praeterquam id a regulis juris, a mente sapientissimi Pontificis quoque alienum est: ea enim fuit ne censuris magna hominum pars implicaretur. Sed et, absit verbo invidia, inconsultum videtur; et senescente mundo perinde est, ac mittere vinum novum in utres veteres.

13 L. *Sed et* 27, D. *De Legib.*

verius, non item. Porro quoad censuras depromptas ex Bulla in *Coena Domini* legi solita, satis apparet eas heic brevioribus quidem verbis, verum, uti illic erant, fuisse translatas, earumque vigorem non exasperatum, regulariter, sed mitigatum fuisse; quamobrem in his interpretandis illae prae oculis semper habendae sunt: adeoque nihil durius ex verbis Constit. nostrae exprimendum puto, nisi palam appareat eam fuisse mentem legislatoris. Quod velim ne excidat.

22. Ad haec admonendi sumus C. *Ap. Sedis* abrogatum vel obrogatum fuisse juri antiquo quoad censuras latae sententiae, et privilegia earum absolutionem respicientia dumtaxat. Quidquid aliud igitur in hoc jure obtinebat quando C. *Ap. Sedis* edita fuit, integrum permanet, adeoque obligat ut ante. Et in primis *praecepta* seu vetent seu jubeant aliquid (14) et *poenae* etiam latae sententiae (15), *privationes*, *inhabilitates* (16), *decreta* demum *irritantia*, quae vocant (17), perinde ac antea vigent. Et ex diverso privilegia quaelibet cuivis concessa, praeter ea quae ad censuras absolvendas pertinent, salva permanent (18).

23. Nihilominus, quia a jure alienum est *ob idem crimen pluribus legibus reum fieri* (19), his quoque abrogatum fuisse tenendum est quoad ea crimina in quae Const. nostra Censuris latae sententiae *nunc primum* animadvertit, quamvis levius (20). Amplius mihi indubitatum est, constitutionem A. S. non derogasse *Concordatis* (quae vocant) cum viris Principibus initis; nam si *Concessiones* sunt Romanorum Pontificum, S. Sedes discedere ab eis non solet: sin *pacta conventa*, neutri licet ab eis discedere, altero invito, vel inconsulto. Et quamvis alicubi, novo jure, et usque in hunc diem inaudito, inconsulta Sede Apostolica, rescissa, deleta fuerint, rescissiones hujusmodi S. Sedes hactenus non agnovit (21).

14 Ut ecce quae vetant legere, retinere, etc. improbatae praelectionis libros (§ 34); quae jubent in ecclesiis Regularium servari interdicta, quae in ecclesia cathedrali ejus loci servantur (Clem. I, *De Sent. Excomm.*).

15 Ut poenae latae contra eos qui utuntur literis Apostolicis falsis, aut falsificatis (C. 7, *De Crim. fals.*).

16 V. c. *Ad obtinenda* beneficia ecclesiastica, si quis resignaverit beneficium in manu R. Pontificis, reservata sibi pensione, et postea hanc redimat contra C. *In sublimi*, §§ 3 et 4 Bened. XIV, privatio vocis activae et passivae, etc. Nempe exceptis suspensionibus et interdictis latis ad instar poenarum, vel privationis cujusdam (§ 18).

17 Utputa nullitas absolutionis a censuris per metum extorta (C. Un. *De iis quae vi* in 6°).

18 Veluti privilegium locandi praedia ecclesiastica citra beneplacitum Apostolicae Sedis.

19 C. 4, § ult. *De Judic.;* L. *Senatus*, 14, D. *De Accusat.*

20 Sanch., M., III, 48, 4; Suar., 12, 4, 13.

21 Comm. Rom., p. 267, v. *Quaeri.*

24. Haec generaliter: nunc singulas, quas Const. nostra recenset, censuras ingrediamur. His adjicimus censuras Tridentinas, quas Const. A. S. sarctas tectas servat. At vero censurarum hujusmodi duo genera ponuntur; unum earum, quas Trident. invexit, sanxit; alterum earum, quas ex veteri jure vel restituit, vel confirmavit: quasnam servavit Const. nostra? Utique *illas:* ait enim, quos Sacros. Conc. Trid. *excommunicavit vel suspensos, aut interdictos ipso jure esse voluit, nos pariter ita excommunicationi, etc. obnoxios esse volumus et declaramus* (§§ 184,222). Non item *has* (22); nisi, cum antea essent fer. sent., Concilium latae sent. eas effecit (23). Quin et illae eximendae sunt, quae postea, mutatis temporibus, exoleverunt (24); et ea loca sunt eximenda ubi Tridentinum amplius non viget; sive ibi receptum non fuerit, sive postea rejectum.

V. cl. De Angelis, *Praelection. Jur. Canon.*, To. I, Par. I; *Append. De concordatis* (Romae, 1877). *Neque* enim *credendum est R. Pontificem quod alias excogitatum est multis vigiliis uno Verbo subvertere voluisse* (C. 57, *De Elect.*).

22 Avanzi.; Baller. ad Gury, II, 293. *Confirmavit,* utputa Sess. XXIV, *De Ref.,* CC. 1, 3, in fi.; *restituit,* idest innovavit; seu generaliter, utputa Sess. XXI, *De Ref.,* Cap. 1, XXIV; *De Ref.,* Cap. 2, seu specialiter, prout Sess. XIV, *De Regul.,* Cap. 6.

23 Velut Sess. XXII, *De Ref.,* Cap. 1.

24 Nempe Sess. XXV, *De Ref. Regul.,* Cap. 4; Sess. XXIV, *De Ref. Matr.,* Cap. 9.

CAPUT II.

DE SINGULIS CONSTITUTIONIS APOST. SEDIS EXCOMMUNICATIONIBUS, SUSPENSIONIBUS, ET INTERDICTIS

ART. I. — *Excommunicationes.*

PRAENOTANDA

25. Excommunicatio est. — *Censura quae removet excommunicatum vel a communione fidelium, vel a participatione Sacramentorum.* — Inde in majorem, et minorem diducitur. At vero quoties excommunicatio simpliciter dicitur, major intelligitur (1). Haec definitur — *Censura, qua quis separatur a communione fidelium.* — Communionem accipimus hodie non amplius in humanis, nam hoc obsolevit (2), sed in divinis; et tum externam, tum internam. *Externam,* inde excommunicatus arcetur Sacramentis, divinis officiis, et sepultura Ecclesiastica: *Internam,* et hinc expers est bonorum, quae cuique fidelium contingunt ex Sacrificio Missae, ex publicis Ecclesiae precibus, ex indulgentiis. Ex quibus licet intelligere, excommunicationem esse omnium poenarum spiritualium maximam atque gravissimam, et velut poenam capitis esse (3).

26. Quoad haec igitur excommunicatus prohibetur omni communione fidelium, et, ex diverso, fideles ab omni excommunicati communione prohibentur (4). Sed ille semper, hi si ille fuerit vitandus, non item si toleratus (§ 17). Quocirca is abstinere debet a Sacramentis et divinis officiis, et expers est fructus Sacrificii Missae, indulgentiarum etc., seu vitandus sit, seu toleratus. At fideles, quamdiu toleratus est, perinde eum habent, quasi nulla censura irretitus esset: sed postquam vitandus esse coeperit, communione ejus prohibentur. Idcirco nequeunt, sub gravi, ei conferre Sacramenta, excepta Poenitentia in articulo mortis (5); adesse cum eo divinis officiis (6); eique vita functo dare Ecclesiasticam sepulturam,

1 C. 59, *De S. E.*
2 Ex S. Poenit., 5 Jul. 1867.
3 Suar., 18, 3, 5.
4 C. 20, *De Cons.,* D. 1. Verum et haec prohibitio quoad *divina Officia* obsolevisse videtur.
5 Ex C. 11, *De Poenit.* Et probabiliter etiam Viatico; non item Extr. Unct., nisi forte aliud Sacramentum recipere nequiverit (S. Alph., VI, 88).
6 CC. 18, 29, *De S. E.* Quamobrem si, dum haec celebrantur, vitandus

atque ideo justa ei persolvere; nequeunt Missam pro eo celebrare, publice orare, et indulgentias applicare, sèu adhuc vivat, seu vita decesserit.

27. Excommunicationum latae sententiae triplex genus est; nam vel 1° reservatae sunt R. P., vel 2° locorum Ordinariis, vel 3° nulli prorsus reservationi sunt obnoxiae. Singulas ingrediamur. A reservatis R. P. est ordiendum: quarum duo genera ponuntur, unum earum, quae *speciali modo;* alterum earum quae *simpliciter* ei reservantur. De illis primum, quae, excepta X, omnes depromptae sunt ex Bulla olim in *Coena Domini* legi solita.

SECTIO I.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO R. P. RESERVATAE

« Itaque excommunicationi latae sententiae, speciali modo R. P. reservatae subjacere declaramus : »

I.

28. « Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos quocumque « nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, « fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores (1). »

29. *Unus Dominus, una fides* (Ephes. IV, 5): ea nempe quam profitetur S. Romana Catholica Ecclesia. Qui, post hanc fidem in baptismo susceptam, ab ea recedunt, siquidem ex toto, Apostatae; sin ex parte, haeretici dici solent. Itaque apostasia heic est — *A fide christiana recessio* (2). — Apostata vero qui a fide christiana descivit. Crimen apostasiae in *recessione* consistit, ideo nihil interest, utrum apostata ad Judaismum abierit, an ad Paganismum, vel utrum in Deismum, vel Atheismum, vel Indifferentismum (uti Liberi cogitatores etc.) prolapsus fuerit.

supervenerit eis *adfuturus,* aut extrudendus est, aut cessandum (C. 16, et Clem. 2, *De S. E.*). Tantum si Missa celebratur, et Sacerdos Canonem fuerit ingressus, persequi debebit usque ad Consumationem, cetera in Sacristia, vel quo alio loco decenti, absoluturus (Suar., 12, 1, 15); omnibus interim recedentibus; qui, si remanserint, levi non carent (V. S. Alph., VII, 176, 177).

1 B. C. *(Bulla Coenae)*, § 1. Excommunicationes in hac Sect. comprehensae, omnes, decima tantum excepta, depromptae fuerunt ex *B. Coenae*. Et licet RR. PP. multas ex eis deprompserint ex Decretalibus, et Constitutionibus Pontificiis, nihilominus earum interpretatio ex illa dumtaxat capienda est, prout veteribus mos fuit; nec ad eas exasperandas licet quidvis sive ex illis sive ex istis adjicere, quippe ex hac Constit. perinde habendae sunt, ac si nunquam latae fuerint. Et hoc quoque ne excidat velim (V. § 21 in fi.).

2 V. D. Th., 2, 2, Quaest. 12, Art. 1.

30. Haeresis est — *Error voluntarius Christiani contra aliquam veritatem fidei Catholicae* (3) —. Uti igitur Christianus haereticus dici possit, necesse est ut erret: ut in fide erret: ut erret sciens volens. I *Ut erret.* Error judicio continetur; quid igitur si dubitet? Et siquidem dubio positivo (4), ut ecce si dicat — *forte de Virgine natus est Christus* (5) — haereticus est; nam vere judicat non esse certa, quae Deus revelavit: si negativo non item; veluti si R. P. infallibilem esse, neque affirmet (cogitatione sua), neque neget, quia nihil judicat (6). II *Ut erret in fide.* Ad fidem pertinent, quae verbo Dei seu scripto, seu tradito continentur: haec vero de fide, quoad nos, non antea sunt, quam Ecclesia eas nobis credendas proposuerit. Quare haereticus non foret, qui negaret Eum, quem R. P. dypticis Sanctorum recensuit, Sanctum revera esse (7); vel Animas purgantium igne torqueri (8). Amplius, nec is qui negat conclusionem theologicam haereticus est; sive praemissae, ex quibus deducta est, altera ratione, altera fide constent, quod planum est; sive utraque fide, quod est verius; veluti si neget, ut vulgari exemplo scholarum utar, Christum esse risivum (9), vel praeditum fuisse libero arbitrio (10). Ceterum si falso putet aliquid de fide esse, quod non est, idque non credat, *vere* est haereticus, quippe vere Dei revelantis et Ecclesiae docentis auctoritatem respuit (11). Demum III *ut sciens erret;* et hoc est quod TT. *pertinaciam*

3 V. D. Th., 2, 2, 11, 1; Suar., *De Virt. Theol.*, Disp. 19, Sect. 1, et 5.

4 V. Lug., *De Virt. Fid.*, XX, 1, 17. Dubium positivum heic dicitur, cum mens nostra inter duos contradictionis terminos constituta, propter contraria rationum momenta, *non scit* utrum negare, utrum affirmare debeat; negativum si in praesens *non vult* quidquam affirmare aut negare: illo igitur judicium inest, hoc secus.

5 S. Aug., *De Trinit.*, Cap. 5. Ideo *dubius in fide est infidelis* (C. 1, *De Haeret.*). Hoc dubio laborant qui adeunt Concionatorem haereticum, credituri si persuaserit (Lugo, *De Fide*, 25, 1, 3), quique ajunt, se paratos esse credere quod ab Ecclesia definitum est, v. c. R. P. infallibilem esse, si demonstratum rationibus fuerit (Vasq.).

6 Canus, *De Loc.*, XII, 9; Vasq., 1, 2, 10, 6, Disp. 65; S. Alph., VII, 302.

7 V. Ben. XIV, *De Canoniz. SS.*

8 V. Conc. Flor., Sess. ult.

9 Cajet., Suar., D. 3, 2, 3. Quamvis eam negare absurdum videatur; v. c. si aliquis neget, Sanctos cum Christo Regnantes (quos de fide est utiliter invocari, Trid. Sess. XXV, *De Invoc. SS.*) audire hominum preces. Et hoc planum est, quia conclusio sequitur semper partem debiliorem.

10 V. Suar., *De Fide*, Disp. 7, Sect. 4. Scilicet id ostendimus sic ratiocinando. Omnis homo praeditus est libero arbitrio: Christus est homo: ergo etc. (Gotti, To. 1, q. 1, Dub. IV, § III, n. 27). Atqui, sicuti is, qui id tenet, non elicit actum fidei (quippe credit quia sibi evidens est), ita, per contrarium, non resistit fidei, qui hoc negat (Lugo, *De Fid.* I, 287, etc.). Dixi ex quibus *deducta est;* nam si conclusio continetur in praemissis, quasi pars in toto, ipsam revelatam per se, atque ideo de fide esse, palam est: v. c., Christum *pro me* mortuum esse.

11 Reginald., IX, 237.

voluntatis appellant. Itaque si errat ex ignorantia, etsi affectata, haereticus non est; nam deest pertinacia, et magis facit contra fidei ediscendae praeceptum, quam contra fidem (12).

31. Verum, ut quis excommunicationi fiat obnoxius, necesse praeterea est, ut haeresim suam prodat exterius, utque eam prodat actu manifesto, humano, et malo (§ 6). Ideo excommunicatio eum non tenet, si revolvens animo SS. Eucharistiae Sacramentum, exclamaverit — *Credo sub speciebus non esse* (13) —: si haeresim suam prodiderit in somno, vel ebrius, vel consilii capiendi causa (14). Illud non interest, cum *verbis* eam prodidit, utrum aliquis audierit loquentem, an nemo; forte quia nemo praesens erat, si modo praesens exaudire potuisset (15): nec, si eam prodidit *facto,* quo facto eam prodiderit; ut puta si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per Tabulas semet moventes, vel *Mediums*, vel *Crisiacos (Magnetizatos)* quos vocant.

32. Nec solum apostatae, vel haeretici excommunicationem incurrunt, sed et eorum 1° *credentes;* idest qui haeresim implicite profitentur, (exterius inquam) dicentes, v. c., vera esse, quae Lutherus docuit, licet in particulari nesciant quaenam ea sint (16): 2° defensores, fautores etc., non qua doctrinam defendunt fovent, etc., quippe hi, non secus ac credentes (17), haeretici sunt et ipsi, sed qua personas, *uti haeretici sunt, et intuitu haeresis* (18), Nec interest utrum is quem defendunt, receptant, etc. sit occultus, vel haereticus materialiter tantum (§ 13), nullaque proinde excommunicatione irretitus (19). Nempe si defensio, favor, receptio effectum habuerint (20). Ad haec haeretici dogmatizantes denunciandi sunt (21).

12 Suar., 19, 3, 8; Lugo, XX, 174.

13 Reiff., V, 7, 246.

14 Sanch., *Dec.*, II, 8, nn. 20, 24.

15 Ex Ben. XIV, C. *Pastor bonus;* Laym., *De Legib.*, IV, 5; Croix, VII, 48.

16 Tolet., *Summa* I, 19, 5; Laym., *De Fide,* XIV, 5; Suar., 21, 2, 6; Bonac., Disp. I, Quae. 2, P. 3, n. 2. Belle Duard., *Comment.* Lib. 2, Cap. I, Q. 36. n. 12: *Hereticorum credentes* (intelligi) *qui nulla specialiter haeresi sunt infecti, sed verbis aut factis id profitentur se credere quod haeretici credunt.*

17 C. 15, § 2, *De haeret.* Canones eos recensent omnis dubitationis tollendae causa (Laym., Suar., *De Fide* 25, 1, 3; Sanch., Dec., II, 10, 2; Reiff., V, 7, 248). Nihilominus inter haereticos et eorum credentes hoc interesse videtur, quod hi caeteris poenis haereticorum non subeunt ipso jure (Ex C. 13, § 6. *De Haeretic.*).

18 Duard., Lib. 2, Can. q. 32, n. 2.

19 Suar., 21, 2, 8.

20 Sanch., n. 9; Bonac., Disp. 1, Quae. 2, P. 3, n. 2. Et licet alias non satis constet utrum receptor seu receptator dicendus sit qui semel tantum vel iterum aliquem receptavit, convenit, receptantem haereticum, vel semel tantum, excommunicationem incurrere (Albit., *De Inconst. in Fide*): *et est omnium sententia* (Lugo, *De Fide*, 25, 4).

21 Non item alii, scilicet Sapientissimus Pontifex Pius IX, pro nequitia

II.

33. « Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorum-« dem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris « per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, imprimentes, et « quomodolibet defendentes (1). »

34. Pravis libris nos prohibemur jure tum naturali, tum Ecclesiastico (2): nempe jure naturali propter periculum, jure Ecclesiastico propter praesumptionem periculi; ideo illo omnibus libris prohibemur, ex quibus legenti periculum imminet, etsi nemo eos proscripserit; hoc libris tantum, quos Ecclesia proscripsit, etsi nullum omnino legenti immineat periculum; quod velim animadverti (3).

temporum, jam ab. an. 1848, denunciandi obligationem in suspenso esse indulsit, praeterquam quoad 1 haereticos dogmatizantes, et 2 sollicitantes; quibus postea hac Const. addidit 3 cujusvis sectae occultos Coryphaeos et duces (§ 116). Quod velim animadverti, nam pene omnes Commentatores nostrae hujus Constitutionis praeterit.

Porro denunciare est delinquentem Superiori legitimo manifestare. Denunciationum duo sunt genera, *fraterna,* quae ad rei emendationem; et *judicialis,* quae ad ejus coercitionem pertinet; illa oritur ex praecepto caritatis, haec ex fidei praecepto, de qua solum hic. Principio igitur denunciandi obligatio tenet omnes Christifideles pubertatem adeptos (Potest. *Exam. Ordin.* P. II, 243), cujuscumque status, gradus, conditionis (S. U. I., 10 Martii 1677). Denunciatio facienda est Inquisitori, vel Ordinario, et in Missionibus Vicario, vel Praefecto Apostolico (S. Poenit., 10 Febr. 1871). Et intra dies 30, a die scientiae hujus obligationis, vel, si aliquod obstiterit impedimentum, ab hoc sublato, sub poena excommunicationis l. s. facienda est (S. U. I., l. c.; S. Alph., IV, 252), nulla praemissa correctione fraterna (Alex. VII, 8 Jul. 1660). Qui denunciat, testis loco est, ideo nihil interest, utrum denuncianda ipse audierit, viderit, an acceperit ab aliis (S. U. I., l. c.) fide dignis (S. Alph., 254); vel utrum haec probare nequeat (Ex Prop. 5, damn. ab Alex. VII.), vel an jam alius denunciaverit (Ferrar., V. *Denunciato* n. 3). Nec excusat regulariter incommodum grave, nec quod sciverit denuncianda sub secreto commisso (S. Alph., 248, 49, 50). Nihilominus denunciatio cessat quamdiu quis eam facere nequit 1° per se (Ferrar., n. 54), vel 2° *sine periculo et infamia* (Ex C. S. U. I., 21 Febr. 1630), vel 3° aliqua spe emendationis affulgente (Bonac., *De Denunc.* P. n. 2, 9, et Baller., ad Gury, II, 975. IV, Ex cit. Decr. S. U. I.).

1 B. C. § 1.

2 Alex. VII, B. *Speculatores.* Et nedum ad S. S., sed et ad Ordinarii jus et officium pertinet noxios libros proscribere (S. C. Ind. de Mand. Sanctissimi 24 Aug. 1864). Immo et civili nempe antiquo Gentilium jure prohibentur (L. 4, § 1, D. *Famil. ercisc.*): nunc alia itur ad astra!

3 Cf. Duard., *Comm.* etc. Lib. II, Can. 1, 22, 34, etc.; Lugo, *De Fide,* 21, 68; S. Alph., VII, 291. Si cui autem periculosa est lectio alicujus libri ab Ecclesia proscripti, is ejus lectione utroque jure prohibetur, naturali et canonico: adeoque si ejus legendi licentiam obtinuerit, haec ad poenas, non ad culpam vitandam proderit.

Heic de prohibitione jure ecclesiastico introducta et de hac primum, postea de censura. Quae duo sedulo distinguenda sunt: nam prohibitio ex veteri jure petenda est (§ 22), quod latius patet; censura ex Const. nostra, licet veteres prohibitionem cum primis ex censura, quae ei adnexa erat, regulariter aestimaverint.

35. Itaque Ecclesia prohibet, quamvis in *Indice* non recenseantur, praeter *omnes* libros Haeresiarcarum in odium auctoris (4), 1° omnes libros haereticorum; nempe eos qui de *Religione tractant ex professo*, OMNINO; alios donec ab Episcopo, et Inquisitoribus, examinati et approbati fuerint (5), si ut puto, *Ethicen*, *aliasque hujusmodi morales disciplinas* (non aliud) *respiciunt* (6): 2° libros obscoenos ex professo, vel magicos a quocumque conscriptos, aut anonimos (7); Carbonariorum

Porro, typis inventis, Conc. Lateran. sub Leone X vetuit libros edi *sine licentia potestatis ecclesiasticae*. Prohibitionem hanc vel non receptam (Suar., 23, 7), vel antiquatam, instauravit primum Concil. Trident. quoad libros de rebus sacris sine nomine auctoris (Trid. Sess. IV. *De editione sacr. libr.*), tum reg. 10 ejusdem Concilii quoad alios. Quam iterum obsoletam restituit *in Ditione Pontificia* Urb. VIII, per Decret. S. U. I. 3 Octobr. 1625. Sed Pius IX, f. r., die 2 Jun. 1848 eam *inibi ad illos dumtaxat* libros coercuit, *qui moralis, aut religiosi argumenti sunt.*

4 C. 3, § *Ceterum*, D. 15. Sed veterum haeresiarcarum libros, v. c., Origenis, Tertulliani, hodie legere non prohibemur, quippe ex uno capite obsoletos errores, ex altero multa utilia continent, et scitu necessaria (Lugo, *De Fide* XXI, 29). Ceterum libros accipimus etiam librorum versiones, quocumque idiomate factas (Ex Decr. Clem. VIII, et S. U. Inq. 4 Mart. 1628).

5 Ind. Trid. Reg. 2. Haereticos vero intelligimus sine ulla distinctione (Suar., *De Fide* 20, 2, 11); adeoque sive *ex secta*, ut ecce Lutheranos, Calvinistas; sive *ex doctrina*, eos nempe qui ejusmodi contra fidem errores docent, ut nulla praesumi possit ignorantia probabilis (Ex Sanch., Dec., II, 10, 24). Nec excusatur quis quod liber editus sit sine nomine auctoris, et ipse quis sit ignoret (Lugo, *De Fide* 21, 100, etc.). Nec obstat quod in Const. nostra dicatur *eorumdem*, quo verbo soli haeretici *ex secta* significari videntur: verbum enim est exscriptum ex B. C., et interpetrationem semper certam habuit. *De Religione*, idest de his quae ad Religionem pertinent quoquo modo, ut puta de rebus moralibus, Canonicis, Liturgicis, de Historia Ecclesiastica etc. (Laym., *De Fide* XV, 3, Croix, etc. 331): et *ex professo* tractant, idest non obiter, sed ex instituto (S. Alph., VII, 283). Haebreorum autem, praeter Talmud, et infidelium libros legere, licet haeresim contineant, nullibi vetitum est (V. Albit., *De Inconst. in Fide* cap. XXX, 85, etc.). Verum haereticos, et infideles accipere debemus, si quid opinor, vulgari et communiter recepta significatione; adeoque vix dubium puto prohibitione comprehendi libros eorum, qui alicujus sectae acatholicae nomine appellantur, licet nunquam baptizatae fuerint, velut anabaptistae. Contra, si liber ab haeretico scriptus nec de Religione pertractat nec haeresim continet, puto eum legi posse, ubi prohibitio de non edendis injussu Superiorum libris exsolevit.

6 Ex Encycl. Pii IX, 2 Jun. 1848. V. not. 3.

7 Trid. Regg. 7, 9.

cathechismos, statuta, codices, et eos libros, in quibus ab ipsis describuntur quae in eorum conventibus geri solent; vel ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos (8). Ceteri omnes, nisi damnati fuerint, speciatim prohibiti haud intelliguntur: ut ecce libri Catholicorum contra fidem et bonos mores (9), et libri sine nomine auctorum *qui pravam doctrinam tradunt* (10).

36. Libro prohibito, grave est illum legere, retinere, defendere, imprimere. Legere est oculis perspicere, et intelligere quae sunt scripta (11): proinde nec is peccat qui legentem audit (12); nec qui legit ipse, si ignorat linguam qua scriptus est liber (13); et, si eam calleat, non peccat graviter si parum quid legerit, idest paginam; nisi in doctrinam erroneam inciderit (14). At vero, libro prohibito, non ea solum pars quae causam prohibitioni dedit, sed totus liber prohibetur legi, et praeterea quaecumque pars libri esse intelligitur; ut epistola dedicatoria, prologus, index (15). Nihilominus cessat prohibitio si eam partem, quae prohibitioni causam dedit,

8 Pius VII, C. Ecclesiam, § 11, 13 Sept. 1821.

9 Trid., Regg. 7, 9; S. Alph., VII, 289. Et si non constet, utrum ab haereticis scripti sint, an a catholicis, ab his scriptos fuisse tenendum est, quippe hoc est favorabilius.

10 Laym., et S. Alph., l. c. Nam si utrum tradant pravam doctrinam, an minus, in aestimatione cujusque relinquitur, tot erunt sententiae quot capita. Olim quidem vetabantur omnes (cit. Reg, 10, et B. *Speculatores*); sed haec prohibitio exsolevit. Praeterea in Ind. Trid., Reg. 6., cavetur: *libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos nostri temporis non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est* (V. n. 29). Sed hoc hodie, ni fallor, vix locum habet. Porro extat triplex librorum prohibitorum Index, sive catalogus. I Tridentinus editus a PP. in Conc. Trid. delectis. II Clementinus, seu Tridentini Appendix, an. 1594 editus jussu Clem. VIII. Utriusque tres erant classes, unde distributio librorum prohibitorum 1, 2, et 3, classis. Quae cum minus commoda videretur, Alex. VII, B. Speculatores 5 Mart. 1644, novum (III) Indicem, ordine alphabetico digestum, confici jussit, in quem duo superiores coaluerunt, quo utimur.

11 L. 1, D. *De his quae in test. delent:* ibiq. Glos. v. *Intelligi;* Sayr.; III, 5, 14.

12 Sanch., Dec., II, 10, 48. Quamvis jussu suo legat (Lugo, *De Fide* XXI, 75; V. S. Alph., *Ho. Apost.* XIX, 52; Albitius, *De Inconst. in Fide*, 36, 395; Filiucc., XVI, 45). Verum hoc accipiendum est de peccato, quatenus ei censura cohaeret: nam si is qui legit, intelligit quae sunt scripta, cum ipse peccato non careat, quis neget peccare eum qui ad legem transgrediendam inducit?

13 Suar., *De Fide*, 20, 2, 18; Duard, Lib. II, Can. I, q. 47, 5. Aut memoriter recitat (Sanch. n. 47).

14 S. Alph., VIII, 283, 284.

15 Suar., n. 9; Sanch., nn. 30, 35; Lugo, n. 60. Quid si opus in plures tomos sit distributum, num omnes sint prohibiti, si error in uno eorum dumtaxat continetur? Negat Sanchez, affirmat Suar.; Lugo, n. 57, si operis argumentum divisionem recipit, ut historia, cum Sancio; sin minus, cum Suaresio sentit.

detraxeris, vel deleveris, vel induxeris, ut amplius legi nequeat; dum ne liber proscriptus fuerit quia tractat de Religione ex professo, vel in odium auctoris (16). At vero non excusatur a lethali qui legit librum confutandi ejus causa; nisi forte graviter urgeat confutatio (17).

37. Retinere heic intelligimus seu proprietatem libri seu possessionem, adeoque sive suum penes alium, sive alienum penes se (18). Nec caret lethali eo quod forte ipse legere nescit, et cavet ne ad aliorum manus perveniat (19). Itaque tradendus est Inquisitoribus, aut Ordinario (20); vel comburendus (21). Ceterum si tibi certum sit eum tradere, vacas lethali si distuleris biduum, aut triduum (22); vel ulterius, forte dum expectas tradendi opportunitatem, vel petitam legendi veniam; dumne haec diu expectanda sit (23). Defendere librum accipimus sive *codicem* ne intereat, veluti si prohibeas tradi igni, vel Ordinario (24); sive doctrinam, damnatam scilicet (25).

38. Demum imprimere est typis mandare. Huc autem naturali quidem jure pertinent quotquot *ad impressionem cooperantur;* adeoque et eos qui imprimunt, et qui imprimentium operas conducunt, ceu typographus editor, et corrector, et qui editionis praestat impensas. At jure canonico imprimentes verius eos tantum accipere debemus qui impressioni adlaborant, idest qui typos componunt, atramento eos tingunt, cartas madefaciunt, torculari imponunt, etc.: uno verbo, qui eam operam praestant, ex qua impressio consistit (26): non

16 S. Alph., VII, 283; H. A. XIX, 57, 15.

17 S. Alph., VII, 283.

18 Sayr., III, 5, 16; Suar., n. 21; Sanch., n. 52.

19 Suar, ibid.; Croix, VII, 349.

20 Ind. Trid., Reg. 10. Vel saltem ei, cui licet illum retinere; sed huic ea lege, ne repetat quoad legendi licentiam obtiuuerit (S. Alph., VII, 298).

21 Salm., X, IV, 74. Nec sufficit librum in folia discerpere obvolvendis medicinis, salsamentis, etc. (Sanch., n. 53; Croix, 349).

22 Sanch., n. 56; Laym., *De Fide,* XV, 7. Et si id nolueras primum, sed postea, mutata voluntate, tradideris, vacas censura; etsi gravi non vaces (Croix, n. 348).

23 Sanch., n. 55; S. Alph, VI, 295.

24 S. Alph., VII, 285. Seu vi adhibita eripias, seu fraude, mendaciis etc. (Suar., 20, 2, 25).

25 Sayr., III, 1, 5; Suar., l. c. *Quomodolibet;* seu verbis, seu scripto; seu palam, seu clam, vel etiam disputandi causa: immo et si laudaveris eruditionem, elegantiam, etc., si laus in libri approbationem redundet (Lugo, XX, 94).

26 Duard., Lib. II, Can., Quae., 54, a n. 14. Impressionem vero ex duobus tantum consistere, nempe ex compositione et praeli mandatione docet vel ipse Ugolinus in B. C. hoc loco, verbo *Imprimentes.* Non bene igitur Sayr., III, 5, 17, appellatione imprimentium comprehendit vel ipsum Dominum officinae, cujus voluntate libri imprimuntur, et qui impensas praestat (quem ceteri fere omnes excludunt); nec bene Sanch., qui, l. c. n. 57, omnes comprehendit, qui proximam operam prae-

item hi qui eos vendunt, deferunt, etc. Verum si libri hujusmodi haeresim *continent*, quotquot eis edendis operam praestant tenentur quasi fautores haereticorum, quos, secus ac legentes, haud excusat ignorantia nedum affectata, sed ne crassa quidem vel supina (27).

39. At vero librorum appellatione hodie vulgo hi tantum continentur qui typis eduntur, et aliquo volumine constant. Quare, ex primo, non immerito quidam negant manuscripta prohibitione contineri, nisi aliud in lege cautum sit nominatim (28). Ex altero vero recepta sententia est, librorum significatione haud venire scripta, typis quidem edita, sed molis adeo exiguae, ut magis quo alio nomine, velut *elegiae*, *epistolae*, *orationis*, quam librorum, nuncupari soleant (29); adeoque nec ephemerides, quae communior sententia esse videtur (30). Sed nec legum, seu statutorum codices, licet ab

stant: contra recte, si quid opinor, excommunicationi eximit Duard. vel ipsos typographos, quippe qui non imprimentes dicendi sunt, non impressores (n. 10). At eos qui exemplaria corrigunt excomm. non effugere mihi indubium videtur (contr. Duard., n. 9), quia legunt.

27 Duard., l. c., n. 18. V. § 8.

28 Croix, VII, 339; Azor., Spor., Suarez, *De Censur.*, 23, 7, 3; Sylv., Viva, Rodriq., Barbos., etc., Alex. VII, 45, 10. Sane ipsaemet regulae Tridentinae (Reg. 10), immo ipsa Trident. Syn., Sess. IV, *De edit.* etc. et B. Pii VII (§ 35, 8) ea a libris typis editis manifeste secernunt. Est et alia ratio, quod *libri ad manus omnium devenire possunt, et diutius asservantur* (Albit., *De Inconst. in Fide*, 30, 230), manuscripta non item. Ceterum hic auctor contrariam sententiam sequitur n. 221.

29 Sanch., Dec., II, 10, 29; Suar., 23, 7, 3; Laym., Bonac.; Lugo, 21, 33; Albit., l. c., 223; Duard., II, Can. I, 44, n. 6; S. Alph., Lib. I, App. III, Cap. 5, § 7, et *Pratica de' Confess.*, Cap. 19, § 61. Et in ipsa reg. 10, Conc. Trident. libri a *libellis* distinguuntur. Ad haec vetitum est legere aut retinere versiones SS. Scripturarum *vulgari* idiomate, exceptis his, quae fuerint ab Ap. Sede approbatae, aut editae cum notis desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris (S. U. I. 7 Januar. 1836). Olim vetiti quoque erant libri editi sine auctoris nomine ex Reg. 10, Ind. Trid., sed haec prohibitio fere obsolevit.

30 Bouvier., Dec., I Praec., Cap. I, Art. I, Cap. IV; Gury, *Comp. Teol. Mor.*, II, 981 (Romae 1862); Scavi, II, 830; Avanzi, *h. t.*; Pennacchi, T. I, pp. 135, 303. A Varceno h. a. Sane vel ipse Pius IX eas a libris plane distinxit in Encycl. 2 Jun. 1848, qua in omni *ephemeridum* et *librorum* genere illos dumtaxat sine praevia censura edi prohibuit, qui moralis, aut religiosi argumenti essent. Aliud putant Sapientissimi Scriptores *Periodici*, cui titulus - *La Civiltà Cattolica* - (Ser. VIII, Vol. VI, pag. 648), ea cum primis ratione ducti, quod *ephemerides* in eo a *libris* distant, quia illae ex singulis plagulis, seu foliis in dies singulos, hi ex pluribus compactis plagulis identidem editis, in libros coalescunt: ratio brevis et urgens. Eis accedunt cl. Formisanus, et Comm. Pat., I, § 82, post privatam ejusdem SS. Pii IX, Allocut. 1 Nov. 1874, qua verba faciens de Diario - *La Capitale* - edixit « Altre volte questi « fogli furono da Noi proibiti, ed in « questa occasione torniamo a proi- « birli tutti: o a dir meglio confer- « miamo le antiche proibizioni con le

haereticis legislatoribus editi sint, et de Religione pertractent, et haereses contineant, librorum appellatione continentur (31).

40. Adhuc de peccato: ad excommunicationem incurrendam duo necessaria sunt, unum ex parte librorum, alterum ex parte legentis,

« annesse censure. » Quaenam sunt (quaerunt clarissimi Commentatores) prohibitiones hujusmodi, nisi illae quae continentur regulis Tridentinis? Sed vix credibile puto, eos qui has regulas condiderunt de Diariis cogitasse, quorum illuc aetatis vix unum, et oppido exiguum, in tota Europa coeperat Venetiis apparere. Utcumque, utrum SS. Pontifex eas prohibitiones confirmaverit quoad omnes ephemerides, vel quoad eas tantum quae triennio ante legi vetuerat, et Romae tantum, ex illa Allocut. profecto non liquet. Ceterum illud *prorsus indubitatum est,* librorum nomine sub excommunicationis poena prohibitorum venire *publicationes periodicas in fasciculos ligatas* (S. U. I., 13 Jan. 1892 ad primum). Ephemerides autem in fasciculos non ligatae, quarum lectio periculosa est fidei vel moribus, ipso naturali jure vetitae sunt sub gravi: quod post litteras Pii Papae IX datas E.mo Card. Urbis Vicario sub die 30 Iul. 1871 certo certius est. Hujusmodi ephemerides indubitanter dixerim esse eas omnes, quae conscribuntur ab his qui se liberales esse venditant. Et in primis, quod firmissime tenedum est, eas, *aevi prudentia nostri,* ut verbis utar SS. D. N. Leonis XIII, *quae quidquid proximis his annis per seditiones et turbas gestum est, jure gestum esse defendunt; dissimulant, aut adulterant verum; Ecclesiam, et Pontificem maximum maledictis, falsisque criminationibus hostiliter petunt* (Leo PP. XIII, Encycl. *Etsi nos*, 15 Febr. 1882). Nonne omnes convenerunt in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus? Quisnam est qui non loquatur grandia, et putet quod possit mutare tempora et leges? Si vel unum inveneris, qui vel unum ex damnatis in Syllabo erroribus repudiaverit, hunc legere fas esto. Quare non ab his tantum abstinendum est, qui ponunt in Coelo os suum, et palam loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, sed in primis ab his (quippe sunt periculosiores) qui, se moderatos jactantes, sagittant in obscuro rectos corde: quorum doctrina ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber, et quasi regulus venena diffundet. Quoad periculum, quo sese committunt legentes praedictas ephemerides, duo meminisse oportet; pravos libros nunquam non infecisse viros, doctos etiam, et pios (V. S. Alph., Lib. I, App. III, *De Prohib. Libror.*): et neminem suae virtuti confidere posse. Itaque dixerim, juvenes (cereos in vitium flecti) ab hac lectione omnino prohibendos esse, sive laicos, sive Clericos: item aetate provectos, quibus non est circa pectus virtutis robur et aes triplex, quique non pollent scientia Sanctorum. Qui autem se tales esse existimant, hi, si stare velint, inconsulto Confessario (quia de se quemque aestimare aleae plenissimum opus est) illas, me auctere, non legant. Interim videant patresfamilias, magistri, heri, institutores etc., qui filios, discipulos, famulos, etc., hisce lectionibus non prohibent; institores tabernarum, ubi haec diaria prostant, quas apud districtissimum judicem rationes aliquando sint reddituri! *Hujus igitur tanti mali, quod serpit quotidie latius, sedulo prohibenda vis est; nimirum oportet severe et graviter adducere multitudinem, ut intento animo sibi caveat, et prudentem in legendo delectum religiosissime servare velit* (Leo XIII l. c.).

31 Duard., II, Can. I, q. 46, n. 6.

retinentis etc. 1° Ex parte librorum, ut sint vel alicujus apostatae *aut* haeretici, nempe ex secta, vel damnati ob haeresim (32); vel sint per Literas Apostolicas nominatim prohibiti. Hoc inter illos et hos distat, quod illorum lectio ita demum excomm. secum trahit, si haeresim *propugnent:* propugnare vero est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum apostatae, vel haeretici, si haeresim non propugnet, etsi eam contineat, immo et defendat, sed obiter, paucis, et quasi aliud agens (33). At si liber prohibitus est per Literas Apostolicas, nihil refert a quo sit scriptus (quidve contineat), dummodo prohibitus sit *nominatim*, idest expresso operis titulo (34). 2° Ex parte legentis, retinentis, impri-

32 Pignatelli, Duard., S. Alph., VII, 283 in fi. Nam si S. Sedes voluisset cujusvis haeretici libros prohibere, satis fuisset condemnare libros haeresim propugnantes, vel continentes. Dixi aut, quamvis in Const. nostra legatur *et;* quia contrarium vix credibile est: nec est novum in jure conjuncta interdum accipere pro disjunctis (L. 29, *De V. S.*). Porro olim ex hoc capite vetitum fuit sub excommunicat. legere libros haereticorum et apostatarum, vel *cuiusvis auctoris;* nempe illos ex B. C., hos ex reg. 10 Indicis Libror. prohibitorum: hodie prohibitio quidem quoad omnes superest (§ 22); excommunicatio quoad illos tantum.

33 Cl. Ballerini ad Gury, II, 972; cl. Formis., et a Varce. h. a. Eoque minus hodie excommunic. incurrit qui legit libros haereticorum, vel haeresiarcarum damnatos ob suspicionem haeresis (Contr. Reg. 10, Trid.), vel de Religione tractantes (contra B. C. § 4); aut Talmud (V. § 35, 5). Porro ex Const. nostra lis finita est, utrum ad incurrendam excommunicationem necesse esset ut liber de haeresi tractaret ex professo, uti visum Graffio, et Sayro; an satis esset in eo haeresim contineri, uti Sancio, Suar., Duardo. Ceterum, ne legi possit, hoc sufficit (§ 35, 5).

34 Cl. Baller. ad Gury, II, 972; Comm. Patav., II, 78. Utrum vero sub censura vetitum sit, an minus, ad rem non pertinet (Ferrandi, *annotation.* etc. Genès 1881). Porro *Literae Apostolicae* nuncupantur *quae nomine R. P. expediuntur* (Navarr., 27, 62; Sayr., III, 109; ideo dicuntur literae Papae, vel R. P., Tot. Tit., *De crim. fals.*), in forma *Bullae* sive in forma *Brevis.* (Bonac., Par. I, Q. XIV, Pun. I, n. 9). In B. C. dicitur *etiam* in forma brevis; nempe propter aliquos existimantes Literas Ap. eas tantum esse, quae expediuntur in forma Bullae (Bonac. l. c.). Bullae, ut obiter sciamus, dicuntur quae prodeunt a Canc. Apost., Brevia quae a Secretario brevium prodeunt; illae sub plumbo expediuntur, hae sub anulo Piscatoris: in illis nomen R. P. scribitur a capite versiculi quo bulla inchoatur, his verbis - *Leo Episcupus servus servorum Dei -:* in istis ponitur in medio sic, *Leo PP. XIII.* Ceterum nihil obest, quominus Literae Apost. qua alia R. P. maluerit forma scribi possint, dummodo ipsius nomine datae fuerint. Ergo huc non pertinent libri per quosvis alios prohibiti, ut puta per SS. Urbis Congregationes (Cf. Bonac., D. I, Q. 15, P. I, n. 19), vel Concilia etiam Oecumenica. Si qui autem damnati fuerint per Literas Apost. ante C. *Ap. Sedis* vel sine ulla censura, vel sub poena suspensionis, aut excommunicationis non reservatae, qui eos legit, nullam censuram incurrit; etenim Const. nostra 1° censuras contra-

mentis, etc. ut legat, retineat etc. scienter (35): ideo eum excusat ignorantia sive prohibitionis, sive censurae (36), et nedum crassa et supina, quod nemo dubitat (37), sed et affectata (38) etsi lethali non careat. Et si liber ex 1° capite prohibitus sit, excusatur sive ignoret haeresim in eo propugnari, sive ab haeretico esse conscriptum (39). Verum *scienter* legere et is dicendus est qui librum prohibitum etc. esse scit ex fama publica, vel ex viro fide digno (40). His addendi sunt qui sacrae scripturae libros imprimunt, vel imprimi faciunt sine licentia Ordinarii (V. § 175).

41. Hac prohibitione et excommunicatione teneri omnes Christifideles translatitium est. Nihilominus Episcopi *pro necessitate aut tempore* eos legere possunt (41); et contraria quorumdam sententia *rigorosa nimis* in S. Officio visa fuit (42): atque ideo, magna necessitate exigente, aliis licentiam dare possunt eos legendi, quoad hi veniam a S. Sede impetraverint (43). Ceteris non licet eos retinere vel legere, ne ipsis quidem auctoribus, quae communior sententia est (44).

xit, non produxit; 2° suspensionem omisit, et excommunicationem inter reservatas non recensuit, atque ideo tacite eas sustulit. Si qui autem deinceps per Liter. Apost. prohibebuntur, siquidem sine ulla excomm., huc non pertinebunt: sin sub excomm. quidem, sed nulla mentione reservationis facta, re melius perpensa, puto reservationem semper tacite inesse ex hujusmodi articulo Const. nostrae, quippe alias, ex hac parte inutilis foret.

35 Sayr., III, 5, 12. Dixi nedum legentis, sed et retinentis, imprimentis, etc.; etenim adverbium *scienter* ad omnes referendum puto, ut in B. C. (§ 21, 10), et non ad solos legentes, quia lectio praecipuum crimen est, cetera velut accessoria. An et Typographus, et editor, sive Auctor ipse, sive alius ediderit? Nostri, ex B. C. passim affirmant (V. Sanch., Dec., II, 10, 57; Bonac., Disp. I, Quaest. 2, P. 4, n. 19). Et, si agatur de libris haeresim propugnantibus, verissimum est, nam si non quasi editores, vel typographi, at profecto quasi haeretici, vel haereticorum *fautores* tenentur; et nedum ipsi, sed et hi qui praestant editionis impensas; immo et hi, qui typos, qui atramentum, qui cartam vendunt, si in eum finem vendant, ut haeresi faveant (V. Croix, VI, 356).

36 Suar., *De Fide*, XX, 2, 17.

37 S. Alph., VII, 47.

38 Sanch., Dec., II, 10, 38; Diana, Duard., Bonac., To. III, Disp. II, Q. 2, P. 4, n. 9; Pala., Tract. IV, Disp. 2, P. 10, § 2; Lugo, *De Fide*, XXI, 104; Croix, VII, 34, 345.

39 Albit., Cap. 33, 276, ibiq. Sanch., Baldelli etc.; Bonac., To. III, Disp. I, Quae. II, P. IV, 8.

40 S. Alph., VII, 296.

41 C. I, Dist. 37. Scilicet ad Episcopi munus pertinet fidem et mores tueri, et a noxiis pascuis oves arcere sibi commissas: ideo officii eorum est pravorum librorum lectionem prohibere (S. C. Indic. *De Mand. Sanctissimi*, 24 Aug. 1864): qui autem, nisi res legerint? Et si nec Episcopus adiri possit, et periculum sit in mora, ex epicheja, interim dum aditur legi poterit, non tamen confessario, aut Superiore inconsulto (Lugo, 21, 66; 22, 19).

42 Albitius, *De Inconst. in Fide*, Cap. 30, n. 204.

43 Sanch., Dec., I, 10, 43; Lugo, *De Fide*, 21, 70.

44 Ugolin., Duard., Suar., *De Fide*, 21, 2, 26; Lugo, n. 61. Sed vereor ne

III.

42. « Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia per- « tinaciter se subtrahunt vel recedunt (1). »

43. Schisma est — *Ab unitate Ecclesiae Catholicae separatio* (2). Unitas Ecclesiae duobus continetur; connexione *membrorum* inter se, et cum R. P. tamquam *Capite* ejus visibili (3). Quocirca haec separatio potest esse, vel a solo corpore Ecclesiae, vacua Sede; vel a solo capite, utputa si Episcopi generale Concilium congregare, vel dimissum prosequi audeant; vel ab utroque (4). Excommunicationi est obnoxia ista et haec tantum, non illa, quia rarior est.

44. Principio igitur excommunicationem incurrunt qui et a corpore et a capite Ecclesiae secedunt; et qui a capite tantum, idest qui a R. P. obedientia se subtrahunt. *Pontificis;* exinde huc non pertinent qui temporale dominium ejus detrectant (5): *obedientia;* adeoque nec hi, qui renuunt obtemperare propter rem praeceptam; v. c. in jejuniis, observantia festorum etc.: sed hi tantum qui spirituale imperium et auctoritatem R. P. abjiciunt. Pontificis, inquam, *pro tempore existentis*; ideo non excusatur qui, a praesenti desciscens, successori obtemperaturum se pollicetur (6). Nec eis proderit si forte exterius tantum ita se gerant, animo vero aliud teneant, quia schisma in facto consistit (7). Illud necesse est, ut quis recedat *pertinaciter,* idest (prout haereticus a fide) sciens volens; quamobrem si renuat subesse Pontifici quia non legitimum putat, vel quia ex duobus electis uter sit legitimus non apparet, excusatur (8). Porro hanc excomm. soli schismatici subeunt, non item eorum fautores, defensores etc.; hos enim, ut antea B. C. (9), praeterit Constitut. nostra.

verum sit: quis enim propria ac vulgari significatione (V. § 10, 38) dixerit haereticum suos libros legentem legere libros haereticorum?

1 C. 5, Dist. 19; C. 43, Can. 2, 3, 5, B. C. § 1.

2 Reiff., V, 8, 2. Et est lethale ex toto genere suo (Sanch., Dec., II, 36, 9).

3 D. Tho., 2, 2, 39, 1.

4 Lugo, *De Fide,* XXV, 35.

5 Pirhin., V, 13, 3; Reiff., V, 13, 5; V. Duard., II, Can. I, Q. 56, nn. 9, 16.

6 Lugo, n. 37.

7 Suar., 21, 2, 12; Sanch., Dec., II, 36, nn. 13, 14; Lugo, n. 38. Ut ecce qui Regi haeretico, tamquam supremo Ecclesiae Capiti externam obedientiam praestant, etsi non credentes, et inviti (Suar., n. 13; Bonac., D. 1, Q. 2, P. 5, n. 10; Schmalz., V, 8, 9).

8 Sanch., n. 3; Salmat., 21, 8, 15. Huic igitur satis erit adhaerere Episcopo suo (Reiff., V, 8, 19).

9 Sanch., n. 16; Suar., n. 14; Bonac. cit., n. 10, ibiq.; Alter., Duard., etc.

45. Verum heic agitur de schismate, uti vocant, *puro*, cui nempe nulla haeresis admixta est (quod vix amplius datur); nam si schismaticus teneat aliquid fidei contrarium, v. c., R. Pontificem non esse caput Ecclesiae, ut Rutheni; vel esse quidem, sed ei competere primatum honoris tantum, ceu Jansenistae, haereticus foret (10). Et huc pertinent Catholici liberales quos vocant; Veteres Catholici et qui Ecclesiae Catholicae *Nationali Italicae!* nomen dant (11).

IV.

46. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordina-
« tionibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale
« futurum Concilium appellantes; nec non eos, quorum auxilio consilio vel favore appellatum
« fuerit (1). »

47. Appellare est — *Ab inferiore judice ad superiorem provocare* (2) — Quamobrem appellatio a R. P. insignis injuria est (3), maxime post definitum a Concilio Florentino jurisdictionis Ejus primatum. Tria heic dispicienda sunt; 1° a quo - 2° ad quem - 3° a qua re appellatio interposita fuerit. Etenim ad hanc excommunicationem incurrendam necesse est appellare 1° a *R. P.*, nempe qua Papa, non qua Rege (4), *pro tempore existente*, adeoque eo nondum e vivis sublato, ut opinor, quia haec verba *aliquid operari debent* (5): 2° ad *futurum Conc. universale;* ergo eam non incurrit qui ad futurum Pontificem (6); vel ad praesens Concilium oecumenicum, etsi forte intermissum; vel ad Provinciale futurum (quamvis heic atrocior injuria) appellaverit (7); 3° demum necesse est appellare ab ordinationibus, seu mandatis R. P., quae nempe instar sententiarum particularium sunt; quamobrem si a statutis vel legibus R. P. appellaverit censurae locus non erit (8). At non inspicitur a quibus ordinationibus vel mandatis appellaverit, et utrum praeceptum aliquod, an admonitionem, an poenam contineant (9), quamvis injustam (10), quia injuria est in jurisdictione R. P. detrectanda.

10 Conc. Vatic., Sess. IV.

11 Arg. ex Decr. S. U., 5 Jul. 1865, 12 Jan. 1860 - Comment. Patav., II, 234; Ciolli, § 108.

1 Pius II, C. *Execrabilis;* Jul. II, C. *Suscepti regiminis;* B. C. § 2.

2 L. 14, C. *De Appell.*

3 C. 4, *De Elect.*

4 Regin., IX, 263.

5 Ex C. 10, § 1, *De Priv.* in 6°.

6 Bonac., Disp. I, Q. 3, P. 2, n. 5.

7 Duard., Lib. II, Can. 2, Q. 7, n. 6. Sed utraque sententia displicet Sayro, III, 5, 4, et reprobat Ugolinus: sed neuter jure (§ 10, 39).

8 Duard., Lib. II, Can. 2, Q. 7, n. 6.

9 Bonac., n. 3. Et si definitionem aliquam dogmaticam continent, hodie haereticum se prodit, et duplici excommunicatione irretitur.

10 Suar., 21, 2, 15; Duard., II, Can. 2, Q. 7, n. 5.

48. Haec injuria perfecta et consummata intelligitur statim ac appellatio interposita fuerit: ea igitur interposita, censura statim incurritur, alias nunquam incurreretur. Haec autem censura est *excommunicatio*, vel *interdictum* — Excommunicatio si appellaverint singuli, interdictum si appellaverint personae morales; sed de hoc serius. Excommunicationem autem incurrunt et is qui appellat, et hi qui appellanti praestant auxilium, aut consilium, aut favorem, nempe ad appellandum, atque ideo si vel appellatione in ipsa, vel antea, non si postea praestiterint (11). Nempe postquam *appellatum fuerit*: et ita explosa est opinio Cajetani, Duardi, aliorum veterum existimantium *consulentes* eam statim incurrere (12).

V.

49. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel « hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque « Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris seu Dominiis « ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, vel « favorem (1). »

50. Haec excommunicatio excommunicatione lata in Conc. Lateran. II (§ 107), quasi species in genere, continetur; et pro casibus in illa non comprehensis lata fuit. Hac igitur puniuntur injuriae in corpus, libertatem, dignitatem Procerum Ecclesiae.

In *corpus*, nempe *interficiendo, mutilando, percutiendo.* Interficere est hominem necare quoquo modo, utputa veneno, fame etc.; mutilare est membrum abscindere (2); percutere accipimus omnem injuriam quae manu fit (3).

In *libertatem*, scilicet *capiendo, carcerando, detinendo.* Capere est manibus comprehendere animo retinendi (4). Carcerare est detrudere vel continere quovis loco, privato quoque (5). Detinere est quovis loco inclusum custodire, ne excedere possit (6).

In *dignitatem*, nimirum hostiliter *insequendo*, vel *ejiciendo.* Insequi est fugientem sequi (7), hostiliter (hostili more), idest publice et

11 Suar., l. c., n. 16.

12 Consulentes excommunicationi obnoxios fecit Const. Pii II, an. 1459, quam latius produxit Jul. II, an. 1504: serius inserti fuerunt in B. C.

1 Clem. I, *De Poen.*, Extr. Un., *De Consuet.*; S. Pius V, C. *Infelicis*; B. C. § 11.

2 Reginal., Lib. IX, post n. 212.

3 L. 5, § 2, D. *De Injur.*

4 Ex L. 36, pr. D. *De Fid. Libert.*; Duard., II. Can. IX, q. 25, n. 1. Ergo qui capit statim dimissurus in *hanc* excomm. non incidit (Duard., n. 34; et Can. XI, q. IV, n. 5).

5 Ex L. Un. C. *De Carc. priv.*

6 Ex L. 1, *De Cust. reor.* Et ad privatos pertinet (Duard., q. IV, n. 4).

7 Suar., 22, 3, 1.

manifesto, laedendi graviter (utputa capiendi, vulnerandi, spoliandi) animo (8). Proinde hanc excommunicationem *illinc* incurrit qui vel tantum insequitur, etsi non adsequatur, vulneret, capiat; contra *hinc* eam effugit qui insequitur perterrefaciendi, vel diripiendi, vel contumeliae causa (9). Ejicere est antea receptum expellere (10), adeoque ea non tenentur qui prohibent accedere (11). *A suis Terris*, vel Dominiis: *suis*, idest verius sibi subjectis, et non tantum ubi domicilium fovent, vel nati sunt (12). Nec distinguitur qua auctoritate eos ejecerint, publica an privata; quove modo, utrum nempe vi adhibita, an minis, an nudo praecepto (13).

51. Hac excomm. tenentur qui quamlibet ex recensitis (§ 48) actionem praestiterint, alias ad eam incurrendam necesse esset interficere, quod est absurdissimum; cujuscumque dignitatis fuerit, quia lex non distinguit. Et 1° qui interficiunt, etc. etsi parere necesse habeant (V. § 8), ut milites, lictores etc. (14). 2° Qui haec mandant, qui auxilium, aut favorem praestant; nempe post effectum sequutum (15). Demum 3° qui ratum habet. Porro ratihabitio instar mandati esse intelligitur (16): ideo si quis ebrius, aut ignorans aliquid horum fecerit, et postea sui compos, vel re comperta, ratum habuerit, huc non pertinet, quia nemo sibi mandatum dat. Hoc primum: deinde ut is qui ratum habet incurrat excommunicationem necesse est: 1° ut percussio, mutilatio, etc. facta fuerit suo nomine, quia *non potest ratum quis habere quod non suo nomine gestum est* (17); 2° ut quo tempore haec perpetrata fuerunt ipse ea admittere, atque ideo mandare potuisset (18), nam ratihabitio retrotrahitur et mandato aequiparatur (19); 3° demum ut non laudet

8 Navarr., Cons. 31, n. 4; Duard., l. c. q. 5, n. 6; Bonac., Q. XII, P. 1, n. 6; Sayr., III, XV, 7. Illud non interest num revera laeserit an minus, quia excommunicatio insequutioni cohaeret (Alter., Duard., Bonac., l. c.). Secus si eum insequitur conviciis tantum, aut maledictis (Covarruv., Lib. I. *Variar. Resolut.*, Cap. XI, n. 5; Duard., q. 22, n. 10).

9 Passer. in C. *De Poen.* in 6°; Comm. Rom., p. 217.

10 Duard., II, Can. XI, 29, n. 3; Bonac., D. 1, Q. 12, p. 1, n. 7.

11 Filiucc., XVI, 237. Hanc olim incurrebant prohibentes ingredi Legatos apostolicos (Extrav. un. *De Consuet.*).

12 Navarr., 27, 61; Ugolin., Pal., Mazzo., Duard., II, Can., XI, q. 9, n. 7.

13 Bonac., n. 19; Duard. cit., q. 9, n. 9.

14 Regin., IX, 313.

15 Filiucc., XVI, 248; Duard., q. 12, n. 6; Alter., Bonac., nn. 19, 30; Sayr., III, 15, 9.

16 Ex C. 13, *De R. I.* in 6°.

17 C. 23, *De S. E.* in 6°; Sayr., III, 15, 11. Ergo, dices, excommunicatione eximitur qui, v. c., Episcopi capturam non suo nomine factam ratam habet! Minime, si in potestate sua est eum dimittere, nec dimittit: nam *retinet*.

18 Schmalz., V, 39, 224.

19 Tolet., I, 31, nn. 6, 7; Suar., 21, 2, 71. Proinde si eo tempore infans vel amens fuerat, ratihabitio ne intelligi quidem potest. Secus si dormiebat,

tantum quod factum fuit, probet, efferat; sed ut probet quasi mandato suo factum (20). Ceterum inter facientes et ratum habentes hoc distat, quod si pluries nec uno tempore, illi mutilaverint, percusserint, etc.; hi *idem* factum ratum habuerint, illi pluries excomm. incurrunt, hi secus (21): quod enim quis semel ratum habuit, frustra postea iterum ratum habet, nisi forte priorem ratihabitionem retractaverit.

52. At vero hoc loco non lata, ut in excomm. Conc. Lateranensis, sed stricta interpretatione utimur, ut in poenalibus coeteris (22); adeoque haec excomm., seu potius reservatio ad alias personas, ad alias injurias trahenda non est (23). Quocirca ea non tenentur; 1° qui Proceribus Ecclesiae, v. c., vestes detrahunt, lacerant; quique eos sputis, pulvere, foedant (24), domi obsident non capiendi vel carcerandi, sed injuriae et contumeliae causa (25), ejectos ab aliis reverti prohibent; 2° qui *interficiunt*, etc. Episcopos nondum consecratos, Abbates vere nullius (26); 3° ut opinor, consulentes, receptantes post facinus admissum (27); hos enim praeterit Constitutio nostra; 4° demum commentarienses, quippe reos non detinent, sed custodiunt. Ceterum hi pene omnes recidunt in excomm. Lateranensem.

VI.

53. « Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, sive interni, « sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, « edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes (1). »

54. Difficilis est hic articulus, et salebrosus. Pertinet ad tuendam adversus laicos potestatem jurisdictionis qua gaudet Ecclesia (2). Principio igitur duplex potestas huic constituta est, ordinis et jurisdictionis; verum quae sit in jure canonico potestas jurisdictionis,

aut ebrius erat (Bonac., Disp. 2, Q. 3, p. 6, § 1, n. 11; Moli., To. IV, 52, 4; Pal., Tr. 29, P. 23, § 11, n. 4; S. Alph., VII, 267). Et recte, etenim capacitas, vel incapacitas agendi *in genere*, non ex momento temporis aestimatur. Contra putat Ronca., Tr. IV, Cap. 3, Q. 1, r. 2. Quod et Sanch. M., II, 11, 12, in matrimoniis, per Procuratorem contrahendis, existimavit.

20 Suar., 21, 2, 71.

21 Suar., 44, 3, 26.

22 Ex Suar., 21, 2, 68.

23 Comm. Pat., I, 95.

24 Bonac., Dist. 2, q. 3, p. 6, § 1, n. 3.

25 Filiucc., XVI, 245; Sayr., III, 15, 6.

26 Filiucc., XVI, 240; Duard., II, Can. XI, q. 8, n. 1; Sayr., III, 15, 4; Regin., IX, 313. Et est communis sententia.

27 Filiucc., XVI, 243; Suar., 21, 72. Nec defensores (Duard., II, Can. XI, Q. 1, n. 5).

1 Ex C. 4, *De immun. Eccles.* in 6°; B. C, § 16.

2 Ex § 52.

eamque secernere ab ordinis potestate, negocium est haud expeditum (3). Ut generaliter dixerim, potestas ordinis ad animarum cum primis sanctificationem; potestas jurisdictionis ad regendos cum primis Christifideles pertinet: illius est benedicere et consecrare, et maxime sacra obire, et sacramenta ministrare: hujus regere et gubernare. Ideo

55. Definitur — *Potestas publica circa aliorum regimen et gubernationem* (4) —. Diducitur 1° in *ordinariam* et *delegatam;* ordinaria est quae cohaeret officio vel temporaneo, velut oeconomi; delegata quae mandatur ab eo qui ordinariam habet: 2° in *externam* et *internam:* externa est quae ad societatem christianam, interna quae ad singulos Christifideles regendos pertinet. Externa exercetur in foro externo; et est 3° vel *contentiosa,* vel *voluntaria*: contentiosa dicitur quae exercetur inter partes judicio contendentes; quae non sic exercetur, voluntariae nomen habet. Contentiosae est exercere judicia seu civilia, seu criminalia: voluntariae, v. c., edere leges, censuras; conferre beneficia, vel auferre, praedicatores mittere, visitare dioecesim, ea quae sunt ordinis aliis peragenda committere, et (in foro interno) absolvere a peccatis, dispensare in votis, juramentis, etc.

56. Praeter haec sunt et alia, quae magis juris et officii, quam jurisdictionis, esse dixerim; ut puta docere, praedicare, publicas supplicationes obire, *privative quoad alios* (5); et, ut generaliter dixerim, ea quae competunt Parochis in foro externo; in quo translatitium est, eos nullam jurisdictionem habere. Denique sunt et alia, quae magis ad naturalem libertatem spectant, veluti acquirere bona temporalia, ea alienare, contractus inire. His praemissis videamus 1° quodnam sit hujus excommunicationis *objectum,* 2° quas *actiones* coerceat, 3° quos teneat.

57. Principio igitur objectum hujus excommunicationis sunt actiones quae obstant quoquo modo sive directe sive indirecte exercitio jurisdictionis ecclesiasticae. — *Jurisdictionis;* proinde non sunt ei obnoxia quae impediunt exercitium ordinis (6), et ea quae sunt

3 Berardi, *Comm. in Jus Eccl.,* Diss. Proem. Cap. 1.

4 Pirhin., Ad Decret., I, 31, 1. Quem ceteri Canonistae sequuti sunt. Reiff., I, 29, 3; Schmalz., I, 32, 4; Ferraris, V. *Jurisdictio,* Art. 1. n. 2.

5 Cf. Berardi, l. c. C. II, v. *In primis,* - Ibi - *Haec cum leniora officia sint, nonnisi latiore significatione jurisdictionis esse dicuntur.* His, quoad Episcopos, similia sunt - in propria dioecesi confirmare, velum imponere, pontificalia exercere - Non item visitare dioecesim, hoc enim propriae jurisdictionis est, maxime quia ad morum correctionem pertinet (Trid. XXIV, Ref. 8).

6 Duard., II, Can. XVI, q. VII.

magis juris, officii, vel libertatis naturalis. *Ecclesiasticae;* idest ejus quae manat a Christo, vel ab ejus Vicario, idest a Papa, qua Pontifice, non qua Rege; quaeque proinde competit Clericis qua clerici sunt, nec tantum externi fori, ut olim (7), sed et interni; seu ordinariae, seu delegatae, *lex non distinguit* (8). Ejus inquam, qua utitur R. Pontifex ubique terrarum, et locorum Ordinarii in suo quisque territorio; quique sive Illius vices obeunt, ceu SS. Urbis Congregationes, Legati, Vicarii Apostolici etc.; sive horum, uti Vicarii Generales, Officiales etc. Non item ejus, si quid opinor, qua gaudent Praelati Ordinum Regularium; primo quia, prout B. C., ita et Const. A. S. consulit jurisdictioni Ecclesiae Catholicae, non ei quae Ordinibus Regularibus privilegiis RR. PP. decreta fuit: deinde quia si quando RR. PP. prospicere et huic voluerunt, peculiaribus Constitutionibus id ab eis factum est (9).

58. Quae autem actiones obstent hujus jurisdictionis exercitio ex ipsa natura jurisdictionis repetendum est. Sunt igitur 1° ne fiant ea quae propriae jurisdictionis sunt, 2° ne facta executioni mandentur, 3° ut quae executioni mandata fuerint revocentur. Quoad I, cum jurisdictio in jure dicundo apprime posita sit, unde, verius, et nomen traxit (10), excommunicationi obnoxia est quaevis actio quae judici ecclesiastico impedimentum praestat, quominus inter partes, quae jurisdictioni suae subsunt, jus dicere possit (11) sive ligando sive solvendo (in hoc enim maxime jurisdictio posita est), adeoque sive dando sive adimendo (12); nec inspicitur utrum impediatur quominus potestate sua (dummodo ex jure) uti incipiat, vel uti pergat (13).

7 C. 4, *De imm. Eccl.*, in 6°, § 17, B. C. Olim hi tantum obnoxii erant excommunicationi R. P. r. qui *Majoris Poenitentiarii literarum exequutionem* qualitercumque impediebant (Julius III, C. *Rationi congruit*).

8 Secus ex B. C. Quae de sola jurisdict. ordinaria cavit (Duard., II, Can. XVI, Q. VII, 4. Contra Alter.).

9 Sane Gregor. XIII, excommunicationem R. P. r. sanxit adversus Religiosos S. Francisci *de observantia* ad Curias saeculares recurrentes contra ordinationes sui Ministri Generalis: quae adversus eos manet (§ 223).

10 Donell., *Comment.* etc. To. IV. Lib. XVII, Cap. VI, § 5.

11 B. C. § 14; C. 4, *De Immun. Eccles.* in 6°. Nempe in his locis, hisque rebus in quibus ei legitime correptum est.

12 Ex B. C. § 16. V. c. ne Episcopus in aliquem censuris animadvertat, vel a censuris absolveat; in aliquo beneficio vel officio ecclesiastico Sejum instituat, vel, contra, eum ab illo removeat: ne Confessarius alicujus forte morituri confessionem excipiat; ne Parochus huic vel illi matrimonio intersit, nam hoc quoque ad Parochi quasi jurisdictionem et potestatem pertinet, si quid opinor.

13 B. C. § 14; C. 4. *De Imm. Eccles.* in 6°. Ut ecce si in causis mixti fori judex laicus gravatus a judice ecclesiastico, ad se causam avocet (Duard., II, Can. XVI, q. V, n. 1). *Sua et ex*

Quoad II, quia executio cujusvis actus ad eum pertinet a quo actus prodit (14), quippe *postremum in jurisdictione est* (15), palam est nec eos excomm. effugere, qui ejus executionem impedire adnituntur (16); ut puta appellando ad potestatem laicam, uti dicitur *per abusum* (17); vel quoquo modo frustrantur (18). Quoad III utrum excomm. incurrat qui cogit aliquem revocare ea quae jussit, fecit, egit, subdubitari posset, non enim impeditur jurisdictione sua uti qui jam ea functus est. Quidam indiscrete affirmant (19), alii negant, nisi agatur de actibus praeparatoriis (20): et haec sententia, quia in odiosis versamur, mihi potior videtur. At profecto hanc excomm. non incurrit qui *habentem* jurisdictionem ecclesiasticam cogit ea uti (21), aut vexat

jure; nam quae non competit, vel non ex iure exercetur, vis est (Bonac., D. I, Q. XVII, P. 1, n. 4; ibique Alter., Ugolin., Ronca., Tr. IV, Cap. IV, q. I, r. 1), ut puta si Episcopus nominatim suspensus velit aliquem poenis coercere, vel post appellationem interpositam, vel non subditum (V. Duard., II, Can. XVI, q. I, n. 3).

14 L. *Si praetor,* 75, *De Iudiciis.*

15 L. 1, *Si quis jus dicenti non obtemp.*

16 B. C. § 16. V. c. negando, vel impediendo *regium* quod vocant *placet* vel *exequatur* Actibus cujuscumque Potestatis ecclesiasticae.

17 Pius IX, *Syllab.,* § 41. Appellatio, seu recursus per abusum (ut obiter sciamus) est provocatio ad *potestatem Laicam adversus* acta, gestave a potestate Ecclesiastica, eo pretextu, quod quis potestate sua abusus fuerit; *jusque* ea revocandi. Ortum habuisse videtur (nam subobscura res est; V. cl. De Martinis, *Il Regalismo* etc., Napoli, 1879) ex celebri *Pragmatica Sanctione* edita post Conciliabulum Basileense, auctore Carolo VII Rege Francorum. Monstrum hoc, diris jamdiu devotum, a Xisto IV et Leone X; immo, ab ipso Ludov. XI, Caroli successore anno 1641 deletum; et dudum ab ipsis D'Aguesseau, et Montesquieu reprobatum (V. Card. Sfrondat., *Gallia Vindic.,* Diss. 3, § 2), excitatum fuit anno 1802 a Napoleone I, tunc Galliarum Consule, post initum cum S. Sede Concordatum, Organicis illis articulis quos, graeca fide, suo marte, Concordato subtexuit die 8 April. 1802 (V. Allocut. Pii VII, Quam luctuosam 24 Maji sequentis; et Const. 10 Junii 1809): quique etiamnum observantur, licet pactis inter ipsum et Ludovicum XVII conventis anno 1817, art. 3, abrogati fuerint *in his quae adversabantur doctrinae et legibus Ecclesiae.*

18 Ut ecce si institutum in beneficio vel officio ecclesiastico, a capienda possessione, vi aut metu incusso, deterreat. Quin puto nec eum excommunicationem effugere, qui remotus ab officio vel beneficio Superiorem a quo remotus fuit trahit ad judices laicos ut sarciat damna sibi exinde obvenientia, quippe decreti vel sententiae in ipsum latae effectus subterfugere, atque ideo decretum sententiam ipsam infringere nititur.

19 Ugolin., Filiucc., XVI, 281.

20 Bonac., l. c., n. 5. Itaque cogens Episcopum ut revocet mandatum quo aliquid praecepit sub poena excomm., hac excommunicatione tenetur, quia prohibet eum excommunicare: qui cogit absolvere a se excommunicatum, eximitur.

21 Bonac. cit. n. 5. V. c. qui cogit Episcopum alicui beneficium conferre. Porro ante Const. A. S. cogentes absolvere excommunicatum, excommunicationem incurrebant; verum ex C. Un. *De his quae vi* in 6°; heic autem versamur in B. C.

postquam ea functus est (22), vel non hunc prohibet ea uti, sed alium, v. c. qui volentem adire judicem ecclesiasticum, cogit adire judicem laicum (23).

59. Hujusmodi excommunicatio tenet eos qui jurisdictioni ecclesiasticae refragantur seu principaliter, seu accessorie. Principaliter, nempe 1° impedientes, 2° recurrentes et mandata procurantes, 3° et mandata haec edentes. *Impedientes*, si nempe impedimentum effectum habuerit (§ 6, 14). *Recurrentes*, et *mandata procurantes*. Duobus igitur opus est, ut recurrat, et ut mandata procuret. Ergo non subest huic excomm. qui Episcopo recurrenti ad forum saeculare pro executione alicujus mandati sui vel decreti obstat, quia non recurrit (24), nec is qui recurrit ipse, si vel nullum mandatum retraxit (25), vel impetrato minime (26), aut frustra usus fuerit, quia lex *impedientes* coercet (27). *Edentes mandata*, scilicet non statim ac mandata decreta (uti vult Filiucc.), sed cum data *(edita)* fuerint seu scripto seu voce; mandata enim instar legum sunt, quae ex *publicatione* initium et statum capiunt. *Initium*, ideo si nondum edita, aut, si per epistolam data fuerint, nondum reddita (28) revocaveris, pro non editis erunt. *Statum*, ideo, e contrario, qui edita revocaverit, non eximitur excommunicationi. Sed prosequamur singula.

60. Et primo excommunicatio tenet *impedientes*. Impedire est facere, ut alius invitus cesset ab opere (29). Ut *cesset*, quamobrem si quis alia de causa, v. c., ob inimicitias, vexet, detineat judicem ecclesiasticum, licet is exinde jurisdictione sua uti nequeat, quia hoc per accidens fit, non incurrit excomm. (30). *Ut invitus* cesset: proinde necesse est, ut ei obstet vi, minis, imperio (31). Quaestionis fuit inter B. C. Interpretes, utrum necesse esset haec praestare

22 Contra C. U. *De S. E.* in 6°.

23 Contra C. 3, *De Immun. Eccl.* in 6°. Aliud ut puto juris esset, si post causam introductam coram judice ecclesiastico, cogeret reum illam avocare ad judicem laicum, et ideo judex ecclesiasticus jurisdictionem suam amplius exercere nequiret (Ex B. C. § 14).

24 Sayrus, III, 20, 4; Filiucc., XVI, 285.

25 Filiucc., XVI, 284.

26 Ugolin., Duard., II, Can. XVI, Q. VI, 3, 7; Navarr., Cons. 23, *De S. E.* Scilicet Const. A. S. excommunicat *impedientes*, et non molientes impedire.

27 § 52. Quod et in B. C. statutum fuisse videtur, nam eos excommunicat qui mandata Curiae saecularis *exequi procurant* - *Verbum* autem *procurat in materia poenali significat rem perfectam*, ait Filiucc. cit. n. 285.

28 Filiucc., loc. cit.

29 Salm., 10, 4, 95.

30 Ex B. C. § 16, v. *Hac de causa*; Bonac., P. 2, n. 4.

31 Alter., Filiucc., XVI, 27, 8. Si quis igitur consiliis, prece, fallaciis utitur, is magis suadere, impetrare, decipere intelligitur (Ex L. ult. C. *Si quis aliquem testa. prohib.*). In minis autem nihil interest utrum quis sibi metuerit, an carissimis suis (L. 8 in fi. *Quod. met. cau.*).

auctoritate publica (32). Illud non interest, utrum aliquis directe impediat, an indirecte. Indirecte autem impedientes heic accipere debemus ut antea, eos qui v. c. Ordinarii *agentes*, *procuratores*, *familiares*, *consanguineos* vel *affines* vexant, molestant (33).

61. Post hos tenet *recurrentes et mandata procurantes*. Scilicet hi impediunt *per alios*. Ait Constitutio nostra *et*, idest, *vel*, quod in jure inusitatum non est (34), nam subest alius personarum ordo. *Recurrere* est alicujus opem contra aliquem, vel aliquid implorare (35): *procurare* heic est, ut opinor, impetrare, obtinere, vulgari potius et usitato quam latino sermone, et non tantum, ut olim censui, negocio operam dare. Uti autem aliquis hoc nomine excommunicationi sit obnoxius, necesse est, si quid judico, ut et recurrat, et mandata edenda procuret, quia 1° B. C. requirit utrumque, 2° unum ad alterum ordinatur (36), 3° denique versamur in odiosis. Quamobrem si judex *ex officio*, uti ajunt, expediat mandatum, ille excommunicationem effugiet. Dixi *hoc nomine*, nam et qui mandatum procurant, etsi alius recurrerit, ei subjacere quasi impedientes, idest post effectum sequutum (§ 59), vix dubium puto. Amplius necesse est recurrere et mandata procurare *ad hoc;* idest *ad impediendum* exercitium jurisdictionis; sive, uti in B. C., ad *eludendum* judicium fori ecclesiastici (37). Quamobrem si qua de alia, non contemnenda, causa recurras; v. c.,

32 Cf. Bonac., cit. Q. XVII, P. 1; Duard., II, Can. XVI, Q. I. Communior sententia affirmabat ex praecedenti, § 15, B. C. (in quo sermo est de personis publicis) cujus velut continuatio sequens § 16 (qui in hunc Art. VI, translatus est) videbatur. Verum privatos eam incurrere ex C. 4, *De Immun. Eccles.* in 6°, communior sententia erat.

33 B. C. 5, 16; Duard., II, Can. XVI, q. 3. Nec ampliori significatione accipiendum est illud adverbium *indirecte*, quamvis liceat salva proprietate verborum; quia jura posteriora ad priora trahenda sunt: maxime cum ea verba *directe* vel *indirecte* addita fuerint a Paulo V, propter judices et potestates saeculares qui, cum non possent ipsos Praelatos prohibere jurisdictione sua uti, vexabant corum agentes, procuratores, familiares, necessarios etc., ceu refert Duard., II, Can. XVI, q. 3. Et familiares accipere heic debemus quotquot, praeter consanguineos et affines, familiae appellatione continentur, ut famuli, domestici in eadem domo commorantes (Bonac. cit. P. 2, n. 7). Consanguineos et affines non usque ad quartum, ut sentire videtur Bonacina, sed non ultra majores gradus, si quid opinor; affines autem, ut vulgo, ex copula licita, et ex cognatione naturali, non legali, aut spirituali (Duard., II, Can. XIII, Q. VII, n. 7).

34 L. 53, *De Verb. Sign.;* Regin., IX, 325; ex B. C. § 16; Avanzi., Comm. Patav., I, 107.

35 Ex L. 6, C. *De Appell.*

36 Ugolin., Duard., II, Can. XVI, Q. VI, 3, 7.

37 B. C. § 16. Sive recurras ne judex ecclesiasticus aliquod contra te praeceptum edat; sive ne editum exequatur (Bonac., D. 1, Q. XVII, P. 1, n. 3). Vel ut judex laicus a judice ecclesiastico negocium avocet (B. C. § 15).

quia judex eccclesiasticus improbe differt, vel quia merito suspectus est, vel quia propter injuriam temporum ei non paretur impune, excomm. cessat (38). Denique recurrendum est *ad forum saeculare* (39). Forum in jure canonico stricta, in jure civili propria significatione, est *exercendarum litium locus*, auditorium, tribunal (40). Extra haec loca forum saeculare non intelligitur. Proinde ex hoc capite excommunicatione eximi puto eum, qui non ad judices recurrit, sed ad magistratus coeteros, qui *forum* non habent; utputa Praefectos Urbium, Magistros militum, Irenarchas, etc. *Ex hoc capite;* nam post effectum sequutum ea tenentur quasi impedientes; nec refert ad quem recurrerint.

62. Denique *edentes mandata.* Edere heic significat condere, ut in C. 53, De S. E., decernere, ut in B. C. § 16, ferre, etc.; proinde excommunicationem non subeunt actuarii qui ea exscribunt, praecones qui ea denuntiant, etc., primo quia hi parere necesse habent, quamvis lubenti animo faciant (nam animus actionem non mutat), deinde quia quando lex voluit hos quoque excommunicatione teneri, id expressit ut in C. 49 *De S. E.* Nec omnes qui edunt mandata hujusmodi contrahunt hanc excommunicationem, si quid opinor, sed si in foro habent jurisdictionem, sine qua mandatum (hujusmodi) ne intelligi quidem potest.

63. Hactenus de his qui huic excommunicationi *principaliter* sunt obnoxii, nunc de iis qui *accessorie.* Ejusmodi sunt qui illis praestant *auxilium, consilium, vel favorem.* Ut ecce qui recurrenti pecuniam suppeditat, ut recurrere possit, vel commendationibus apud edentem mandata gratiosum facit, *vel* judicem corrumpit mandata edentem, etc., nempe post effectum sequutum (41). Num et exequutores ut in B. C.? Affirmant Comm. Patavini, nam impedientibus, vel

38 Covarruv., *Practic. QQ.* Cap. 35, n. 3; Roncaglia, Cap. 3, Q. III, r. 1, Pennacchi, To. I, p. 254. Contra putat Duard., Lib. II, Can. XIV, Q. IX, n. 5, ex CC. 10, 11, 12, Can. II, Q. 1, et C. 17, *De Iudiciis;* quibus vetatur recurrere ad judices laicos: haec sententia in causis spiritualibus, puta matrimonialibus, habet rationem.

39 *Ad forum saeculare.* Si igitur recursum sit ad forum caecum, v. c. ad alium Episcopum, impediendae alterius Episcopi jurisdictionis causa, nec ipsi impedientes incurrunt, quippe utrorumque eadem est ratio. Et innuit Duard., II, Can. XVI, Q. ult. n. 1; Navarr., 37, 69.

40 C. 10, *De Verb. Sign.;* L. 54, *De re judic.;* L. 1, *De Judic.;* Reiff., II, 2, 4. Et canonistae communiter. Dixi *stricta* significatione jure canonico, nam ampliori et vulgari latius patet; ut ecce cum dicimus *forum conscientiae, forum sacramentale.*

41 Duard., II, Can. XV, Q. VII, n. ult.; Filiucc., XVI, 284; Bonac., Q. 17, P. 1, n. 26; Ronc., Cap. IV, q. 1, r. 1; cl. Baller., ad Gury, II, 971; Scavi., 1, 871.

certe inter eos qui auxilium praebent connumerantur. Negant Rom. Comm. primo quia hos praeterit Const. nostra, deinde quia materialem dumtaxat operam praestant (42). Et in re odiosa melius est. Adeoque judex eam non incurrit, qui expedit mandata jussus a Superioribus suis, quibus parere necesse habet; nam si mandatum ab ipsis Superioribus editum sit, ipsi exequutorum loco sunt: sin ipsemet illud ediderit, quasi subordinatus (§ 67, 14) excusari videtur.

VII.

64. « Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal « personas Ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges, vel decreta « contra libertatem aut jura Ecclesiae (1). »

65. Hic articulus duas habet partes, una fori privilegio, altera Ecclesiae libertati et juribus cavet. *Illa* his locis obtinet, in quibus fori privilegio, neque Concordatis, neque receptis moribus, ante Const. A. S. legitime abrogatum fuerat (2); *haec* ubique locorum obtinet. Quoad primam igitur olim excommunicationi erant obnoxii judices qui seu proprio marte seu ad instantiam partis trahebant Clericos ad suum tribunal, seque interponentes in causis criminalibus Clericorum (3); hodie, contra, qui cogunt judices. Objectum hujus censurae est *trahere ad tribunal:* tribunal est locus in quo magistratus *jus dicunt* (4); trahere igitur ad tribunal est, cogere aliquem jurisdictionem ejus subire. Nunc videamus 1° quinam *cogentes* obnoxii sint huic excommunicationi, 2° quos *trahere*, 3° quos *cogere* oporteat, ad eam incurrendam.

66. Principio igitur cogentes accipere debemus *legislatores*, *aliasque auctoritates* (5); idest quoslibet magistratus, ut antea, sive ejusdem, sive alterius Ordinis, lex non distinguit (6). Deinde cogere oportet

42 Comm. Patav., I, 106; Pennacchi, To. I, pp. 256, 258.

1 B. C. §§ 15, 16.

2 Pennacchi, To. I, p. 269, v. *Advertendum.* Et prorsus incredibile est, sapientissimum Pontificem amplissimam hanc atque implexissimam controversiarum et molestiarum segetem, repente, et vix uno verbo suscitare voluisse.

3 B. C. §§ 15, 19; Mart. V, C. *Ad reprimendum,* an. 1428. Quique causas beneficiales et decimarum et alias causas spirituales vel spiritualibus adnexas a judicibus ecclesiasticis avocabant praetextu Literarum apostolicarum (B. C. § 14). Haec quoque igitur excommunicatio hodie cessat.

4 Ex L. 10. *De Just. et Jure.*

5 S. U. I., 26 Mart. 1874. Quod et SS. D. N. Leo PP. XIII probavit, et omnibus locorum Ordinariis declaratum est literis 23 Jan. 1886.

6 Ex § 15, B. C. Adeoque si Procurator Regius, quem vocant, coëgerit Praetorem, excommunicationem incurrit: item si Praefectus Urbis Regium Procuratorem coëgerit.

judices: porro judex is dicitur qui pro tribunali jus dicit, et a Magistratibus ceteris separatur (7): ergo si quos alios magistratus coegerint, excommunicatio cessat. Nec quemlibet judicem, sed *laicum:* at vero judicem laicum accipere oportet ex officio; proindeque et Clericum qui potestate laica judicium exercet (8). Tum necesse est, ut cogat eum trahere *personas ecclesiasticas* (idest eos qui *gaudent* privilegio fori), nempe 1° quasi reos (9), et 2° proprio ipsorum nomine, et 3° principaliter. Ideoque hic non pertinent qui cogunt judices in jus trahere clericos vel (ex primo) quasi testes positos, etc.; vel (ex altero) quasi tutores, curatores etc. (10); vel (ex tertio) ratione causae connexionis, seu continentiae etc. (11). Eoque minus qui illos cogunt trahere coram se, non ut in clericos jus dicant, sed qua alia de causa; puta ut ipsis de plano praecipiant aliquid, ut eos corripiant, admoneant etc. Demum necesse est ut cogant trahere *praeter canonicas dispositiones;* itaque non tenentur hac excomm. eos trahentes in casibus a dicto jure permissis (12). Illud non interest, utrum quis per se cogat judicem, an per alium; directe an indirecte; nec si cogat ad trahendum in judicium poenale ob crimen quoque gravissimum, quia privilegium personae cohaeret; vel civile unius teruncii, quia injuria in trahendo est (13). Sed excomm. non incurrit nisi postquam judex ad suum tribunal clericum traxerit, neque enim ante coegisse dicendus est.

67. Ex his autem manifestum est hanc excommunicationem non contrahere privatos homines, qui cogunt judices vi aut metu incusso: nec qui in aliquo officio publico sunt constituti, *si subordinati sint, etiamsi judices fuerint* (14): nec eos qui cogentibus praestant consilium, favorem, secus ac antea, quia eos praeterit Const. nostra: nec judices ipsos, qui a nemine, ne lege quidem coacti, personas ecclesiasticas ad suum tribunal venire cogunt, quia lex cogentem

7 Ex L. 1, *De Judic.;* et L. 2, *De Reg.*

8 Filiucc., XVI, 10; Duard., II, Can. XV, q. 1, n. 2.

9 *Reus,* a re debenda, dicitur is qui in jus convenitur; hodie in civilibus reum conventum *(reo convenuto)* vel simpliciter *conventum,* in criminalibus praeventum appellant

10 Pirhin., II, 2, 91. Contra Duard., II, Can. XV, Quae. II, n. 38. Non enim Clericus, sed Tutor convenitur.

11 L. 10, C. *De Iudic.,* ex C. 2, *De Caus. poss.,* et ex C. 2. Ut ecce in mutuis petitionibus *(cause riconvenzionali).* Ex C. 2, *De Mutuis petit.* Et est communis sententia (Duard., n. 65): adeoque coram judice laico conveniri posse quasi fideiussores, vel ad evictionem praestandam (Covarr., *Pract.* 99, Cap. 8, n. 3), si quid judico, verius est (Duard., n. 46).

12 Ugolin., Duard., II, Can. XV, q. ult. n. 5. Utputa in causis feudalibus (C. 5, *De Iudic.*), vel clericos joculatores, negotiatores, vel non caedentes in habitu et tonsura.

13 Bonac., Disp. I, Quae. 16, Sect. 5, n. 5; Duard., II, Can. XV, q. 28.

14 S. U. I. 1 Febr. 1871.

a (judice) coacto secernit. At, quod plerique existimarunt, hac censura teneri eos qui Clericos in jus trahunt coram judicibus laicis, nedum a Const. nostra, sed ab ipsa Bulla Coenae alienum est (15); nisi forte a Curia ecclesiastica ad laicam recurrant (§ 53).

68. Altera hujus articuli parte animadvertitur in edentes *leges*, vel *decreta* contra *libertatem*, et *iura* Ecclesiae, nempe Universalis (16). Leges sunt, quae a Suprema Potestate in perpetuum constituuntur; decreta quae a quavis potestate, utputa a Praefecto Urbis, a Municipiis etc. (17) eduntur *generaliter;* non quae eduntur in singulas personas, vel in singulos casus (18); adeoque nec judicum sententiae (19). *Contra libertatem* etc.: haec verba patent latissime, et omne prorsus feriunt legum, vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis Ecclesiasticae, sive jurisdictionis, sive Ordinis, sed quodvis aliud jus intercipitur, restringitur, deprimitur, perturbatur (20), ut puta jus docendi (21), promovendi ad ordines (22), publicas

15 Duard., II, Can. 15, Quae. 10, n. 2, et Quae. 28, n. 4, ex B. C. § 15. Ibi. *Coram* SE ad SUUM *tribunal trahunt, vel trahi faciunt etc.* Nempe *auctoritative* (Sayr., III, 19, 7; Duard., n. 2). *Adeoque nec judex ipse qui clericum trahebat ad tribunal alterius judicis a suo tribunali distinctum,* hanc excomm. contrahebat: *tum quia non videbatur id auctoritative facere, tum quia non trahebat ad suum tribunal* (Bonac., To. III, Disp. XVI, Sect. I, P. IV, n. 13). Nec obstat B. Mart. V (§ 65, 2): constat enim in hac prima nostrae Constitutionis parte excommunicationes quae continebantur in B. C. translatas fuisse, non alias, X[a] tantum excepta: hoc autem, art. VII, agi de ea quae continetur in § 15, B. C., tam certum est, quam quod certissimum. Nec distinguitur utrum is, qui trahit clericum privilegio fori gaudentem ad laicum tribunal, laicus sit, an clericus et ipse. Verum prohibitio manet (§ 22). Et in his locis in quibus huic privilegio derogatum non fuit per Summos Pontifices, si eis non datur jura sua persequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli a proprio ordinario veniam potere ut Clericos, a Rño P. ut Episcopos penes eos convenire possint (S. U. I. cit. Literae 23 Ian. 1886).

16 Suar., 21, 2, 90; Regin., IX, 3; Cajet, V. *Excomm.* C. 31. Olim nonnullis visum fuit etiam laedentes jura et libertatem singularum ecclesiarum incurrere hanc excommunicationem (Say, III, 19, 9; Duard., II, Can. 15, Q. 25); nempe propter ea B. C. verba *quarumcumque Ecclesiarum;* quae cum exulent a Const. nostra, omnis dubitandi ratio sublata est.

17 Ex § 11. Inst. *De Jur. Nat.* etc. Ex L. 6, *De Excusat. Tutor.* L. 31. *Ad Muncip.*

18 Ugolin., ap. Bonac., I, p. 16, Sect. 2, P. 1, n. 2, contra Alter., Filiucc., etc. Ducor 1° ex C. 49, *De S. E.*, unde haec censura primum prodiit; et ex B. C. § 15, quae de hujusmodi decretis cavet, 2° ex hac ipsa Const. nostra, quae *mandata* denominat ea, quae in singulos feruntur (§ 52).

19 Contra Bonac., qui, l. cit., et has contineri putat appellatione *decreti* (Ex L. 48, D. *De Re Judic.*): sed non bene (V. Brisson., V. *Sententia.* Wessemb. *ad Pandect.* 42, I, 4, et cit. L. 48).

20 B. C. § 15.

21 Pius IX, *Syllab.* §§ 22, 33, 45, 47.

22 Ibid. § 32.

supplicationes extra templa vel noctu obeundi, Ecclesias, beneficia, Pia sodalitia excitandi, beneficia conferendi sine ullo interventu Potestatis laicae (23). Immo et jura quae Ecclesiae non uti Ecclesiae, sed uti societati competunt, velut jus acquirendi actibus seu ultimae voluntatis seu inter vivos (24), alienandi, elocandi bona sua ultra novennium, etc., quippe sine his societas, atque ideo Ecclesia, brevi interiret (25).

69. Hanc excommunicationem contrahunt edentes hujusmodi leges vel decreta, auctoritate Laica; sive Laici, sive Clerici (26); et si suffragio v. c. populi, Senatus etc. rogatae sunt, quotquot ei suffragati fuerint (27). Et statim ac fuerint promulgatae contrahitur (28). Non item scriptores (29), praecones qui eas evulgant, proponunt; nec qui faciunt eas observari (30), vel eis utuntur quoque modo (31), ut ecce tabelliones, qui juxta eas conficiunt acta, litigatores qui se his tuentur, Magistratus qui ex eis jus dicunt (32); nec qui eis edendis consilium, auxilium, favorem praestiterint; quippe quos praeterit Const. nostra.

VIII.

70. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas vel acta quaelibet a Sede « Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque pro- « mulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas « partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes (1). »

71. Haec excommunicatio pertinet ad sartam tectam servandam auctoritatem Sedis Apost. quod ad literas, et acta quae prodeunt ab ipsa Ap. Sede, ejusve Legatis, aut Delegatis. *Literae Apostolicae* quae sint dixi § 40. 34. *Acta* Sedis Apostolicae appellantur, quae Romae geruntur a R. P. sive spirituale, sive temporale negocium contineant (2), sive ab ipso immediate proficiscantur, sive mediate a

23 Ibid. §§ 22, 29.

24 Ibid. §§ 26, 27.

25 Ex C. 5, *De immun.* in 6°; Cajet., V. *Excomm.*, C. 31, n. 5; Regin., IX, 358.

26 Bonac., p. 3, n. 1.

27 Ex C. 49, *De S. E.*, Regin., IX, 361; Suar., 21, 2, 89; Duard., II, Can. XV, q. 23, n. 1.

28 Bonac., P. 1, n. 4: non antea, et planum est; quia leges *tunc fieri dicuntur, cum promulgantur.*

29 Duard., II, Can. XV, q. 22, n. 1, contra Alter., et Suar., 21, 2, 79. Hi eam incurrebant ex C. 49, *De S. E.*

30 Suar., 21, 2, 79.

31 Contra B. C. § 15.

32 Contra C. 49, *De S. E.*, et § 15. B. C.

1 C. 3, *De Immun. Eccl.* in 6°; B. C. § 13. In hac B. coërceatur tertium personarum genus, idest omnes qui prohibebant alios accedere ad Rom. Curiam *pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis vel literis impetrandis.*

2 Filiucc., XVI, 199. Item quae geruntur de mandato R. P., utputa ci-

SS. Congregationibus proveniant (3). *Legati* sunt qui a R. P. ad Principes saeculares rei publicae causa mittuntur: *Delegati* quibus aliquod negocium gerendum committitur (4); sive ab homine delegati sint, sive a jure, lex non distinguit.

72. Duo sunt quae prohibentur hoc art. sub poena excomm: 1° *recurrere* etc. ad impediendas literas etc.: et 2° Literarum etc. hujusmodi *prohibere* publicationem vel exsecutionem (5). Et primo *recurrere* etc. (§ 61, 35). Recurrentes heic accipere debemus, ut in veteri jure, tam ecclesiasticos, quam saeculares, cujuscumque dignitatis, sive appellando recurrant seu provocando, seu supplicibus libellis oblatis. Ideo hanc excomm. non incurrit qui in jus vocatus submovet Literas etc. ope exceptionis; v. c. citatus ad solvendam pensionem impositam Litt. Ap. respondet, non fuisse jure impositam. Ad *Laicam potestatem:* potestas heic personas demonstrat, nec, ut puto, omnes quae quodvis munus publicum obeunt, ceu Quaestores, Magistros militum, Syndicos (6); sed eos tantum qui aliquam in cives *potestatem,* idest jurisdictionem exercent, uti Judices, Praesides, Praefecti Urbium etc. Amplius necesse est ad hos recurrere quatenus potestate hujusmodi praediti sunt, et non quasi ad potentiores, vel necessarios, vel amicos (7).

73. Alterum quod heic coercetur est prohibere promulgationem, vel executionem Literarum etc. hujusmodi. *Publicationem*, eam nempe (si quid judico) quae magis in jure, quam in facto consistit; idest non evulgationem, sed publicationem forma et more consueto. Vel *executionem*, idest quaecumque sunt necessaria ut Literae Actave Apostolica effectum habeant; utque hi ad quos pertinent eis uti possint, e. g., si quis tabelliones prohibeat instrumenta super eis conficere, vel confecta partibus tradere, aut partes traditis uti etc. (8). Item si quis impediat quominus *Regio exequatur,* uti ajunt, muniantur, quando eo ex jure civili opus habent: vel, contra, quominus sine eo

tationes, processus, monitoria decreta (Bonac., Disp. 1, Q. 14, P. I, n. 13; Duard., II, Can. XIII, q. 1, n. 1).

3 S. U. I., 13 Ian. 1892, ad 2um.

4 Reiff., 1, 30, 5. Adeoque neque *Legati nati,* quos vocant, heic pertinent, neque Episcopi in his quae obeunt ordinaria jurisdictione tamquam Delegati Sedis Apostolicae

5 V. § 70.

6 Ex cit. B. C., § 13, v. *Et ab ea instante,* etc. Et veterum sententia fuit hanc excomm. latam fuisse in eos *qui ad Curias laicas, et saeculares recurrunt* (Sayr., III, 17, 3; Filiucc., XVI, 192; Durand., II, Can. XIII, Quae. IX, n. 1).

7 Filiucc., XVI, 199; Durand., n. 4.

8 Duard., n. 8; Bonac., Disp. I, Quae. XIV, P. 2, n. 4. Huc pertinent qui impediunt eos qui hujusmodi literas etc. impetrarunt, quominus possint jura sua prosequi penes judices ecclesiasticos, seu ordinarios, seu delegatos (C. 4, *De Immun. Eccles.* in 6°.

executioni mandentur (9), exceptis locis ubi Concordatis aliud cautum est, etsi hodie forte a laica potestate rescissis (§ 23, 21). Nec interest utrum quis directe haec praestet an indirecte, ipsas partes vel alios, hujus rei causa, laedendo, vel perterrefaciendo. Ceterum haec stricte accipienda sunt. Et quia stricta significatione laedi corpus dicitur (10), et *perterrefacere* est plus quam metum facere, ad incurrendam excommunicationem, gravi laesione opus erit, et metu nedum gravi, sed oppido gravi (11). *Alios* autem accipere debemus, non quosvis profecto, sed vel eos ad quos pertinent publicatio vel executio Literarum Apostolicarum, utputa *procuratores, agentes, notarios, executores, subexecutores* (12); vel eos quos laedendo, terrendo, quis partes ipsas, agentes, notarios etc. laedere, terrere intelligitur; ut puta eorum *consanguineos, affines, familiares* (13).

74. Porro hanc excomm. *recurrentes* omnes incurrere, nemo dubitat; sed utrum eam incurrant omnes *prohibentes*, sive magistratus sive privati homines (14), an magistratus dumtaxat (15), non satis convenit. Horum sententia vel ipsi Bonacinae, qui contrariam sequitur, probabilis visa est; et ex B. C. fortasse est verior; licet illa olim communior fuerit, et verbis Const. Nostrae melius cohaereat: utcumque res dubia est (V. § 9). At exceptis recurrentibus et prohibentibus promulgationem vel executionem, nemo alius est obnoxius excommunicationi; adeoque nec hi qui Literas Apostolicas etc., ab aliis impetrata, publicare, expedire, tradere, exequi, vel eis parere recusant; etsi recusent (Episcopi quoque) eo quod nondum Principis, vel Magistratus examen, beneplacitum, consensus accesserit (16); nec (hodie) hi qui illa impetrare, et huius rei causa, Romam adire, accedere vetant, quippe hos praeterit Const. Nostra.

9 Cf. Duard., Quae. V, n. 2. Nec audiendus est Covarr., *Practic. QQ.*, Cap. 35, n. 4, qui sequutus est Driedonium docentem (Lib. I. *De lib. Christ.*), fas esse Principibus laicis decernere, ne quis sine suo examine et beneplacito utatur Literis Apostolicis; nam ad hanc sententiam explodendam pertinent ea verba B. C., qua excommunicantur qui eas executioni mandari prohibent sine eorum beneplacito et consensu vel examine.

10 Brisson., Vocab. Jur. V. *Laedi.*

11 Quin multi ex Canonistis in C. 1, *De Offic. Judic., De leg.* putant non verbis tantum opus esse, sed et factis, ut quis territus dici possit, nam terrere, ajunt, est ad terram dejicere (Albit., *De Incon. in fide* XXVIII, 63). Quod non puto verum; nam terror, Tullio auctore, est - *metus concutionis* - unde illa apud ipsum - *terrere minis - terrere denunciatione periculi.*

12 Ex B. C., § 13.

13 Cit. § 13, V. § 60.

14 Ugolin., Duard., Can. XIII, q. IX, 5; Reginald., IX, 328; Bonac., et, uti videtur, Navarr., 27, 63.

15 Sayr., III, XVII, 6; Graff., in B. C., Art. 13; Filiucc., XVI, 199, 202.

16 Reginald., IX, 324, 327; Bonac. cit. P. II, n. 18.

75. At recurrentes et impedientes omnes excommunicationem incurrunt sive Laici sint, sive Clerici (17): et licet tantum ad tempus recurrant, vel impediant; v. c., quoad alter obtinuerit *Regium Exequatur*, vel quoad restituerit ablatum injuste (18). Nec excusantur quia recurrunt, impediunt, etc., non ex contemptu Apostolicae Sedis, sed quia putant nocitura sibi Acta vel Literas hujusmodi; inest enim contemptus reipsa: nec si ea obreptitia esse dicant; primum quia hoc dispicere pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, deinde quia secus latissima cavillationibus et fallaciis sterneretur via (19).

76. Verum quaestio elegans est, quando excomm. eos teneat, statim ne, an post effectum sequutum. De PROHIBENTIBUS Interpretes digladiantur (20): et hoc nobis satis heic esse videtur (§ 9). Nihilominus mihi vera videtur sententia Bonacinae existimantis excommunicationem statim incurri (21): nam si prohibitio in jure consistit, nempe editis mandatis, haec in casu, quasi leges quaedam, promulgatione consummantur; sin in facto, idest laedendo vel perterrefaciendo, haec coerceri videntur quasi delicta sui generis, quia lex eo spectat, ut Literas, actave Apostolicae Sedis quisque libere et sine metu expedire, expeditisque uti possit: dummodo et laesio gravis fuerit, et minae tantum terrorem habeant, ut nemo regulariter contra facere audeat (22), nec ausus fuerit. In RECURRENTIBUS Bonacina idem juris esse putat, idest excommunicationem incurrere *etiamsi laicus judex appellationem* (recursum) *non admittat* (23). Sed vereor ne verum sit; etenim recurrentes rei sunt *accessorii*, et recursus instar *conatus* est, quem, ante quam delictum principale, coercere, incivile est, et inconsultum. Amplius, hi in eadem causa sunt ac recurrentes ad forum saeculare ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae (§ 61). Demum in Bulla in Coena Domini § 13 desiderari effectus videtur: atqui in favorabilibus leges posteriores ad priores

17 Bonac., P. 1, n. 26; Filiucc., XVI, 199. Cujuscumque dignitatis (Duard., II, Can. XIII, Quae. 1).

18 Reginald., IX, 322. Non enim cessat injuria in Sedem Apostolicam.

19 Duard., Quae. V, n. 3; Bonac., P. 2, nn. 19, 20, nisi forte constet revera esse obreptitia, et Judex Ecclesiasticus adiri nequeat, et sit in mora periculum (Tolet., V. *Excommunicatio* n. 9; Sayr., III, I7, 5). Aliud juris est si quis credat ea falsa esse: nam si falsa sunt, excusatur reipsa (§ 9); sin minus, bona fide excusatur (V. Schm. V, 20, 4).

20 Pennacchi, To. I, p. 288.

21 Bonac. cit. P. 2, n. 28.

22 Ex L. 7, § *Sunt quaedam* (alias 11). *De Extraord. crimin.*

23 Bonac., P. 1, n. ult. Nititur auctoritate Filiuccii, XVI, 199, qui contrarium docet: docet enim excommunicationem incurri, *modo saecularis Curia appellationem per recurrentes interpositam faciat admitti.*

trahendae sunt (§ 21, 13). Itaque reor, hos excomm. tunc demum incurrere, cum prohibitio effectum habuerit; seu *jure,* idest post editam a Curia laica prohibitionem; seu *facto,* nempe postquam is, qui *Litteras,* etc. obtinuerat, laesione aut minis desistere coactus est.

IX.

77. « Omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum « gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancel- « larios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: « nec non falso publicantes Literas Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes « supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Gerentis « vices praedictorum (1). »

78. Hac excommunicatione coercetur crimen falsi, nempe ob reverentiam literis et subscriptionibus Apostolicis debitam, et propter eos qui haec impetraverint (2). Crimen falsi est — *Veritatis immutatio vel suppressio in fraudem alterius* (3), vel *sui commodum* (4) *facta* — Uti igitur aliquis incidat in crimen falsi, necesse est, 1° ut veritatem immutaverit, vel suppresserit; 2° ut dolo malo (5); 3° ut hoc alteri graviter nocere vel sibi prodesse (6), atque ideo ut falsitas ea sit, quae alterum decipere (7) possit. Si unum ex his desit, poena falsi locum non habet (8). Qui falsum admittit, dicitur *falsarius,* licet falsum admiserit semel tantum (9). Hoc crimen admittitur dictis, factis, scripturis. Heic coercetur quod circa scripturas versatur; nec omne, sed quod fit circa Apostolicas *literas,* vel *signaturas;* sive gratiae, sive justitiae.

79. Literae apostolicae quae sint, novimus (§ 40, 34): supplices petitionis libelli Rom. Pontifici oblati, postquam ab ipso fuerint admissi, *signaturae* nuncupantur (10). *Gratiam* autem continere *dicuntur* illae quae continent aliquod R. P. beneficium, seu liberalitatem (v. c. dispensationem, absolutionem, pensionem, etc.): *justitiam* quae *ad lites,* idest ad causae alicujus cognitionem et definitionem per-

1 C. 7, *De Crim. falsi;* B. C. § 6.
2 Suar., 21, 2, 49; Pal., 29, D. 2, P. 7, n. 4.
3 Renazzi, 5. *Synops. Elem. Jur. Crim.,* Lib. IV, Cap. 24, § 20.
4 Filiucc., XVI, 189.
5 L. 20, ad L. Cornel., *De Fals.*
6 Pirhin., V, 20, 1; Reiff., V, 20, 1; Schmalz., V, 20, 6; Filiucc., l. c. Nihilominus in publicis scripturis falsitas coercenda est officio judicis, etiam sine cujusquam damno, quia pessimi exempli res est (Carmign., *Elem. Jur. Crimin.*).
7 Ex L. 7, § *Dolus malus, De Pact.* Scilicet falsum sine dolo, *dolus sine evidenti calliditate non fit.*
8 Reiff., V, 20, 1; Schmalz., V, 20, 4.
9 Pirhin., V, 20, 25; Schmalz., V, 20, 35. De quo olim subdubitatum fuit (Ex C. 7, *De Crim. Fals.*).
10 Navarr., 27, 62; Duard., Lib. II, Can. VI, q. I, n. 5.

tinent (11). Huc igitur non veniunt signaturae, vel literae cujusvis alius, et nedum quae prodeunt ab Episcopis, a S. R. E. Cardinalibus, etc., sed nec illae quae ab his prodeunt, qui R. P. auctoritate et mandato negocia expediunt; ut ecce a SS. Urbis Congregationibus, a S. Poenitentiaria, a Nunciis Pontificis, a Legatis Apostolicis etiam *a latere* (12). Immo nec literae Apostolicae, vel rescripta nondum signata, vel munita plumbo aut sigillo; quia cum nondum *authentica* sint, nondum valent (13); nec ea quae valere sic desierint, ut amplius valere non possint (14).

80. Falsum, quod in literis etiam in forma Brevis (15), et signaturis Apostolicis coercetur, illud est, quod fit seu 1° veras corrumpendo, vel falsas confingendo; seu 2° ILLAS falso *publicando*, aut HAS falso *signando* sub nomine Rom. P., aut Vice Cancellarii, aut Gerentis vices eorum. *Corruptio* intelligitur cum aliquid variatur, deletur, additur (16); ita nempe ut mutet sensum a R. P. principaliter intentum (17). *Publicare* est evulgare: quamdiu igitur Literae Apost.

11 Latini Elem. Jur. Civil. ad usum Semin. Reatini, Lib. 1, Tit. 2, § 37.

12 Navarr., 27, 62; Regin., IX, 289; Suar., XXI, II, 42, 49; Schmalz., V, 20, 28 (Duard., l. c., q. 10, n. 7, subdubitat de literis quae prodeunt a Legatis a latere, quippe, ait, R. P. vices agunt). Nec obstat, quod ea quae prodeunt a S. Poenitentiaria nonnunquam *Bullae* dicantur; non enim *Bullae Apostolicae*, sed *Bullae Poenitentiariae* dici solent (Rebuff., De Luca, Reiff., I, 1, 21). Dubitari potest, num Literae vel signaturae Apostolicae dici possint dispensationes Matrimoniales, quae hodie ab hac expediri solent pro foro externo: nam eas expedit loco et vice S. Datariae, atque ideo, ipsa quoque, ut organum Papae - Non puto, non enim sub nomine R. P. (ceu quae a Dataria expediuntur *in forma Brevis*), sed sub nomine E.mi Poenitentiarii majoris expediuntur: utrum vero S. Poenitentiaria sit, prout S. Dataria, organum Papae, non satis liquet (V. Summul., III, 414).

13 Ex L. 6, *Ad L. Corn., De Fals.* V. Duard., II, Can. VI, q. I, n. 6; Bonac., q. 7, P. 3, n. 11. At vero ad effugiendam excomm. non proderit falsificanti quod literae hujusmodi non valeant ex vitio aliquo intrinseco; puta quia obreptione, vel subreptione, vel injustitia laborant, quia literae Apostolicae exinde esse non desinunt (Navarr., 27, 62; Silv., Richar., Reginald., IX, 290; Bonac., n. 9).

14 Navarr., XVIII, 169; Regin., IX, 289. Utputa dispensatio matrimonialis, mortuo dispensato: non item si possent, ut ita dixerim, reviviscere, (Duard., Can. VI, q. VI, n. 4), e. c., dispensatio a servitio chori ad tempus, hoc elapso (Bonac., l. cit., n. 1); aut si corruptio inducat aliquid contra fidem, vel bonos mores, vel justitiam; quod scite animadvertit cl. Pennacchi, T. I, p. 298.

15 *Etiam* - Scilicet excomm. lata in falsificantes Bullas, ex C. 7. *De Crim.* producta fuit ad falsificantes brevia, interpretatione Canonistarum (v. Reiff., I, 1, 18; Ferrar., V. *Brevia* n. 20); nec omnibus consentientibus (V. Reginald., IX, 288).

16 CC. 5, 6, *De Crim. Fals.*; L. 2, D. *Ad L. Corn., De Fals.*

17 Ex C. 9, *Eod.*; Suar., 21, 46. Immo falsitas non intelligitur, si error tantum, v. c., grammatices (quod hodie

(et non id tantum quod eis continetur) in vulgi notitiam non venerint, etsi pauci sciant, excomm. cessat (18). *Signare* heic est subscribere supplicationem (19), postquam ei falso rescripseris - *fiat* (20).

81. Sed ut excommunicatio locum habeat, necesse est, 1° ut haec dolo malo fuerint admissa (21); quamobrem si falsas literas confeceris, aut veras corruperis mox laceraturus, verius est excommunicationem cessare (22): 2° ut, si alterius intersunt, hoc alteri noceat graviter, aut nocere possit (23); *alterius* inquam, nam, si intersunt tua, sat est illa quoquo modo falsificasse, et planum est: 3° demum ut falsitatem perfeceris, compleveris (24). At cum falsitas perfecta fuerit, excommunicatio statim (25) contrahitur (excepta ea quae admittitur confingendo, *falso publicando,* literas apostolicas) tametsi falsificatis Literis, aut rescriptis, facti poenitens, non utaris (26); et, verius, licet ipsum rescriptum obreptitium sit, vel obreptitium: lex non distinguit.

Tenet autem corrumpentes, publicantes (non, ut in antiquioribus BB. in Coena Domini legi solitis, *fabricantes*), signantes: et praeterea neminem; non retinentes, qui nec antea tenebantur; non fautores, nec consulentes, quia ex veteri jure (27) heic omittuntur; non cooperatores (Arg. ex Art. III, Sect. III); neque, verius, mandantes (28); eoque minus qui scienter impetrat literas vel rescripta obreptitia, vel subreptitia; vel ementito sibi nomine impetrat (29).

nemo fere dubitat), vel nominis, cognominis, patriae, etc., fuerit emendatus (Bonac., P. 2, n. 3); non enim temerat, sed potius restituit veritatem, qui errorem emendat (Schm., V, 20, 23; Sayr., III, 10, 12; Duard. cit., Can. VI, q. VII, n. 3). Item si R. P. intenderit dispensare v. c. in 2° gradu, et in rescripto contineatur, Eum dispensare in 3°; de quo tamen gravius dubitat Suar., n. 47 (Sayr. et Duard. ll. cc.).

18 Pennacchi, To. I, p. 304.

19 Ex § 7, *Inst. de Public. Judic.;* Duard., II, Can. VI, q. 1, n. 6.

20 C. 8, *De Crim. Fals.;* L. 20. *Ad L. Corn., De Fals.*

21 Sylv. V. *Excomm.* VII, 8; Duard., XX, 2.

22 Cajet. V. *Falsarius;* Graff., Navarr., XXVII, 62; Alter., Duard., Can. VI, q. 10, n. 2.

23 Duard., II, Can. VI, q. V, n. 3; q. VI, n. 6. V. c., si aliquid interleveris aliud substituturus, et revera hoc substitueris (Duard., loc. cit.; Bonac., P. 3, n. 12.

24 Duard., q. X, n. 21, et Bonac., l. c.

25 L. 8, *Ad L. Corn., De Fals.*

26 C. 7, *De Crim. Fals.;* quo coërcebantur excommunicatione, sed nemini reservata (Alterius, ap. Duard., q. X, n. 22). Duardus tamen Alterii sententiam non probat, tum exemplo Literarum apostolicarum, quae valere desierint (§ 79, 14); tum quod nemini heic fit injuria.

27 Cit. C. 7; Bonac., q. 7, P. 3, n. 8, ibiq.; Ugolin., Grass., Alter., Filiucc., XVI, 191; Pennacchi, To. I, p. 301.

28 Navarr., 27, 62; Reginal., IX, 290. Contra L. 29, *Ad L. Corn., De Fals.;* Duard., II, Can. VI, q. 3, n. 4. Utentes excomm. quidem incurrunt, sed Ordinarii reservatam (§ 162).

29 Filiucc., XVI, 286; Duard., Bonac., l. cit., n. 4: isti enim et hi deci-

X.

82. « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos « licet non approbatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit « excipere morientis confessionem (1). »

83. Heic interrumpitur series casuum reservatorum in B. C.; et magis prohibitio excipiendi confessionem versatur, quam stricti nominis reservatio. Objectum hujus excommunicationis est absolutio complicis in peccato turpi: ante omnia igitur videamus quid peccatum turpe, quis complex. Principio igitur peccatum turpe est (ut Nostris fere alias semper) *peccatum inhonestum contra sextum decalogi praeceptum* (2): adeoque nedum turpia facta heic veniunt, sed et (secus ac antea existimavi) turpia verba (3), turpes aspectus (4). Complicem vero accipere debemus *socium criminis* (5): idest quasi implexum in eodem crimine; ac proinde nedum delinquentes principales, quos vocant, sed et accessorios, qui nempe turpiter delinquentibus opem, v. c. lenocinium, praestiterunt (6).

84. Sed ut aliquis criminis socius dici possit, necesse est, ut ejus particeps sit; adeoque ut peccatum adsit ultro citroque, ac ultro citroque sit grave in ipso quoque opere externo (7). Verum haud

piunt, fallunt, non depravant. Qui autem his utitur, incurrit aliam excommunicationem Episcopo reservatam (§ 162). Olim excommunicationem contrahebant et illi, penes quos falsae literae erant, nisi intra 20 dies eas destruerent (C. 4, § ult. *De Crim. Fals.*).

1 Ben. XIV, C. *Sacram. Poenitentiae*, § 4. V. C. *Apostolici muneris*, §§ 3, 4, C. *Inter praeteritas*, § 29.

2 Ben. XIV, cit. B. *Sacr. Poen.* § 4.

3 Joannardi, *De confessario complicem absolvente*, Faventiae 1781, Dissert. I, Cap. 2; S. Alph., VI, 554. *Communissima* - Scilicet complices (vox parum latina) vocamus quos Romani *conscios* vocabant (V. L. *Utrum*, ad L. *Pompej. de Parricid.*): *conscios* autem et *temeritati et mendacio* Tullius in Vatin. appellat. Ad haec P. Haidd. in *Enchirid.* refert, P. Turanum ex ipsomet Bened. XIV accepisse, illis verbis *peccatum inhonestum* etc., omnia comprehendi *sive operis, sive oris* (Joannar. cit. Cap. 2). Nec repugnat L. 7, ad L. *Iul. Majest.* - *Lubricum linguae facile ad poenam trahendum non est* - non enim omne turpe et obscoenum verbum, immo non omne turpiloquium letale peccatum est (V. D. Tho., 2, 2, 153, 5, ad 4; S. Alph., III, 426); hic autem ea tantum pertinent quae letali non carent.

4 Joannardi, l. c.; nempe si complicitatem important (S. U. I., 28 Maji 1873). Et planum est.

5 C. *Apostolici muneris*, § 3. Hodie *complices* vulgo vocant *agenti secondarii*, qui nempe delinquenti vel delinquentibus consilium, favorem, opem praestant (Carmignani, *Teoria* etc. L. II, Cap. 19, § 1): at hac in re complicis, socii appellatione, ipsos quoque delinquentes principales, quos vocant, immo hos in primis contineri palam est.

6 Joannar., l. c.; Ciolli, § 91; Del Vecchio, I, 582 (Mediolani, 1880).

7 Joannar., l. c.; Salmatic., *Append. De Bulla Cruciatae*, VI, 282; S. Alph.,

opus est, ut actus turpis adfuerit ultro citroque, sed satis alterum alteri ita consensisse, ut a letali excusari non possit (8). Illud non quaeritur cujus sexus sit complex (9); nec utrum Confessarius cum eo peccaverit tunc cum laicus erat (10); nec, si quid opinor, utrum confessarius sit, vel errore communi habeatur, an simplex sacerdos, quia Constitutio Nostra *absolventes;* C. Apostolici ministerii *sacerdotes*, sine ulla distinctione coercent (11).

85. His praemissis, inquirendum est 1° de prohibitione excipiendi sacramentalem complicis Confessionem, 2° de excommunicatione, 3° de absolutionis validitate aut invaliditate. Quod ad primum in CC. Benedictinis duo vetantur, et confessionem complicis excipere, et eum absolvere, sed manifeste, ni fallor, unum propter alterum vetitum est, adeoque revera unum tantum. At naturali jure, *nec sacerdos debet audire confessionem mulieris cum qua peccavit de illo peccato, nec mulier ei confiteri propter periculum.* Utrum autem hoc grave sit, an leve, ex ipso periculo metiri convenit; et in dubio utrum periculum proximum sit an remotum, proculdubio letali non caret. Sed necesse est ut sacerdos excipiat confessionem, vel excipere pergat sciens prudens, et planum est: itaque excusabitur nedum si complicem non agnovit, aut suae complicitatis non meminit, sed si periculum non animadvertit.

86. Verum ut sacerdos excomm. incurrat, necesse est ut et complicem absolvat, et absolvendo letali non careat. 1° *Ut absolvat;* porro heic *judicium* agitur, et absolutio est instar *sententiae:* quamobrem ex hoc capite duo sunt necessaria, ut et crimen in judicium fuerit deductum, et judex super eo sententiam dixerit; itaque sive penitens peccatum reticuerit (12), sive confessarius poenitentem inab-

l. c. Itaque si alter manum alterius strinxerit, si eum ex more regionis deosculaverit turpi affectu, qui exterius non apparet, complicitas ne intelligi quidem poterit.

8 Joannar., l. c. Ut ecce si mulier non invita deosculari se, vel contrectari, vel adipisci turpiter passa est. Si turpiter loquenti aures praebuit non invita.

9 Joannardi, Diss. I, Cap. IV; Gousset, § 448; Gury, II, 485.

10 Joannardi, l. c., v. *quo fit;* Scavi., III, 485.

11 Joannar. contrariam sentent. probabilem putat (Dissert. III, Cap. III, v. *Tandem*), etsi ei non adhaereat: verum ex Bulla *S. P.* § 4, res confici posse videtur, ait enim *absolutionem irritam fore tametsi (sacerdos) alioquin ad confessiones excipiendas* (sit) *approbatus.*

12 D. Tho., Suppl. 20, 2, ad 1. *In tali confessione, judicio peritorum, raro reperitur verus dolor ac propositum; concurrit periculum novae seductionis ex parte poenitentis; praebetur nova occasio ruinae spiritualis ex parte poenitentis, et confessarii reciproca; ex diminutione verecundiae diminuitur formitas propositi et doloris* (Amort, *De Poenit.*, Disp. 10, § 2, n. 6).

solutum dimiserit, cessat excommunicatio (13). Quid si is absolutionem simulavit? S. Alph. tenet idem juris esse ac si poenitentem dimiserit inabsolutum; S. Poenitentiaria semel et iterum contra (14). Illud nemo unquam dubitavit, aut dubitat, nefas esse absolvere poenitentem a peccatis ceteris, et pro hoc absolvendo ad alium confessarium remittere, quod in reservatis quandoque licet (15). 2° *Et absolvendo letali non careat,* et planum est. Cessat igitur excomm. si et confessarius dubitet merito utrum is quem absolvit sit complex, an alius forte (numquid enim quaerere id debet? aut potest exquirere nomen poenitentis?); vel dubitet an cum eo peccaverit graviter etiam quoad opus externum (16); vel eum absolvat ex urgentissima causa, ne occasione hujus reservationis is pereat (17), et in primis in articulo seu periculo mortis, quando scilicet alius sacerdos adhiberi nequit sine periculo infamiae, vel sine scandalo (18), vel sine gravi offensione ipsius poenitentis, veluti si ab alio refugiat inimico forte aut consanguineo (19), vel si alius post coeptam confessionem supervenerit, quia *ubi semel acceptum est judicium ibi et finiri debet* (20). Quando autem confessarius absolvendo complicem letali non caret, ab excommunicatione eum non excusat ignorantia, si fuerit crassa et supina (21). Quaesitum est an incurrat excomm. qui absolvit complicem jam ab alio rite absolutum: negat S. Alph. et est aequius (22).

13 S. Alph., VI, 556, et Joannardi, Dissert. III, Cap. 3.

14 S. Poenit., 9 Oct. 1751, et 1 Martii 1878. Et ita prorsus tenendum est (S. U. I., 5 Dec. 1883, facto verbo cum SS.mo die 10 ejusdem mensis. Acta XVII, p. 555).

15 V. S. Alph., VI, 385. Ratio est quia heic revera non reservatio subest, non enim judicium ad Superiorem avocatur, sed prohibitio absolvendi (quod belle animadvertit Joannardi, Dissert. II, Cap. 1), atque ideo excipiendi confessionem sacramentalem complicis (§ 82).

16 S. Alph., VI, 554, Dub. 2. Ut puta si merito dubitet utrum turpiloquium fuerit grave, si poenitentem ex more regionis deosculavit, sed *intus* aestuans. Et congruit regulis juris, quia nemo in dubio expoliandus est jure suo.

17 Ex Trident., XIV, *De Poenit.,* Cap. VII; Ballerini ad Gury, II, 587; Pennacchi, To. I, p. 316. Nempe *indirecte,* praeterquam in periculo mortis. Licet enim heic non reservatio subsit, sed mera prohibitio, nihilominus haec prohibitio quia *jurisdictionem adimit,* reservationi proxima est, et reservationis jure in pluribus metiri debet: quin TT. eam reservationem simpliciter appellant, et eodem jure censere videntur.

18 B. *Apostolici Muneris,* § 3. Dixi *vel* ut in hac Bulla; etenim indubium videtur, coniunctionem *et,* qua utitur Constitutio nostra, heic pro disjunctione accipiendam esse, ut alias in jure (L. 53, *De Verb. Signif.*).

19 Ex S. Alph., VI, 563.

20 L. *Ubi,* 30, *De Iudic.;* Ex S. Alph., l. c. Et vix sine infamiae periculo, aut ne vix quidem desisteret.

21 S. U. I., 13 Ian. 1892, ad tertium.

22 S. Alph., VII, 555. Alii contra putant, quia lex non distinguit. Sane quaeri potest, utrum lex removeat

87. Absolutio data complici, quamvis bona fide confitenti, nullius momenti est, praeterquam in periculo mortis (23). Sed utrum quoad omnia irrita sit, quia Bened. XIV eam irritam omnino esse jussit (24); an dumtaxat quod ad peccatum turpe, ceteris paribus, quia adimit Confessario jurisdictionem tantum quoad peccatum hujusmodi? (25) Ego hoc magis puto. Quid si complex jam ab alio rite absolutus fuerit? Quidam putant neque deinceps absolvi posse, quia complex esse non desinit, et ita Bened. XIV respondisse fertur Episcopo Brugnatensi (26). Sed alii contra putant, quia peccatum hujusmodi tunc instar venialis intelligitur, venialia autem sub reservatione non cadunt (27): et rectius. Ad ultimum puto absolutionem prima vice ratam esse etiam quoad peccatum turpe, nedum in articulo mortis, sed quoties Confessarius illud citra sacrilegium absolvit (28); primo quia Const. Ben. XIV orta fuit ex *abusu jurisdictionis*, et ad *Sacerdotes sacrilegos* pertinet; deinde quia nullitas absolutionis onerat poenitentem, ideo quasi quaedam poena est ipsius quoque: et si Confessarius eximitur poenae, eximi et poenitentem aequum est (29).

confessiones hujusmodi *in primis quia* inverecunda res est, et periculi plena; vel *cum primis*, ne facilitas absolutionis obtinendae peccandi et relabendi licentiam foveat. Et si hoc est, uti videtur, probabilius, sententia nostra intrinsece quoque probabilis est, et fortassis probabilior. Sed etsi verius sit poena de qua agitur periculis hujusmodi cautum esse, inconsulta prorsus ea lex, eaque poena foret, quae nullo negocio, reticito nempe eo peccato, eludi potest.

23 C. *Apostolici muneris.*

24 S. Alph., VI, 555.

25 Pavone, *Spicilegio*, etc. § 156. *Sublata* (en verba Bul. S. P. § 4) *propterea illi quacumque auctoritate et jurisdictione ad quamcumque personam* AB HUJUSMODI CULPA *absolvendam.* Sane effectus ex causa metiri debet. Quid quod durum videtur innoxium poenitentem (nam de eo loquimur qui bona fide ei confitetur), ligatum manere, et diabolo obnoxium? Ceterum quaestio eo redit utrum is peccata sua omnia denuo confiteri debeat: atqui in dubio confessio possidet.

26 V. Balleri., ad Gury, II, 587.

27 Joannar., Diss. II, Cap. 2, v. *Quare.* Qua in re ego quidem neque Epistolas, neque Bullas Ben. XIV, sed Const. nostram cum primis (Arg. ex §§ 103, 122, 135, 141) consulendam puto (§ 19). Sane hodie hic casus eodem jure, quo ceteri casus omnes reservati regulariter metiri debet; eo quoque nemine quod inter casus reservatos nominatim recensetur: atqui in ceteris casibus, cum semel rite absoluti fuerint, reservatio cessat. Verum non ideo putandum est licitum esse exinde excipere confessionem complicis, cum enim hoc vetitum sit naturali jure propter *periculum*, hoc ex periculo hujusmodi, non aliunde aestimari oportet, si quid opinor.

28 Scavi., III, 485; Pennacchi, To. I, p. 312, ubi late et solide. Contra putant, *Revue Theologique*, To. III, p. 287, n. 2, et Grassi, *De Sacr. Poenit.*, Cap. XIV, Q. XI, n. 3.

29 Del Vecchio, 1, 582; Alas., Stuar.

XI.

88. « Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas Ecclesiasticas « ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes (1). »

89. E diverticulo in viam revertimur; nempe ad Bullam in Coena Domini legi solitam. Jure Canonico excommunicantur qui bona Ecclesiae vel usurpant, vel alienant. De alienantibus infra. Usurpantium duplex genus est; nam vel usurpant quae competunt personis Ecclesiasticis ratione suarum Ecclesiarum, seu beneficiorum; vel cetera usurpant. Illi excommunicationem incurrunt R. P. speciali modo, hi simpliciter reservatam. Qui vero citra usurpationem alienant, vel recipiunt, excommunicationem quidem incurrunt, sed nemini reservatam. Dixi citra usurpationem, nam alienantes et recipientes bona usurpata sive ad personas ecclesiasticas sive ad loca pia spectantia, Tridentinam excommunicationem incurrunt (2).

90. Principio igitur *objectum materiale* hujus excommunicationis sunt 1° *jurisdictio* : jurisdictionem accipere debemus juris dicundi potestatem sive quoad res, sive quoad personas; adeoque et imperium seu merum seu mixtum (3). Non quamlibet inquam, sed eam quae cuique competit ratione suae Ecclesiae vel beneficii, atque ideo ordinariam tantum (4), seu spiritualem, seu temporalem, et non temporalem tantum, ceu unus existimavit Alterius, quia in B. C. plurali numero dicitur *Jurisdictiones* (5). 2° *Bona* tum immobilia, sive

1 B. C., § 17; C. 13, *De Elect.*, in 6°. Hanc excommunicationem insertam fuisse in B. C. pluribus ostendit Sayr., Lib. III, 21, 3.

2 Pius IX, Alloc. 25 Jul. 1873; S. U. I., 8 Jul. 1874; Scav., I, 912, Resolve, 1, 2, etc.

3 Ugolin., Suar., 21, 2, 95; Duard., II, Can. II, Q. III, n. 13; Bonac., Disp. I; Q. 18, P. 2, n. 2. Nec non coercendi delinquentes (Filiucc., XVI, 219): quae jure canonico et jamdiu receptis moribus jurisdictionis appellatione continetur. Et non quodlibet faciendi aliquid jus, licet jurisdictionis vocabulo, nempe late accepto, nuncupari soleat; ut ecce si Religiosus, vel saecularis Sacerdos invito Parocho praesumat extremam unctionem, aut viaticum ministrare (§ 133), aut baptismum. Et ideo hanc excomm. non incurrunt Parochi *intrusi*, quia Parochi nullam habent jurisdictionem in foro externo; licet intrusio, ut verbis utar S. C. C., *redoleat usurpationem, quam* Conc. Trid. Sess. XXII, Cap. XI, *de Reform. anathemati subjecit, et Const. Ap. Sedis obnoxiam declaravit excomm. l. s. speciali modo R. P. reservatae* (Decr. 23 Maji 1874). Et re quidem vera Pius IX eos primum in Helvetica Foederatione Liter. 21 Novemb. 1873, tum in Provinciis Venetiarum et Mediolanensi, per eamdem S. C., excommunicat. R. P. reservatam ipso jure incurrere jussit.

4 Duard., n. 14.

5 Ugolin., Duard., Q. III, n. 13; Suar., 21. 2, 95; Filiucc., XVI, 219; Bonacina cit. Q. 18, P. 2, n. 3. Ut ecce

pleno, sive solum utili, sive directo solum dominio ea possideant (6); tum mobilia, tum jura (7). 3° *Reddítus,* idest quidquid res fert, vel percipitur intuitu rei (8); non item quod operis alicujus intuitu percipitur, ceu *stolae* redditus, quos vocant, distributiones quotidianae, etc. (9); eoque minus quae data aliqua occasione obveniunt, seu *proventus*, secus ac antea, quia Const. nostra hoc omisit (10). *Bona, jura, redditus;* quae nempe pertinent ad personas ecclesiasticas, et ratione suarum *ecclesiarum,* quibus videlicet adscripti (intitulati) sunt (11), vel *beneficiorum*, beneficii vocabulo stricte sumpto (12). Nec distinguitur inter personas, v. c., si agatur de simplici tonsurato vel de Romano Pontifice; nec inter beneficia, e. g., libera vel jurispatronatus, saecularia vel regularia (13). Dixi 1° *ad personas* etc.,

si Archiepiscopus suffraganeis suis, vel Episcopus Abbati nullius in sua Dioecesi forte existenti interdicere velit aliqua re et sibi vindicare quae ad jurisdictionem eorum pertinet. Nec obest quod de jurisd. spirituali sit actum superius (Duard. cit. n. 13), sive quia illa de impedientibus agitur heic de usurpantibus: sive quia heic jurisdictio inspicitur quasi fructus Ecclesiae vel beneficii (Bonac., Q. 18, P. 2, n. 3). Et ita forte, uti Alterii opinionem exploderet, legislator non *jurisdictiones* hoc dixit sed *jurisdictionem.*

6 Verum de his postremis, idest datis in emphyteusim, si usurpator directum Ecclesiae, vel beneficii dominium agnoscit, et pacta in emphyteusi conventa, non puto excomm. incurrere, quia nihil usurpat Ecclesiae, vel beneficio.

7 Ex L. 37, D. *De Usuris Jura,* ut ecce nomina debitorum.

8 Ex L. 5, § *Quaerere ergo,* D. *De Reb. eor. qui sub tut. sunt.* Sic dicti quia quotannis redire solent (Duard., Q. IV, 6).

9 Bonac., n. 10; Duard. cit. Q. IV, n. 10.

10 Nec dicas cum Duard., l. c., n. 7, proventuum appellatione etiam fructus et reditus contineri ex C. 7, *De Donation.* Nam et propria (L. 5, § Non passim. *De Reb. eor. qui sub tut.*) et vulgari, et recepta penes nostros significatione *nomen proventus generale erat, et ad omnes obventiones, emolumenta, decimas, oblationes, eleemosinas fidelium pertinebat* (Filiucc., XVI, 220: Bonac., cit. P. 2, n. 8, ibiq. Ugolin., Alter. etc.).

11 Ecclesiae hujusmodi sunt Collegiatae, vel Cathedrales, in quibus nulla facta est divisio praebendarum, ut in Basilica nostra Reatina; et ecclesiae *receptivae,* seu patrimoniales *innumeratae.*

12 Nomine beneficii veniunt Capellaniae ecclesiasticae erectae in titulum.

13 Bonac., P. 3, n. 5. Quid si quis haec usurpet, sequestret, dum beneficium vacat? Cajet., et Tolet. putant excommunicationem cessare. Contra putant Navarr., 27, 69; Regin., IX, 372; Bonac. loc. cit. n. 31, ibique Spor., et Ugolin., Suar., 21, 2, 97; Sayr., III, 21, 4; Filiucc., XVI, 217; Duard., II, Can. XVII, Q. 1, nn. 1, 9; XII, n. 1; Thesaur., P. I, Cap. 21, n. 4. Prior sententia forte est probabilior; quamvis Suar., loc. cit., improbabilem putet; nam redditus beneficiorum vacantium et veteri jure pertinebant ad successores; his autem RR. Pontifices caverant suspensione ab officio et beneficio lata in occupantes (C. 40, *De Election.* in 6°; C. 9, *De O. O.* in 6°). Videtur autem B. C. praesentibus consulere voluisse, quod verba ipsa satis indicare videntur (V. § 19): sed posterior recepta est, nec est ab ea recedendum.

2° *ratione suarum Ecclesiarum* etc. Quamobrem heic excipiuntur ex 1° jurisdictio, bona, redditus Montium Pietatis (14), Nosocomiorum (15), Confraternitatum Laicorum (16), ecclesiarum si addicta sint aedibus reparandis, divinis obeundis, dotandis puellis etc., quia non pertinent ad personas ecclesiasticas: ex 2° cappellaniae laicales, vel ecclesiasticae amovibiles (17), pensiones ecclesiasticae (18), commendae Equitum cujusvis ordinis militaris, praestimonia, mercedes stipendia emolumenta etc., quae clerici percipiunt vel a Parochis ut Oeconomi (19), vel ratione altaris aut cappellae (20), quia haec omnia ad personas ecclesiasticas non pertinent ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum: demum *ex utroque* bona monasteriorum, quia ad *nullam personam* (21), neque ad Ecclesias fratrum aut monialium pertinent, sed vel ad ipsa monasteria, vel ad eorum sacristias, vel ad Ecclesiam Romanam; et in primis, quia heic ex B. C. § 17 praetermissa sunt (22). Quid vero si quis usurpaverit vel sequestraverit redditus seu fructus bonorum, quae ratione suae Ecclesiae aut beneficii pertinent ad clericum Titium, sed ea possidet, detinet Cajus clericus, vel quia Titio haeres extat, vel quia ab eo praedia conduxit, fructus emit etc.? Et hoc quoque videtur exceptum; nam redditus seu fructus sequestrati vel usurpati non pertinent in casu ad beneficiatum Titium; et ad clericum Cajum ex causa mere civili pertinent, non autem ratione Ecclesiae vel beneficii (23).

91. Actiones vero quae excommunicatione coercentur duae sunt: usurpatio, et sequestratio, a quocumque sint factae, sive laico, sive Clerico. *Usurpare* est, rem a domino occupare quasi ad se pertinentem (24). Tribus igitur opus est, ut quis rem usurpare dici possit: 1° ut

14 Duard., Q. IX, n. 7.

15 Bonac., loc. cit. n. 18.

16 Avanzini, p. 83.

17 Scilicet haec non sunt bona Ecclesiae, nec beneficii, quia beneficium non intelligitur nisi auctoritate ecclesiastica sit erectum, et perpetuum sit (exceptis regularibus), idest conferendum beneficiato quoad vixerit; et in his duobus cum primis a Capellaniis distat. Quoad Capellaniam in titulum erectam. V. supra n. 12.

18 Ex C. 4, *De Praeb.* in 6°. Et pensiones in odiosis appellatione beneficiorum non contineri translatitium est (Fagn. in C. Ad audientiam, *De Rescript.* a n. 17).

19 Bonac., cit. n. 5.

20 Duard., Can. XVII, Q. IX, n. 7.

21 Regin., IX, 372. Mihique consensiunt cl. Ballerin. ad Gury, II, 972, et Pennacchi, To. I, 371; De Vecchio, I, 584; contra cl. Avanzini.

22 Si in hoc Canone (17, B. C.), ait Duard., II, Can. XVII, Q. VII, n. 5, nulla facta esset mentio *Monasteriorum, sub tali excomm. non comprehenderentur usurpantes res illas ad ecclesiasticos spectantes ratione monasterii.*

23 Bonac., P. 2, nn. 24, 26, 27, ibiq. Navarr., Filiucc.; Duard., Can. XVII, Q. IV, n. 7.

24 Cajet. V. *Excommunicatio,* C. 27;

eam occupet; 2° ut a domino; 3° ut quasi ad se pertinentem - Ideo non videntur usurpare, ac proinde hanc excommunicationem non incurrunt ex 1° qui aliquid, citra occupationem, detinent, licet injuste; ut puta conductor, fructuarius, emphyteuta; qui dominum suo tempore rem suam reposcentem injuste repellit; haeres qui rem beneficio relictam beneficiario tradere recusat (25): nec ex 2° qui rem jam ab alio usurpatam invadit, occupat, vel ab usurpatore acquirit, vel acquisitam alienat, nec qui ab eo emit vel quoquomodo acquirit actibus seu ultimae voluntatis, seu inter vivos (26), licet acquirendo, accipiendo letali non careat; nec ipsae personae Ecclesiasticae, si quid suae Ecclesiae, vel beneficii sui interceperint, veluti si arbores grandiores caeciderint (27); nec demum ex 3° qui sata incendunt, arbores caedunt; nec verius, fures, raptores, praedones (28); nec qui jurisdictionem, sed non quasi sibi debitam, usurpant aut furtim exercent (29). Ad haec necesse est ut quis usurpando peccet (formaliter inquam), et letaliter peccet; et planum est: quamobrem excommunicationi eximitur, qui aliquid usurpat jure compensationis occultae (30), vel bona fide, etsi postea sciverit quid fecerit, nec restituat; quia excomm. usurpationi, non retentioni (V. § 94) cohaeret (31). At non excusatur si tantum proba-

Suar., *De Censur.*, 21, 2, 96; Navarr., 27, 69; Tolet., Lib. I, C. 28; Alter., Duard., Can. LXXIX, Q. X, n. 1; Ugol., Regin., IX, Cap. 25, 372; Filiucc., XVI, 223; Bonac., Disp. 1, Q. 18, P. 1, n. 3. Et jure prorsus (Ex LL. 8, 9, 16, D. *Quem. serv. amitt.*, L. 9, § ult., *De Publican.*, L. 7, C. *De Intere. Matrim.*; et Constitutionis nostrae Interpretes fere omnes).

25 Bonac., P. 2, n. 14; Filiucc., n. 218. Dices: atqui *bona legata a legante* RECTA VIA *in legatarium transeunt* (L. 66, *De furt.*). Ita porro *recta via*, sed non *ipso jure*.

26 Ex S. U. I., 8 Jul. 1874, ad 2. Aliud visum Duard., Can. XVII, Q. XIII, n. 3, quia, ait, in jure pro eodem reputatur rem usurpare et injuste detinere (C. 27, Caus. 12, Q. 2, et ex C. 18, *De Restit. Spol.*); et Filiuccio, quippe, ait, *usurpata transeunt cum eodem vitio* (XVI, 224): sed numquid vitia quoque personalia ad successores transeunt? In C. 18, *De Restit. Spoliat.* dicuntur *quasi* succedere, et de peccato dicitur, non de poena. *Noxa caput sequitur*; idest, *poenalibus actionibus heredes non tenentur, nec ceteri successores* (L. 1, *De Privat. delict.*). *Et est certissima juris regula* (§ *Non autem. De perpet. et tempor. action.*). Sane hi omnes non usurpantium nec sequestrantium, sed *retinentium* appellatione continentur: atqui quando lex et hos teneri voluit, eos nominatim recensuit (Clem. I, *De Decimis*). Verum alienantes et recipientes bona hujusmodi, Tridentinam incurrunt excomm. (V. § 89, n. 2 et § 97).

27 Filiucc., XVI, 225; Bonac., P. 3, n. 30.

28 S. U. I., 9 Martii 1870; Cajet., Regin., IX, 372. Secus ac Sayro, et Thesauro visum est: et est pene omnium recepta sententia. (V. Nav., 27, 69; Tolet., *Instr.*, Cap. 28; Ugolin., Suar., 21, 2, 96; Duard., Can. XVII, Q. XI, n. 1).

29 Duard., Can. XVII, Q. III, n. 15; Bonac., P. 2, n. 4.

30 Bonac., P. 3, n. 6; Navarr.

31 Cf. Ferrari. V. *Bona*, n. 17.

biliter putet rem suam esse (32), nec si privata auctoritate auferat beneficiario relicta a suis majoribus ob non impletas forte conditiones (33); et utrumque manifestam rationem continet (34).

92. *Sequestrare:* sequestrum est rei controversae, sive mobilis sive immobilis (35), penes tertium depositio, ut lite finita victori restituatur (36). *Rei controversae:* ergo huc non pertinet, sequestrum illud (juri Canonico ignotum), quod *penes tertios* dici solet; quo nimirum is, qui debitoris mei rem detinet, prohibetur ei reddere, ut mihi cautum sit. Fit autem consensu partium, vel officio judicis. Heic coercetur quod officio judicis fit (37); nempe injustum. Injustum autem dicitur si 1° vel nullo jure sit factum; vel 2° nulla cogente necessitate; utputa fugae, subtractionis, dilapidationis periculo (38); quippe est species executionis, a qua judicium inchoare, nisi ex justissima causa, iniquum est (39); vel 3° *sine R. P. vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia* (40): esset enim usurpatae jurisdictionis actus (41); nisi forte ex ea causa fiat, qua personas ecclesiasticas ad forum laicale trahere licitum est. Haec excommunic. tenet judicem, quia sequestrum ex mandato ejus initium et statum capit (42); non tenet apparitores, quia parere necesse habent (43): sed utrum actorem teneat, nam usu juris ipse dicitur sequestrare? Negant Ugolin., et Duard., ac indubium putat Bonacina (44).

93. Ad ultimum videamus quos teneat haec excomm. Et primo utrum Clericos. Hos usurpantes ea non teneri paucorum (45), sequestrantes plurium sententia est (46). Dein utrum teneat laicos usur-

32 V. Pennacchi, To. I, pp. 367, 368, et Ferrar. l. c., nn. 27, 30.

33 Tolet., Regin., IX, 372; Bonac., P. 2, n. 6.

34 Scilicet nemini licet sibi jus dicere.

35 Ex L. 2, *De Sequest.;* Pirh., 16, n. 4.

36 Ex L. 109, *De V. S.;* L. 12, *Depos.*

37 Suar., 21, 2, 98; Ugolin., Duard., Can. XVII, Q. X, n. 2.

38 CC. 2, 3, *De Sequest.;* L. 5, C. *Quor. appell.*

39 L. Un. C. *De Prohib. sequestr.*

40 B. C. § 17.

41 Suar., 21, 2, 98; Bonac. P. 1, n. 8.

42 Ex L. 5, § ult. *Depos.;* Bonac., P. 3, n. 8; Ronc., Tr. 4, Q. 3, Cap. 4, 2, r. 5. Scilicet sequestratio non necessitatis, sed arbitrii ejus est; immo nec arbitrii, nisi ex urgentissima causa (L. 1, C. *De Prohib. Sequestr.* Ex C. 1, § 2, *De Seques. poss.*).

43 Ronc. l. c. Contra Bonac., n. 9, qui et hos teneri putat ex L. *Athletas,* D. *De Falsis* - At neque lex, neque titulus hic extat in Digesto.

44 Bonac., P. 3, n. 10; Duard., Can. XVII, Q. ult., n. 8.

45 Anton. De Sousa, C. 28, Disp. 90; Pennacchi, To. I, p. 366. Contra Ugolin., Duard., Filiucc., XVI, 212; Bonac., P. 3, n. 2. Scilicet illi tenent excommunicatione hujusmodi caveri patrimonio Ecclesiae, hi personis Ecclesiasticis.

46 Conf. Bonac. l. c. n. 17. Scilicet sequestrantes accipere debemus et judices ecclesiasticos, quorum non est haec jurisdictio.

pantes *auctoritate privata* (privata enim sequestratio ne intelligi quidem potest). Aliqui negant (47): sed longe plures affirmant (48), quod verius puto, quia lex non distinguit. Demum utrum eos dumtaxat constringat, qui bona Ecclesiae usurpant sequestrant ut res proventus etc. Ecclesiae, an et eos qui illa usurpant qualitercumque: horum sententia recepta est (49); et jure prorsus; *ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus,* nisi ratio urgens cogat. Nec tenet eos qui usurpantibus, vel sequestrantibus consilium, auxilium. favorem praestant (50). Verum excommunicationem hanc latius produxit Conc. Trident., Sess. XXII, *De Reform.*, cap. XI: sedulo igitur animo advertendum est, ne hi qui hanc excomm. effugiunt, incidant in Tridentinam, de qua proinde heic paucis agendum existimavi.

Conc. Trident., Sess. XXII, De Reform., c. XI.

94. « *Si quem laicorum vel clericorum, quacumque is dignitate* ETIAM REGALI AUT IMPERIALI *praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut cujusvis Ecclesiae vel Loci Pii jurisdictiones, bona, census, jura, fructus, et quascumque obventiones vel emolumenta, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, vi, vel timore incusso, seu quacumque arte, aut quocumque quaesito colore in suos usus convertere, illosque usurpare praesumpserit, seu impedire ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, anathemati tamdiu subiacent, quamdiu ea quae occupaverit, vel, quae ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, restituerit, ac deinde a R. P. absolutionem obtinuerit. Patronus* autem (Ecclesiae) *et Clericus qui* NEFANDAE FRAUDIS, *et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit,* ultra excomm., *ille Patronatu, is quibuscumque beneficiis ipso jure privatus existat, et ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum executione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem suspendatur.* »

47 Cajetan., et ex eo Navarr., *Manual.*, 27, 62; Sebastian. Medices ap. Sayr., qui hanc sententiam vocat *satis conformem verbis et sensui Bullae* (Lib. III, 21, 10; Ronc., l. c. Q. 2, r. 1; Pennacchi, To. I, p. 364.

48 Thesaur., V. *Usurpatio,* Cap. I, n. 1; Salm., 10, 6, 93; Bonac., P. 3, n. 2; Filiucc., XVI, 212; Pignatell., Ferraris. V. *Bona,* n. 23. Contrarii ea cum primis ratione nituntur; quia usurpatio non intelligitur nisi publica auctoritate sit facta; quod a jure alienum est.

49 Sayr., III, 21, 4. Contra Cajet. et Navarr.

50 Negarunt id quidam B. C. expositores ex Can. XVIII, eiusdem B. C., perinde quasi Can. XVII, et XVIII pro uno habenda esset. Sed melius id negavit Alterius in explicat. Can. XVII, Cap. 2: eo quod in Bullis Clem. VII, et Pauli III, aderant ea verba - *per se vel per alium - aut iisdem consilium aut favor praestare non verentur,* quae postea expuncta sunt.

Decretum hoc obscurius est, et explanatione indiget, quam Nostri obiter tangunt. Videamus igitur 1° quasnam res hac excommun. tueatur, 2° quas actiones attingat, 3° quas personas coerceat.

95. Principio igitur hoc decretum tuetur 1° quae cuivis Ecclesiae vel loco Pio, quasi privatis, competunt; idest *bona* sive mobilia, sive immobilia; et *fructus* eorum seu naturales, seu civiles, seu mixtos. Item 2° quae illis competunt, quasi personis publicis; nempe *jurisdictiones* (§ 90, 3), licet ex privilegio vel consuetudine eis competant, lex non distinguit; et *census* idest vectigalia, tributa, et id genus cetera (51). Bona inquam etc. *cujusvis* Ecclesiae, idest seu saecularis, seu regularis; vel *Loci Pii*, utputa Seminariorum, Coenobiorum, hospitalium, Montium Pietatis, etc.: dummodo Loca Pia sint ecclesiastica, non laicalia (52). Ac demum 3° quaecumque eis fortuito accedunt, idest *obventiones, emolumenta*, laudemia, incertos quos vocant stolae redditus, fidelium oblationes, etc., distributiones quotidianas (53). Non omnia quidem, sed ea quae converti debent in necessitates ministrorum et pauperum. In *necessitates,* idest ea quae necessaria sunt, seu quae hominibus alendis vel instituendis inserviunt (54). *Ministrorum* nempe et eorum qui altari inserviunt quoquo modo, et eorum qui eis inserviunt: *pauperum* autem appellatione omnes continentur, qui ope alterius indigent; velut aegroti, senes, amentes, pueri erudiendi, puellae dotandae, etc.

96. Actiones quas haec excomm. attingit sunt ea quae mox recensuimus, *usurpare,* in proprios usus *convertere,* vel *impedire* ne ab iis ad quos de jure pertinent percipiantur. Usurpare, nempe proprie ac stricta significatione (§ 91): convertere autem et impedire etc., non utcunque, sed verius, jure usurpationis (55), et quasi ad se pertinentia. Quamobrem ex hoc capite excommunicatio Tridentina non patet plus ea quae continetur in hac Const. nostra: immo fortasse minus patet, quippe qua non in omnes usurpationes animadvertitur, sed in auctoritativas et potentiales tantum (56). Nonnulli negant

51 Tot. Tit. ff. *De Censibus,* Lib. 50, Tit. 15.

52 Pennacchi, To. I, p. 369. Quod non improbabiliter animadvertit instar laicalium habenda esse quae a potestate laica jamdiu ab Ecclesiae administratione et potestate subtracta fuerunt, S. Sede sciente nec reclamante.

53 Duard., II, Can. XVII, Q. IV, n. 11.

54 *Vigilantes animi vitae* NECESSITATIBUS *serviunt* (Cic. *Pro Cluent.*).

55 Suar., 22, 6, 22; Ugolin., Alter., aliique ap. Thesaur. V. *Usurpantes,* Cap. I, n. 1. Alii aliud sentiunt. Itaque in nostra sententia excommunic. non subeunt qui munus aliquod publicum gerentes, mobilia a Gubernio usurpata surripiunt vel in suos usus convertunt; nam magis fures sunt, vel praevaricatores sunt quam usurpatores.

56 De Luc., *Ad Trid. h. t. Disc.* 23. Quod satis superque manifestum est

utrumque, rati excommunicationem Tridentinam quascumque occupationes, et a quibuscumque factas perstringere (57). Sed prior sententia videtur verior, quoad primam partem ex Bulla Sixti V, qui excommunicatione *fer. sent.* animadvertit adversus *occupantes et detinentes pecunias, ac alias res, et bona quaecumque mobilia domibus et locis Terrae Sanctae quomodolibet relicta, et ad illa alias spectantia* (58): quoad alteram ex ipso Conc. Trident. quod serius eadem excomm. *fer. sent.* coerceri jussit eos, qui decimas Ecclesiis obvenientes subtrahunt vel impediunt (59): quoad utramque vero eo quod alias hanc excomm. non effugerent fures, fures autem ea non teneri non est incerti juris (60).

97. Demum haec excomm. nedum usurpantes coercet, sed et retinentes; nam et eos coercet, ad quos illa bona, fructus, etc. *pervenerint*, idest ea acquisiverint (61). Nec interest a quibus, vel quomodo, vel quid ad ipsos pervenerit. *A quibus*, utrum nempe ab usurpatore, an a bonorum usurpatorum emptore, legatario, donatario, vel a quovis sive illius sive horum successore, seu proximo,

ex personis quas hoc Decret. prae ceteris spectat; tum ex gravissimis verbis, quibus *nefandum* hoc facinus carpit; tum ex poenis quam gravissimis quibus illud coercet. Sane usus hujus Decreti *in Curia Romana nimium rarus est.* Quin haec damnat - *inferiorum facilem abusum dum etiam contra privatos debitores qui ex aliqua praetensione decimas vel canones, livellos, aliasque praestationes statutis temporibus non solvunt, ad has poenas procedunt; sive contra eos qui ex privatis juribus ac praetensionibus aliqua possideant bona, quae ad Ecclesias vel pia loca spectare praetendatur* - (De Luc. cit., n. 2). Ceterum *usurpata* intelligimus ea quae hostibus in bello eripiuntur, quia bellum nisi publica auctoritate non fit, et bello capta victores quasi sua sibi vindicant (§ 17, *De A. R. D.;* V. Bened. XIV, C. *Urbem antibarum*, T. III, n. 57; et Encycl. *Cum Evangelicas*, To. IV, n. 33).

57 Bonac., Disp. I, Q. 18, P. 4, n. 3.

58 B. *Nostri pastoralis*, 13 Dec. 1589. Quam excomm. postea Gregor. XV, 18 Oct. 1622, ipso facto incurri jussit (Urban. VIII, C. *Alias felicis recordationis*).

59 Trid. XXV, R. 12. Quo in loco eos qui decimas *occupant, et in rem suam vertunt,* et qui *dantes impediunt* accenset his *qui res alienas invadunt.*

60 S. C. C. *Sorana*, 27 Febr. 1696; S. U. I. 9 Mart. 1870. Et nec fures tantum, sed quisquis rem quamlibet, v. c., modium frumenti, vel tadum olei in suos usus convertit, conductor qui mercedem non solvit, vicinus qui proximum agrum abradit, vel ultra confinium aedificium ponit, excomm. incurrerent: ac proinde necesse erit excommunicationibus Ecclesiam replere; quod a mente Tridentini videtur alienum prorsus (Trid. XXIII, R. 3).

61 *Pervenire dicitur quod est remansurum* (L. 71, *De V. S.*): et proprie pervenisse accipimus, quod ex titulo gratuito coepimus, nempe donatione, hereditate, legato. Huc igitur pertinent tantum qui rem suo nomine detinent, non qui alieno, ut puta depositam, commodatam, conductam.

seu remoto (62): immo eos qui praedicta bona in alios transmittunt, transmittendo excommunicationem, vel novam excomm. contrahere, definiti juris est (63): nec distinguitur utrum sine venia, an cum venia S. Sedis ea comparaverint (64); utrique enim distrahunt rem Ecclesiae, et hi praeterea perfidiae arguuntur, quippe eam quasi depositam retinebant. *Quomodo*, idest utrum actibus inter vivos, an ultimae voluntatis, an per successionem ab intestato delata fuerint (65). *Quid*, utrum scilicet plenum dominium, an tantum directum, an utile tantum usurpaverit quis (§ 90, 6), vel postea distraxerit, et alius ab eo comparaverit (66) rem ab Ecclesia etc. in emphyteusim datam Titio, vel acceptam a Sejo.

62 V. Bened. XIV, ll. cc. in nota 42.

63 Pius IX, Allocut. 25 Iulii 1873; S. U. I. 8 Iulii 1874.

64 S. U. I. 23 April. 1873.

65 *Quomodocumque*, ait Conc. *Haec dictio importat omnem modum, et comprehendit omnia, etiam ultra expressa... Unde si adjiciatur alicui dispositioni universali, includit universaliter omnes modos* (Barbosa, *De Dictionib. usu frequentior.* V. *Quomodocumque*, nn. 1, 2). Num igitur et hi qui venales fructus praediorum emunt ab usurpatore, ac proinde et hi qui emunt ab emptoribus, et sic deinceps, hanc excommunicationem incurrant? Non ausim affirmare; sed lubet potius dicere quod de quodam Edicto D. Marci dixit Modestinus: *Etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult* (L. 15, § *Aliud. De excusat. Tutor.*), quam contra mentem legislatoris (Trident. XXIII, R. 3) omnia excommunicationibus implere.

66 Itaque excomm. incurrunt: 1° qui praedia ecclesiastica ab usurpatore in emphyteusim accipiunt, vel antea ab ipsa Ecclesia in emphyteusim accepta ab eo redimunt: 2° Patroni qui praedia Capellaniis vel beneficiis addicta, a fisco emancipant injussu S. Sedis; nam vere et eam partem emunt, quam sibi fiscus attribuit; et eam usurpant, quam fiscus ipsis restituit; maxime si beneficium vel capellania plena est, et invito Rectore eam redimunt, quia retinent fructus, qui in ministrorum necessitates converti debent. Nec proderit quod pro his parati sint pecuniam annuam vel menstruam persolvere, quia *aliud pro alio, invito creditore, solvi non potest.* Sed utrum eam incurrant qui census redimunt deliberari potest; nam, cum omnes census redimibiles sint, videntur suo jure uti. Videamus utrum 1° ab ipsis Ecclesiis, an 2° ab usurpatore, vel ab his qui in ejus locum successerunt eos redimant. Si primum eos nec peccare dicendum est; dummodo, si eis redimendis minus accepta sorte persolverint, id Ecclesiis restituant (S. Poenit. 1 Iun. 1869, ad 10). Sin alterum, siquidem coacti redemerint, idem, si quid opinor, juris est: sin sponte, licet quoad intentionem peccent, quippe non domino restituunt, excommunicationem tamen incurreret non puto; tum quia magis indebite solvunt, tum quia sua ea pecunia est qua redimunt, nec interim damno Ecclesiam afficiunt, cui prohibentur canones solvere.

Ad haec Patronus beneficii, ipso facto excidit jure Patronatus, Clerici vero vel tantum consentientes ipso facto privantur beneficiis quibuscumque, et ad alia obtinenda inhabiles fiunt.

XII.

98. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut « jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam « jurisdictionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem prae- « bentes (1). »

99. Haec excommunicatio spectat *ad defensionem dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis* (2). Proinde *jura* et *jurisdictionem* heic accipimus temporalia: nec quaevis jura, sed principalia; nec aliam jurisdictionem, nisi supremam, idest eam quae soli Principi competit; utputa jus vitae et necis, jus indicendi tributa, creandi Magistratus etc. (3). Hanc autem excommunicationem incurrunt quidam principaliter, alii autem accessorie.

100. *Principaliter:* horum triplex genus est. *Primum* eorum qui *invadunt* vel *destruunt* terras, loca etc. ad Eccl. Rom. pertinentia: *destruere* accipimus, vulgari significatione, vastare, perdere, delere. *Alterum* eorum qui supremam R. P. in his Civitatibus, terris, locis jurisdictionem *usurpant* quovis modo, etsi non vi, e. c., per fraudem, aut sordes (4); quovis titulo, etsi non hostiliter (5); aut *perturbant.* Perturbare heic est, ut opinor, quidvis agere, vel moliri, quod ad supremam hanc jurisdictionem quoquo modo labefactandam, aut minuendam valet. Huc igitur spectant qui Rno. P. in his locis impediunt exigere vectigalia, qui conjurationibus, factionibus regimen, vel ordinem in Rep. constitutum mutare satagunt: non item qui ob civiles discordias, vel ob famem, civitatem miscent. *Tertium* denique genus eorum est qui jurisdictiones, jura *retinent,* idest non restituunt; etsi non ipsi (v. c. haeredes), sed alii occupaverint (6).

1 B. C. § 20.

2 Suar., 2, 21, 104. Nempe hodie quoad solam Ditionem Pontificiam, non item quoad regna saecularia, S. Petro olim vectigalia, quae ex B. C. heic omissa sunt (V. Pennacchi, To. I, p. 387). Et ideo heic *jura* intelligere debemus temporalia dumtaxat, *nam spiritualibus sufficienter superius provisum est* (Sayr., III, 24, 5).

3 Bonac., Q. 2i, P. 1, n. 16. Ideo huc non pertinent qui magistratum aliquem jurisdictione sua uti prohibent; nec qui ipse eam occupat (Alter., Bonac., n. 20): judices, qui funguntur officiis municipalibus (Ex *S. Poenit.,* 10 Dec. 1860, Pennacchi, To. I, p. 399).

4 Duard., Sayr., Bonac., n. 18.

5 Bonac., n. 2. Ut puta praecavendae seditionis causa: vel si, cum inter finitimos principes bellum exarsit, alter eorum, suae tantum defensionis causa, aliquam Ditionis Pontificiae arcem, portum, loca natura munita, exitus viarum occupet, finito bello continuo recessurus. Alii aliud putant. Verum ex quo hoc adverbium *hostiliter* ab antiquioribus Bullis in Coena Domini legi solitis detractum est, haec sententia non videtur satis probabilis: jamdiu autem detractum fuerat.

6 Duard., Sayr., Filiucc., XVI, 64, etiam haeredes haeredum (Ex LL. 65, 170, D. *De Verb. Sign.*). Verum ex hoc

101. *Accessorie* coercentur qui ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebent. Et de his, qui haec praebent invadentibus, destruentibus, perturbantibus, expedita res est; de his qui detinentibus, salebrosa: dicam plane quod sentio; quam recte viderint sapientes. Itaque horum duplex genus constituendum est; *unum* eorum qui aliquod publicum munus exercent. Munera autem publica vel ad civium necessitates, seu utilitates, vel ad regimen tuendum pertinent, vel ad utrumque. Illa suscipere innoxium est, ceteris paribus (7), quia societas necare seipsam non potest: ista non item; sed quoad censuras oportet animadvertere, num quis possit his abstinere sine incommodo gravi (V. § 7). Demum haec sponte suscipere, vel retinere culpa non caret, quia bonum ex integra causa: atque heic recidunt, qui cuivis militiae, civicae quoque, conscribuntur; verum cum hi parere necesse habeant, ab excommunicatione excusantur (8), exceptis his, qui sese dederint (9), quique confectis stipendiis, sine gravi incommodo, eam deserere potuissent. Ceterum quae initio novissimae invasioni circa munera publica cauta fuerunt a SS. Urbis Congregationibus, eo spectabant, ne invasores consistere possent: hodie igitur, usurpatione constituta, quasi rebus mutatis, accipienda erunt cum grano salis, ne remotis ab hujusmodi muneribus publicis integris vitae fideique viris, ea occupent flagitiosissimi quique in necem Religionis, et Civitatis, quod

capite soli viri Principes hanc excomm. incurrunt; non item Senatores, et Deputati, quippe qui, non quasi *singuli* (V. § 11, 46), sed quasi *Ordines* retinent etc. (Pennacchi, To. I, p. 397). Dixi ceteris paribus; nam duo prae ceteris animadvertenda sunt: 1° ne juramentum praestent, quo usurpatori obedientia, uti ajunt, *activa* pollicetur, quod quasi pretium muneris foret. Et si jurare omnino necesse sit, passivam dumtaxat, et legibus tum divinis tum Ecclesiasticis consentaneam, *obedientiam* spondeant (Pius VI, Lit. *Dilecti Filii*, ad Epp. March. 30 Aug. 1808; *S. Poenit.*, 10 Decem. 1860, ad 10 et 14). Utque 2° dum jurant, palam profiteantur, se nihil facturos quod a legibus divinis et ecclesiasticis remotum sit. Quamobrem si quid contra has leges faciendum inciderit, aut eo abstinere, aut officio se abdicare necesse est. Sane Sacra Poenitentiaria die 6 Octobr. 1860, respondit (ad 11) posse, qui munera publica exercent, in eis tolerari, *dummodo non agatur de officiis quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem; et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et Ecclesiasticarum.* Porro in spolii manutentionem ex officio influere intelliguntur « *quelli che rappresentano il primo Magistrato in ciascuna Provincia o Città o terra o castello.* » Quod ab E.mo Pacca a Secretis Status Pii VII, an. 1807, declaratum fuit (V. *Raccolta de' docum. autent.* etc. Italia 1814, To. 3, p. 273).

7 Tapar., *Dir. Nat.*, I, 664.

8 Ex Decr. S. U. I., 1 Febr. 1871 (V. § 50).

9 Ex Declar. Pii VII, 24 Aug. 1808; et *S. Poenit.*, 10 Dec. 1860, ad 7 et 8.

sapienter, more suo, animadvertit cl. Ballerini (10). *Alterum* genus eorum est, qui nullum publicum munus obeunt. Hi favere intelliguntur, si retinentibus *proximam*, ut in possessione remaneant, operam praestent: utputa pecunia, delationibus, consiliis, scriptis etc.: si *remotam* non item; veluti si eis praebeant victualia, aedes locent, inserviant etc. At qui ab eis stant *(adhaerentes)*, heic nullatenus pertinent, quippe hos praeterit Const. nostra (11); licet eorum compitalia, male feriati, frequentent.

102. Age nunc ad incurrendam hanc excomm. satis est ex omnibus quae recenset C. nostra unum praestitisse (12). Et hi qui *principaliter* agunt, ea tenentur statim ac eorum actio (v. c. invasio, perturbatio) consummata fuerit, quippe unaquaeque coercetur quasi delictum sui generis; adeoque invadentes, etsi postea recesserint (13), detinentes, etsi non invaserint (§ 93, 6), perturbantes, licet protinus repressi fuerint (14).

Adsunt aliae due excommunicationes speciali modo Romano Pontifici reservatae, altera in concedentes Cathedrales vacantes, remoto Vicario Capitulari (V. infra pag. 138, 139); altera circa electionem R.ni P. (V. p. 241).

103. « A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem Romano « Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem « concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici « reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibu- « scumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus « cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis, « et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, « etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos « se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos « obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (15). »

10 Ballerini ad Gury, II, 972.

11 Contra B. C. cit. § 21. Scilicet, si nullo cum eis inito pacto (Filiucc., XV, 69), nulloque auxilio, consilio eis faventes, eorum partes sequuntur: hi enim adhaerentes dici solent (Bonac., Disp. I. Q. 21, P. I, n. 27; Ronca., Tr. IV, Q. 3, Cap. IV, q. 5, r. 3). Comm. Patav., I, 48, aliud putant, rati adhaerentes recensendos esse inter eos qui favorem praebent. Sed vereor ne verum sit: mihique consentit cl. Pennacchi, To. I, p. 401, qui tamen ad rem animadvertit, hodiernos adhaerentes excomm. subiisse ex Litt. Apostolicis 1 Nov. 1870. Inter eos qui invadentibus, et eos qui retinentibus favent, locum tenent qui pro invasis jam civitatibus, terris, locis detinendis invasori iudicrum suffragium tulerunt (Ex *S. Poen.* loc. cit. ad 26).

12 Bonac., n. 8; Ronc., r. l. Et post Const. nostram amplius dubitandum non est: quippe ait - *Et ad singula praedicta.*

13 Bonac., n. 8.

14 Pennacchi, To. I, p. 396, v. *Haec.*

15 B.C., § 19. Qua et *de stando mandatis Ecclesiae,* et *de satisfaciendo* (nempe parti laesae) cautio praestari jubetur. Qua hodie si quid opinor, opus non est: erat enim *conditio* sine qua moriturus absolvi non poterat,

SECTIO II.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE R.NO P. SIMPLICITER RESERVATAE

« Excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus. »

I.

104. « Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propositiones ab Apostolica « Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae; item docentes vel defendentes « tamquam licitam praxim inquirendi a poenitentibus nomen complicis, prouti damnata est « a Benedicto XIV in Const. Suprema 7 Julii 1745. Ubi primum 2 Junii 1746.

Hic art. in duas partes diducitur, prima ad propositiones a S. Sede damnatas pertinet; altera ad praxim exquirendi a poenitentibus nomen complicis.

105. Prioris igitur objectum sunt propositiones damnatae a Sede Apostolica sub excommunicatione l. s. - *Propositiones damnatae;* scilicet nominatim: secus si damnatus fuerit liber in quo illae continentur (1), quamvis explicite designatae sint, et prohibitioni causam dederint. *A Sede Apostolica,* nempe a Romano Pontifice; adeoque huc omnino non pertinent damnatae a Conciliis, vel Occumenicis (2); eoque minus a SS. Congregationibus Urbis, v. c., a S. U. I., vel ab Indice (3). *Sub excomm. l. s.:* ergo neque huc pertinent damnatae ab ipsomet quidem R. P., sed vel sine excommunicationis l. s. poena, vel generatim (ut ecce quae in *Syllabo* continentur) sub *censuris et poenis* in jure statutis (4). At quando et a R.no P., et sub excomm. l. s. damnatae sunt, non inquiritur utrum excommunicatio sit necne reservata, vel propositio censura theologica notata fuerit an minus (5).

1 Pennacchi, To. I, p. 164, v. *Quaeritur.* Ut ecce liber - Explication. des maximes etc. Franc. Fenelon damnati ab Innoc. Brevi *Cum alias,* quo 23 prop. damnantur.

2 Pennacchi, ibi, p. 460; Comm. Patav., II, 173. Ut propp. Jo. Wicleffi, et Jo. Huss damnate in Conc. Constansiensi.

3 Croix, I, 216; Pennacchi, ibi, p. 461. - Contra putant Comm. Patav. quippe, ajunt, eas damnant *auctoritate* et *nomine* R. P. - *Auctoritate* - Distinguo: qua et alia omnia negocia gerunt, concedo; alia, nego. *Nomine* -: nego prorsus: alias quidni leges sint eorum Decreta? et recte oblaterent Protestantes, Galilaeum a S. Sede fuisse damnatum? Quid quod heic agitur de R. P. damnante *ex Cathedra?*

4 Pennacchi, To. I, p. 165. V. *Quaeritur.* Ut ecce prop. 101 damnatae a Clem. XI, Const. *Unigenitus.*

5 Nihil enim horum exigit C. A. S. Porro censura theologica dicitur ea nota, qua propositio aliqua inuritur, cum damnatur v. c. quasi *haeretica* - vel *haeresi proxima* - vel *erronea* - vel *temeraria* etc. Notantur autem vel *singillatim,* singulis nempe propositionibus (ut ecce Jansenii, et Synodi Pistoriensis) singulis censuris inustis, vel, uti ajunt, *in globo,* cum universae

Duo autem sunt quae excommunicatione coercentur: *docere*, aut *defendere* propositiones hujusmodi. Docere est: *nescientibus tradere;* defendere est: *patrocinium earum suscipere, quasi fuerint damnatione indignae.* Nec excusatur quis, quod eas doceat, defendat verbo tenus; nam docet, defendit. At qui de his dumtaxat loquitur, qui eas adserit tantum, qui eas tenet, non incurrit excommunicationem (6); hanc inquam (7).

106. Alterum, quod excomm. coercetur, est *praxis* exquirendi a poenitentibus nomen complicis *prout* damnata fuit a Ben. XIV. Porro, quo tempore Ben. XIV Ecclesiam regebat, quidam Confessarii coeperant in Lusitania hanc praxim introducere; ut si forte in poenitentes inciderent criminis socium habentes, hujus nomen sibi revelare, NON MODO *suadendo conaventur;* SED, *quod detestabilius* erat, *denunciata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis denegatione, prorsus adigerent.* Nempe *falsa zeli imagine seducti*, et in primis *procurandae complicis correctionis* gratia; eamque praxim *emendicatis quibusdam DD. opinionibus* defendere non dubitant. Praxim hujusmodi Pontifex ille sapientissimus primum damnavit (8); mox eos, qui eam licitam esse *scribere aut loqui*, et Confessarios qui eam *sequi,*

acervatim damnantur qua respective haereticae, vel haeresi proximae, falsae, etc. ceu damnatae ab Alex. VII, Innoc. XI et Alex. VIII.

6 Nam quando R. P. hos teneri voluit, eos nominavit. Ita, v. c., Urb. VIII, C. *In eminenti,* de Baji, quas damnaverat, propositionibus, *loqui* vetuit; Leo X in B. *Exurge Domine,* eos qui proscriptas a se Lutheri propositiones *asserere - affirmare,* et Clem. XI in C. *Unigenitus,* eos qui contra *sentire praesumerent,* excomm. coercuit. (V. Pennacchi, To. I, p. 148). Sed an peccet letaliter qui eas tenet, quae nota infra haeresim inustae sunt? Utique si tenet eas quae *per se* damnatae sunt, nempe quasi *proximae haeresi,* ut *falsae, temerariae* etc.; est enim quasi peccatum hariolandi (V. I Reg. 15, 22). Sin tenet eas, quae, ut ita dixerim, per *accidens* damnatae sunt, nempe *quasi scandalosae,* vel *offensivae piarum aurium,* non puto; dumne eas asserat, prodat aliis etc.; quia neminem scandalizat, nullius aures offendit.

7 Si enim teneat aliquam prop. damnatam, seu singillatim, seu acervatim, quasi haereticam, haereticus foret (V. § 28). Sed an sit haereticus si teneat aliquam prop. inferiori censura *per se* notatam, v. c. quasi haeresi proximam? Questio eo redit, utrum is impetat infallibilitatem R. P., quasi errare possit in his censuris theologicis infra haeresim decernendis. Porro in iis, quae Revelationis depositio non continentur, R. Pontificem inerrabilem esse, theologice certum est, de fide non est; nam rationibus demonstratur (V. Cl. Franzelin, *De Div. Tradit.,* post thes. 12): quî igitur haereticus qui contra putat?

8 Ben. XIV, C. *Suprema - Hujus nomen,* immo etiam, addit cit. C., *habitationis locum.* Verum ex C. *Ubi primum,* § *Similiter,* et C. *Apostolici ministerii,* § 7, manifestum videtur, satis esse solum inquirere nomen Complicis - Complicem vero heic accipere debemus, non in re turpi, ut in § 79, sed in quovis peccato: lex non distinguit.

et idcirco a poenitentibus complicis nomen, habitationem, etc. *exquirere praesumerent, absolutionem* renuentibus *denegando*, S. O. denunciari, et interim excomm. l. s. teneri jussit (9), ubique temporis, et locorum (10). At hodie excommunicationi non amplius obnoxii sunt qui hanc praxim sequuntur, sed hi tantum qui eam *docent*, vel *defendunt*. Et quia ex duobus coalescit, nempe ex inquisitione complicis, et denunciata reticenti denegatione absolutionis; necesse est, ut quis utrumque simul licitum esse doceat, vel defendat; nempe et exquirere nomen complicis, et reticenti absolutionem denegare (11). Et quando haec praxis profluit *ex falso animarum* zelo, quaeri potest, an haec excommunicatio teneat eum qui doceret, defenderet alia forte ratione, et ex alia causa, id licitum esse: v. c. propter integritatem confessionis, vel quia Confessario jus est haec inquirere. In sententiam affirmativam inclinat animus, primo quia in hac doctrina minus hallucinationis (adeoque et periculi), minus odii subest; deinde quia licet non materialiter, at formaliter *alia* praxis esse videtur: nihilominus quia lex factum *(praxim)* non aliud damnat, non ausim hanc sententiam cuiquam obtrudere, forte omnium primus; viderint sapientes (12).

9 Ben. XIV, C. *Ubi primum.*

10 Ben. XIV, C. *Ad eradicandum.*

11 Comm. Pat. I, I, § 189, tenent, satis esse ad incurrendam excomm. docere, licitum esse exquirere nomen complicis, quia Ben. XIV damnavit praxim exquirendi nomen complicis *sive* suadendo, *sive* negando absolutionem. Sed vereor ne recte, non enim disjunctive haec enarrat, sed copulative; *non modo suadendo, sed quod detestabilius est*, etc. Quid quod gravius duxisse videtur eam praxim sequi, quam tradere? Nam eam sequi vetat verbis longe gravioribus - *graviter - districte - sub interminatione Divini judicii - in virtute S. Obedientiae.* Atqui Confessarios eam sequentes excommunicationi et denunciationi obnoxios ita demum esse voluit, *si absolutionem denegantes*, illum inabsolutum dimisissent (Cit. B. *Ubi primum*). Mihique consensiunt cl. De Varce., h. a. n. 4; Del Vecchio, To. II, § 725 - Quod autem addunt cl. Comm., haud opus esse ut quis *temere* haec doceat (quod ego extimaveram ex C. *Superna* B. XIV) recte prorsus; non enim *praxim* damnat Const. nostra, sed eam docentes vel defendentes. Nihilominus cl. Del Vecchio (cit. § 755, Mediolani 1880) ratus heic damnari *praxim* etc., a priori sententia non discessit.

12 Sane, Ben. XIV, eos qui alia de causa audebant exquirere nomen complicis, et absolutionem denegare, non S. O., sed locorum Ordinariis denunciari, et ab his suspensione f. s., aliisque poenis coerceri praecepit (Cit. C. *Ubi primum*). Et licet postea hos quoque S. O. denunciari jusserit (C. *Apostolici ministerii*), non ideo tamen excommunicationi l. s. fecit obnoxios.

Ad haec ex Trident. excomm., sed *nemini reservatam*, contrahunt, qui indulgentias vel inutiles esse effutiunt, vel eas concedendi potestatem in Ecclesia esse negant (Sess. XXV, Decret. *De Indulg.*); qui *docere, praedicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere prae-*

II.

107. « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus « Monachos, exceptis, quoad reservationem, casibus et personis, de quibus jure vel privilegio « permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat (1). »

108. Haec est excommunicatio, quae vulgo *Canonis* dicitur, nempe a privilegio ab Innocentio II jam a saeculo XII Clericis constituto, quod *Canonis* privilegium dici solet. Quae omnium prima, uti videtur, *ipso jure* irrogata fuit, cujus nullum aliud exemplum forte extat in Gratiani decreto. Hac re, et quia est privilegium, non personis, sed Ordini constitutum (2), latissime, praeter regulas juris, acceptum est (3). Eo igitur gaudent Clerici et Monachi utriusque sexus, qui privilegio fori non exciderint. Clericorum autem appellatione veniunt omnes tonsuram adepti : appellatione Monachorum omnes Regulares utriusque sexus (4); Novitii, Tertiarii (5). An et Eremitae? Horum triplex genus est; alii collegialiter vivunt; contra alii habitum eremiticum pro lubitu suo suscipiunt, dimittunt (melius sarabaitas dixeris); alii de mandato Episcopi alicui Ecclesiae vel aediculae inserviunt. *Illos* hoc priv. gaudere (6), *istos* non item (7), utrumque explorati juris est. De *his* non convenit (8). Ideo (§ 10), re maturius perpensa, pro percussoribus respondere, melius est.

109. Actio quae punitur est injectio manuum violenta, injuriosa (9). Manus *violentas* injicere accipimus, quoties in *personam*, non verbis, sed *re* fit injuria (10). In personam vero injuria fieri intelligitur seu laedatur corpus, seu libertas, seu dignitas. Corpus, ut ecce si Clericum veneno sustuleris (11), vel prosequutus eum fueris, ut in praeceps corrueret, vel ex equo decideret, et corruit, decidit (12): libertas,

sumpserint existenti in lethali, si Eucharistiam recipere velit, non esse confessionem necessariam (Trid. Sess. XIII, *De Euch.* Can. II) jure divino (Bonac., To. 3, Disp. 22, 2, Q. 14, n. 2); et matrimonia clandestina inita ante Conc. Trid., vel postea, his locis ubi Decretum Conciliare publicatum non est (Bonac., P. 8. n. 3), vel sine consensu parentum inita, irrita esse, vel hos ea irrita facere posse (Trid. Sess. XXIV, *De Ref.* M. 1).

1 Ex C. 29, Cau., 17, 4.
2 CC. 15, 56, Cau. 4, 1.
3 Croix, VII, 301; S. Alph., VII, 273.
4 C. 33, *De S. E.*
5 Schmalz., V, 39, 219.
6 Leo., C. *Dum intra.*
7 Reiff., III, 128.
8 V. Reiff., l. c.; Comm. Rom. 499.
9 C. 36, *D. S E.*
10 Ex L. 1, § 1, D. *De Injur.*
11 S. Alph., VII, 28. Is non illico excommunicationem incurrit, nec post ejus mortem, sed cum primum venenum laedere caeperit (S. Alph., 15).
12 Suar., 21, 1, 26. Secus si, praeter intentionem tuam, casu decidit, corruit (V. Croix., VII, 308; S. Alph., VII, 274). Item si lapidem, vel telum in eum jeceris, (Suar., n. 28). Quid si te-

cum detruditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque (13): dignitas, quoties vis adhibetur, veluti si rhedam sistas, qua vehitur, aut equum quo insidet (14); si aliquid, nullius licet pretii, ei detraxeris, veluti crumenam, pileum, baculum (15); vel quid aliud contumeliosum in ipsum admiseris, utputa si sputo, pulvere, luto eum foedaveris, si vestes, quibus indutus erat, conscideris etc. (16), si canem in eum irritaveris, et momorderit. Ergo excomm. cessat si, AUT *non re* facta sit injuria, sed verbis; ut ecce si contumeliam dixeris, si minis terrueris, coegeris (17): AUT re, sed *non in personam* sit facta; utputa calumniando, clam aliquid surripiendo, etc. (18).

110. Deinde manuum injectio *injuriosa* esse debet: nam si abest injuria, culpa, et proinde poena, cessat. Porro injuria nisi 1° a volente, et 2° in rationabiliter invitum, non fit. Excomm. igitur cessat, ex 1° si quis percutit clericum laicum putans (19), vel joco (20), vel corrigendi gratia (21), vel ex subita ira (22): ex 2° si percutit justae defensionis causa (23); vel (ex•juris aequitate) cum uxore, vel matre, vel sorore (non item cum aliis), turpiter inventum (24), quamvis letali non careat (25).

lum, lapis, eum non attigerit, sed ille exterritus corruit? Bonac., Croix, S. Alph., ll. cc. putant excommunicationem te incurrere. Verum hic casus vix differt a praecedenti.

13 C. 29, § 1, *De S. E.*

14 S. Alph., VI, 274.

15 Laym., *De Excomm.*, V, 2. *Nullius* etc. (Suar., n. 25), quia injuria inest vi.

16 Schmalz., V, 39, 226; Laym., et S. Alph., ll. cc.

17 Cajet., Sum. Cap. 10. *Coegeris*, v. c., domo tua excedere (Suar., cit. n. 31), vel eam ingredi prohibueris (Ronca., Tr. IV, Quae. IV, Cap. 1, Reg. 3).

18 Suar., nn. 23, 32.

19 C. 4, *De S. E.* Quid si alium Clericum pro alio percusserit, utrum incurrat excomm., quia injuria fit ordini; an minus, quia non fit injuria personae (V. S. Alph., III, 628)? Et si voluit percutere, v. c., Sejum quasi Clericum, primum, sin quasi Sejum, alterum verius puto. Ceterum negari non potest rem dubiam esse. Si quis autem seipsum percusserit, non tenebitur, quia lex percussorem a percusso secernit (S. Alph., VII, 274; Croix, VII, 310).

20 S. Alph., VII, 275. Licet animum infensum habuerit, si non apparet (Ronca., l. c., Reg. 1).

21 C. 54, *De S. E.* Dum ne percussor modum excedat (L. 5, Ad *L. Aquil.*), et percussus non sit constitutus in sacris (Cit. C. 54). At praeceptores, superiores (C. 10, *Eod.*), eoque magis parentes (S. Alph. VII, 575), etsi hunc percusserint, excusantur.

22 Tolet., *Sum.* I, 33; S. Alph., l. c.

23 Ex C. 10. *Eod.* Dummodo id faciat incontinenti (C. 3. *Eod.*). Huc pertinent qui Clerico eripiunt ensem, vel equum, ut ab invasore se defendant, aut fugiant (Suar., 22, 1, 38); qui eum domo extrudunt eo quod *causat perturbationes, insolentias, et rixas* (Roncaglia, l. c., q. 5).

24 C. 3, *Eod.* - Quod moraliter accipiendum est, quia favor percussoris agitur; adeoque etsi solum cum sola deprehenderit in loco suspecto (Navarr., 27, 84; Suar., n. 37; Ronc., cit. q. 5).

25 Suar., n. 34; Lugo, *De Just.* 10, 96; V. Cl. *De S. E.*; Graffius, 1, IV, 38.

111. Huic excommunicationi olim obnoxii erant impuberes, hodie, verius, non item (26). Utrum, uti ex jure Decretalium, et mandantes percussionem (27), et ratam habentes (28)? Et reor non esse obnoxios; primo quia solum canonem Lateranensem *inseruit* Const. nostra: et censurae Const. A. S. vim habent *eo modo*, quo *in ea* insertae sunt; et non secus ac si primum ab ea editae fuerint (§ 3): quis autem, praetermisso jure Decretalium, Canonem Lateranensem traheret ad mandantes, et ratum habentes? Deinde quia quando Const. nostra hos quoque teneri voluit, illos recensuit (§ 48) nominatim (29).

26 Cl. Del Vecch., I, 596. Nam quando legislator voluit et hos teneri, id expressit (§ 122, et § 123, 6).

27 C. 6. *Eod.*

28 C. 23. *De S. E.* in 6°. - Mitto *non prohibentes*, de quibus C. 47, *De S. E.* (Innoc. III), hi enim excommunicationi quidem, sed fer. sent. sunt obnoxii, adeoque hic non pertinent.

29 Nostrae sententiae adhaeserunt R.mus Formisani, h. a., cl. Ballerini ad Gury, II, 975; Del Vecchio I, § 595, et latissime clarissimus Iosephus Pennacchi, To. I, p. 474, etc. Contraria placuit Avanzinio h. a. n. 14, et in eam discesserunt obiter Ciolli § 103, paucis a Varceno, h. a., pluribus Comment. Patavini eruditi et graves, II, 205. His igitur *indubitata* ea est, primum quia haec materia tota *favorabilis est*, atque ideo *amplae interpretationi subiicienda* (§ 206); deinde *ex perpetua et authentica* Canonis Lateranensis interpretatione, quae CC. 6, 47. *De S. E.*, et C. 23. *Eodem tit.* in 6° (V. nn. 26, 27, 28), continetur (§ 205). Sed *primum* abs re videtur, nam saltem aeque favorabilis est, v. c., immunitas et reverentia locorum sacrorum, et nihilominus excommunicatio lata in eam violantes, non tenet consulentes, et ratum habentes (Comm. Patav., II, 249). Sane favor hujusmodi ex maiori quoque, aut minori dignitate personarum aestimari convenit; si haec excomm. tenet *per se* mandantes, et ratum habentes, qui, sodes, necesse fuit hos nominatim recensere in superiori Art. V (§ 18), quo cavetur personis longe favorabilioribus? Et si excomm. Canonis Lateran. nedum latam, sed et extensivam interpretationem recipit, eo magis ea, de qua in illo art. V.; quod Patav. Comm. negare videntur (I, 95). Quoad *alterum* recepta doctrina est, interpretationes extensivas vel restrictivas, quae ab ipsis legislatoribus prodeunt, interpretationes verbo tenus, re autem vera novas leges esse (Suar., *De Legib.* VI. 1, 3; Reiff., 1, II, 374, 376), adeoque nova promulgatione indigere (S. Alph., 1, 200, III, 1027). Ergo eo magis quae in odiosis legem trahunt de persona in personam, de casu ad casum. Sane quod justae interpretationis regulae privato *interpreti* vetant, hoc eas permittere legislatori, quasi *interpreti*, absurdum est. Atqui privato interpreti nullo pacto fas est poenas extendere *a casu ad casum* (Comm. Patav., III, 328), *et non valet argumentum a pari, neque a fortiori* (Ib. § 446): adeoque non licet poenas latas contra facientes trahere, v. c., *ad mandantes, consulentes, faventes* (Comment. Patav., I, §§ 15, 16): ergo nec legislatori *quasi interpreti* licet. Itaq. Alex. III, et Bonif., VIII, quum excommunicationi latae *in percussores* Clericorum obnoxios esse censuerunt et *mandantes*, et *ratum habentes*, non interpretati sunt Canonem Lateran., sed novum jus condiderunt. Quod et Suar., innuit 22, 1, 55 - 47, 3, 26., et Pirhin., docet 1, 2, 101. Et liquet vel ex solo

III.

112. « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, « et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes; nec non de « industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes « cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis, vel imperialis (1). »

113. Duellum est - *singulare certamen letalibus armis ex condicto susceptum* (2). - Est 1° *solemne,* seu *publicum,* quod adhibitis patrinis; et *privatum,* quod absque his committitur (3): 2° *fatale,* in quo usque ad alterius internecionem dimicandum est; et *non fatale,* quod prima alterutrius sanguinis effusione finitur. In duello inspicienda sunt peccatum et poena. Quoad peccatum, homicidii et suicidii, vel saltem gravis realis injuriae (vulnerum) reatum habet, quia utriusque periculum continet; adeoque est illicitum naturali jure: ac proinde etsi publica auctoritate fiat; nisi forte belli justi finiendi, aut vitandi causa. Sed de peccato, pro re nostra, satis.

114. Quoad poenas, Duellum suis legibus constat, quibus non servatis, duellum propria ac stricta significatione non intelligitur, et poena cessat (4). Praecipuae leges, hae: 1° ut sit pugna singulorum; adeoque si plures, agmine facto, concurrerint, duellum non intelligitur (5): ceterum singulos accipimus etsi *bini, terni, aut plures hinc inde pugnent* (6); 2° ut duellum ex condicto susceptum fuerit (7);

C. 36. *De S. E.,* quo continetur, excommunicat. incurrere et Clericos qui se percuti faciunt, quia privil. *in favorem ordinis Clericalis* cum primis fuit introductum; verum (inquit) *post prohibitionem hujusmodi.* - Quinam privatus sic interpretari potuisset? Atqui Const. A. S. solum Canon. Lateranensem conservavit. Et, forte, ne id cuiquam dubium esset, illud inseruit iisdem plane verbis, etsi non satis concinnis *(Violentas manus injicientes)* eademque obsoleta phrasi *(suadente diabolo).* Quid quod in re dubia pro reo respondendum est? Quid plura? quoties dubitatur, utrum aliqua censura adhuc vigeat, *evidenter ostendi debet, eam esse insertam in Const. A. S.* (Comm. Patav., I, 37). Ostendant, et victas dabimus manus.

1 Trid., XXV, *De Ref.,* 19; Greg. XIII, C. *Ad tollendum;* Clem. VIII, C. *Illius vices;* Bened. XIV, C. *Detestabilem.*

2 V. Salm., 25, I, 153.

3 Clem. VIII, l. c., § 3.

4 Pennacchi, To. I, p. 550. Porro saeva haec et nefaria duelli dementia a superstitione aevi medii initium coepit, et inter *Dei judicia* adnumerata fuit. Ideo suprema duelli lex erat, ut duellantes *aequaliter* committerent; ne forte victus, non Dei judicio, sed meliori, qua adversarius usus fuerat, conditione, superatus videretur. Et licet aetas nostra a superstitione in *irreligiositatem* deciderit, et duellum huc amplius non spectet, nihilominus veteri jure adhuc regitur.

5 Salm., 10, 4, 33.

6 Clem. VIII, l. c., § 5. Nempe unus adversus unum, etsi plures successive cum eodem commiserint (V. Pennacchi, To. I, p. 551).

7 Clem. VIII, et Salm., ll. cc.

idest, indictis pugnae loco, tempore (8), et armis (9); nam si tantum locus, vel tempus (10), vel arma (11) indicta fuerint, duellum dici non solet; immo nec omnibus indictis, si de his in rixa convenerint, et egressi statim commiserint (12); demum 3° ut certetur letalibus (13), et paribus armis (14). At nemo excusatur quod duellum privatum sit (15), vel non fatale (16), nec publica auctoritate susceptum (17).

115. Itaque excommunicationem incurrunt 1° qui duellum *ineunt*, vel ad illud *provocant*, dummodo determinatam, quae duelli lex est, personam provocent (18); quique illud *acceptant*. Provocare autem, vel acceptare et is intelligitur, qui adversario edicit, ut eligat pugnae locum, tempus, et arma. 2° Quilibet complices, vel qualemcumque operam, proximam inquam (alias arbitraria et infinita aestimatio erit) (19), aut favorem praebentes; velut patrini, testes; qui consilium dant in causa duelli, qui literas provocatorias, vel alia id genus scripta, manifesta, etc. dictant, scribunt, deferunt, evulgant, aut scribi, deferri etc. mandant, suadent; quique *in his se quomodolibet immiscent* (20). 3° Qui de industria spectant (21), quam-

8 Greg. XIII, § 1; Clem. VIII, § 3; Ben. XIV, § 22, ll. cc.

9 S. Alph., III, 401, q. 3.

10 Reiff., V. 14, 9, etc.

11 Ex S. Congr. Imm. 13 Feb. 1703, ap. Ferr., V. *Duellum* n. 55. Ut ecce si quis tibi indixerit, se tecum ense pugnaturum quocunque tempore aut loco te invenerit.

12 Reiff., n. 10. Quid igitur si duo de duello ineundo convenerant, et postea, casu obviantes, convenerint de loco, tempore, et armis, et statim egressi commiserint? Quidam putant, excomm. incurrere: sed vereor ne verum sit; videntur enim magis ex impetu convenisse, quam ex condicto.

13 Pignat., To. IX, *Consult.* 88, n. 87; Filiucc., XX, 107. Nec contra est Clem. VIII, l. c. § 3. Itaque si dimicatum sit, v. c., pugnis, bacillis, aut ferro acie retusa, duellum non intelligitur, etsi mors per accidens sequuta fuerit (Reiff., n. 13).

14 Pennacchi, To. I, p. 552, quae duelli lex est (V. n. 4).

15 Clem. VIII, cit. § 3.

16 Ex Clem. VIII, cit. C. *Illius vices* § 5.

17 Pennacchi, ibi., p. 553, 554.

18 Pennacchi, ibi., p. 570. Contra Comm. Patav. II, 220, qui ex Const. Clem. VIII, § 6, aliud putant.

19 Bonac., Disp. 2, q. 3, p. 48, n. 37. Quocirca eam non incurrunt Lanistae, nec qui arma vendunt (Pennacchi, ibi., p. 584.), aut locant; dummodo pro arte et munere suo eas vendere, locare omnibus soleant.

20 Ex Clem. VIII, §§ 6, 7.

21 Clem. VIII, § 3. Idest data opera et quasi approbantes duellum (Reiff., V, 14, 45; Pignatell., To. IX, Consult. 88, n. 150; Schmalz., V, 14, 49). Cujus ea ratio est, quia sua praesentia ad pugnam animos addunt. Proinde excomm. non incurrunt qui *obiter transeundo ibi reperiuntur* (S. Alph., III, 401, q. 3); vel aspiciunt a longe, vel e fenestris, e januis, etc., vel curiositatis causa *subito accurrunt* (Reiff., n. 46). Nec qui adeunt locum certaminis duellum impediendi causa, quippe rem bonam praestant. Dixi impediendi causa; nam si adsint rogati a duellantibus ut citius pugnae finem imponant, aut vulnera ligandi et curandi causa; immo etsi non adsint, sed *ex*

vis intersint, ut certamen dirimant cumprimum alter vulneratus, vel certus ictuum numerus utrinque illatus fuerit (22). 4° Demum qui illud, cum prohibere possint, non prohibent; nempe si ex officio prohibere debuissent (23); idest Principes in suis territoriis (24), militum duces *suis* (25). At vero inter provocantes, acceptantes, et ceteros omnes hoc distat, quod illi excomm. incurrunt quamvis *simpliciter* provocaverint, vel acceptaverint, etsi provocatio acceptata non fuerit, vel post acceptationem duellum non fuerit subsecutum; dummodo vere et ex animo, non simulate, v. c., ignaviae notam veriti, hacc egerint (26): ceteri vero, quippe delinquentes *accessorii*, eam non incurrunt, nisi duello sequuto (27); immo nec sequuto, si duellantes aut ficte commiserint, aut non jure duelli; quamvis id ipsos lateat (28); quia *nihil mutat existimatio delinquentis* (29).

conditio in proximo aut vicino loco consistant, v. c., Medici, Chirurgi, Confessarius opem laturi, et peccant graviter et incurrunt excommunicationem (S. U. I. 28 Maji 1884), quippe aliqualem *favorem* praestant.

22 Clem. VIII, § 5. Verum hi quoque, si duellum prohibere nequiverint, culpae (eousque) expertes videntur.

23 Arg. ex C. 47, *De S. E.*, ibiq. Gl.; Pennacchi, To. I, p. 592.

24 Trident., XIV, R. 19; Pius IV, Const. *Ea quae*, § 7; Greg. XIII, C. *Romani Pontificis;* Bonac., Disp. II, P. 48, n. 27; Mazzotta, To. 3, *Append. De Casib. Reserv.*, Cap. 1, § 2, n. 3.

25 Clem. VIII, § 5. Non item hi qui *post commissum crimen veniam et impunitatem* concedunt, ut antea (cit. § 5): hos enim praeterit Const. nostra.

26 Pennacchi, l. c., p. 561, v. *Non item;* A. Varce., h. a. Aliis aliud visum ex cit. C. Clem. VIII, qua, ajunt, duella etiam *non fatalia* vetantur (S. Alph., III, 399). Sed primo, haec verba in ea Const. desunt; deinde quid commune est hisce duellis cum fictis? Dicent rem judicandam esse ex his quae apparent (Pignatell., *Consult.* Lib. IX, Consult. 88, n. 105; Reiff., IV, 14, 14). Ita porro in foro externo, sed in interno veritas est inspicienda.

27 Pennacchi, l. c., p. 578. Nec obstat Const. Clem. VIII, § 6, cujus nulla heic mentio, secus ac alias (V. §§ 104, 122, 136, 174, etc.) facta est; quin ei vix non diserte derogatum est eo, adjecto *heic*, adverbio SIMPLICITER, quod manifeste ad solos provocantes, et acceptantes pertinent. Et quoad consulentes V. § 12, 56.

28 Pennacchi, l. c., p. 568, de his solum quaerit, qui simulato duello, ignari simulationis (nam si sciant magis gladiatura *scherma* intelligitur quam duellum) duellantibus intersunt, vel operam praestant; et in contrariam sententiam magis inclinat. Sed non animadverto, quomodo ubi nullum duellum revera est, ibi duelli poenae irrogari possint; adeoque cessare puto, nedum si hoc simulatum sit, sed etsi duo a rixa continuo, vel non indicto tempore, aut loco, aut non letalibus armis commiserint; idque lateat testes, patrinos, spectatores etc.

29 Ex L. ult. *De crim. expil. heredit.* Sed propter conscientiam erroneam letali non carent.

IV.

116. « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, « quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, « nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes (1): earumve occultos corypheos « ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (2). »

117. Secta dicitur a sectando: sectari autem est alicujus partes, vel doctrinam sequi; ideo et in bonam et in malam partem accepta est (sectae philosophorum, haereticorum). Sed in Pontificiis Constitutionibus *sectae eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam, vel Gubernium sibi aliquid proponunt* (3). Duobus autem opus est ut secta dici possit, 1° ut societas coita sit (4); 2° ut intendat quoquo modo in perniciem Ecclesiae vel legitimae potestatis civilis: neque enim huc pertinent societates, licet et ipsae prohibitae sint (5), perditorum hominum, quae quidvis aliud improbum, vel contra bonos mores, aut leges moliuntur (6). Sectae igitur sunt, quae quidvis docent, agunt, satagunt, quod vel ab Ecclesiae Catholicae doctrina, disci-

1 Clem. XII, C. *In Eminenti.*, 28 apr. 1838; Ben. XIV, C. *Providus*, 18 Maji 1751.

2 Pius VII, 13 Sept. 1821; Leo XII, C. *Quo graviora;* Greg. XVI, C. *Inter;* Pius IX, Alloc. *Qui pluribus*, 9 Novemb. 1846; Leo XIII, Encycl. *Humanum genus*, qua societatum hujusmodi finem, consilia et impia molimina detegit; et quomodo ab eis cavendum et cum eis dimicandum sit ostendit.

3 S. U. I., 5 Aug. 1846. *Gubernium*, idest legitimas potestates (Pius IX, Allocut. 15 Sept. 1865).

4 Haec enim hodie est vulgo, et in Bullis Pontificiis recepta hujus vocabuli significatione. Quocumque nomine vocetur (Clem. XII, l. cit., § 2), v. c., societas, collegium, etheria.

5 V. Instruct. S. U. I., 10 Maji 1884. Ut ecce *Societates biblicae* (Pius VII, 1 Jun., et 4 Septemb. 1816; Leo XII, 3 Maji 1824; Pius IX, C. *Qui pluribus* 1846). *Societates Clerico-liberales* (Sillab., § 178; S. U. I., 12 Jan. 1870); *Veterum Catholicorum*, quae *Communismum*, Socialismum, Internationalismum, Nihilismum profitentur (Pius IX, *Encycl.* 8 Dec. 1849, *Const. Multiplices inter* 25 Septemb. 1865); *Fenianorum* (S. U. I., 12 Jan. 1870); *Societas catholica pro vindicatione jurium populi Christiani, et in primis Romani*, in electione Summi Pontificis; quam qui profitentur, fovent, etc. incurrunt excomm. R. P. r. sp. m. (S. Poenit. 4 Aug. 1876, Acta XVI, 148. V. infra pag. 141).

6 Cit. Instruct., § 4. Cujusmodi eas esse docet, quae *secretum et omnimodam obedientiam occultis suis ducibus jurejurando exigunt.* Praeter haec sunt et aliae quamplures, quae etsi palam nec juratae coeunt; nec quidquam contra Religionem, bonos mores et leges praeseferant, immo plura humanitatis plena, multa subest suspicio, ne alicujus clandestinae societatis copiae velut auxiliariae in his lateant; ut ecce (si quid judico) illae quas *operarias* vocant. Ab his *sacrorum antistites noverint oves suas arcendas et deterrendas esse*, eoque diligentius, *quod corruptelae periculum, quod in ipsis latet, difficilius, a simplicibus praesertim hominibus, et adolescentibus persentiri, et praecaveri poterit* (Cit. § 4).

plina, juribus alienum est; vel quamlibet regiminis formam in civitate legitime constitutam, aut leges immutare student. Illud non quaeritur, utrum secreto an palam machinentur (7); ac proinde utrum *a suis asseclis exigant, an non, juramentum de secreto servando* (8); nec utrum viri Principes eas tolerent; multa enim tolerantur ad deteriora praecavenda.

118. Itaque sectae (virus pestiferum, quod hodie totam pene societatem humani generis putri tabe peredit) proscriptae sunt jure tum canonico, tum civili. Ad haec jure canonico excommunicationem incurrunt 1° qui eis nomen dant; nec absolvi possunt, quamvis praestiti juramenti eos poenituerit, *si externe cum sociis communicant* (9); 2° *qui qualemcumque* eis *favorem* praestant (10); demum 3° qui non denunciant occultos earum corypheos ac duces. Nec hi excusantur, eo quod hodie illorum nomina per libros, et ephemerides passim evulgari soleant (11): verum reservatio excommunicationis quoad eos cessat postquam denunciaverint; quae licet verba Constitutionis nostrae refragari videantur, communior et mihi verior sententia est (12). Sed utrum is, qui alicui societati dat nomen, ut culpa et poena ipsum teneat, prius nosse debeat, in ea societate aliquid revera moliri contra Ecclesiam, vel legitimas potestates? Et

7 Pius IX, cit. C. *Multiplices inter.*

8 S. U. I., 5 Aug. 1846.

9 S. U. I., 5 Julii 1837. Quid si interdum id faciunt, ne hi suspicentur, se ab ea descivisse? Et si exinde, aut secta aliquid emolumenti, aut ipsi aliquid spiritualis detrimenti capiant, rem malam faciunt naturali jure, adeoque, si graviter malam, eos absolvere grave est. Secus rem malam faciunt jure humano tantum. Porro transfugae neci sunt addicti, quam effugere vix possibile est: omnia igitur in aestimatione prudentis Confessarii esse debent, si quid opinor.

10 Clem. XII, cit. C. *In eminenti*, § 5. Ideo hac excommunicatione tenentur, qui eis praebent *consilium, auxilium, palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios;* qui eas in suis aedibus receptant, occultant, seu *commoditatem* faciunt, *ut alicubi convocentur;* qui alios hortantur, suadent ut hujusmodi societatibus *adscribantur, adnumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant* (Clem. XII, cit. § 5).

11 S. U. I., 1 Februar. 1871. Quaeri potest an excommunicationem latam in C. Pii VII, *Ecclesiam*, § ult., incurrant qui sectae catechismos libros seu typos editos, seu MM. CC., statuta, codices retinent. Non puto quia heic praetermittuntur. At proculdubio letali non carent qui ea non tradunt locorum Ordinariis vel Inquisitoribus (Ex cit. § ult.), vel si ea tradere periculosum est, non comburunt (Ex Instr. S. U. I., 1 Febr. 1871. V. § 35, 8).

12 Scilicet Const. ait: *Excommunicationi R. P. reservatae subjacere declaramus* (§ 116), *non denunciantes donec non denunciaverint.* Cui sodes hi postquam denunciaverint, amplius non subjacent? Non quidem excommunicationi, translatitium quippe est censuras tolli nisi per absolutionem non posse: ergo reservationi non subjacent.

si socii 1° palam, nec jurati coeunt, puto eos et culpae et poenae eximi, quamdiu id ignorant; sin 2° clam, et jurati, nec culpae, nec poenae (13); si 3° clam, sed non jurati, vel (quod difficile est) jurati, at non clam, excommunicationem effugere eos puto, quia versamur in odiosis; culpam, propter periculum, non item.

V.

119. « Immunitatem asyli Ecclesiastici ausu temerario violare jubentes aut violantes (1). »

120. Immunitas asyli Ecclesiastici est jus locis sacris, vel religiosis constitutum, ne 1° qui ad ea confugiunt exinde vi extrahi possint (2), vel 2° aliis prohiberi possit, quominus illis deferant quae ad vitam sunt necessaria (3), vel 3° demum quis Ecclesias et loca immunia obsideat, et his qui ad ea aufugerint effugium intercludat (4). Competit omnibus *locis sacris* et *religiosis* (5): idest 1° Ecclesiis, etiam nondum consecratis (6), pollutis, interdictis (7), et continentibus aedificiis (8); 2° Coemeteriis (9) Christifidelibus sepeliendis addictis (10); 3° palatiis S. R. E. Cardinalium, vel Episcoporum; 4° Monasteriis (11), Seminariis; 5° Hospitalibus, Nosocomiis etc., dummodo auctoritate Episcopi sint erecta (12).

121. Itaque excommunicationem incurrunt qui violant, vel jubent violari immunitatem asyli quoquo modo ex praedictis; dummodo id fecerint vi (13) et ausu temerario, ac effectus sequutus fuerit. 1° *Vi;* quocirca si quis dolo et fallaciis eductus fuerit (14), vel fictis promissionibus deceptus, exierit, sibi imputet; quia sibi, non loco sacro fit injuria, jure autem asyli locorum sanctitati et reverentiae, non personis confugientium, provisum est (15). 2° *Ausu temerario:* et hoc modo is facere intelligitur, qui, *ab aliis minime coactus, prudens ac sciens aut violare jubet, aut exequendo violat* (asyli jus), *utpote omnis*

13 Ex S. Poenit. 21 Aug. 1850.

1 Tot. tit. X, *De Immun. Eccl.* V. C. C. Greg. XIV, *Cum illas;* Ben. XIII, *Ex quo divina;* Clem. XII, *In suprema;* Ben. XIV, *Officii nostri.*

2 C. 6, *De Immun. Eccl.*

3 Cap. 35, Can. 17, I; Ben. XIV, l. c. § 14.

4 Ben. XIV, cit. § 14.

5 Ben. XIV, l. c., § 3.

6 C. 9, *De Immun. Eccl.*, C. 4, *De Relig. Domib.*

7 Pirhin., III, 49, 3.

8 CC. 21, 35, 36, Can. 17, 4. Utputa sacristia, porticus, atrium.

9 C. ult., *De Immun. Eccl.*

10 Reiff., III, 49, 41. Ex § 6. *Inst. De Rer. Divis.*

11 C. 36, Can. 17, 4; Gregor. XIV, l. c., § 2.

12 Ex C. 4., *De Religios. Domib.*, Reiff., n. 47.

13 Ex C. 6., *De Immun. Eccl.*

14 Ex C. 6., *De Iis quae vi.*

15 C. 35, Can. 17, 4.

excusationis expers (16). 3° *Effectus sequutus fuerit:* quod de violantibus nemo dubitat, de jubentibus verior, ex regulis juris (§ 10), sententia esse videtur (17). Sed juris asyli in Regnis Saecularibus vix vestigium superest (18).

VI.

122. « Violantes clausuram Monialium cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel « aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo (1); pariterque « eos introducentes, vel admittentes (2), itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac « formam a S. Pio V in Constitutione *Decori* praescriptam. »

123. Clausura dicitur totum illud spatium, quod septis Monasterii (seu mulierum, seu virorum) continetur (3). Clausura Monialium (quam Bonif. VIII invexit, Trident. auxit, S. Pius V perfecit) haec est, ut nullus ea septa ingredi, nulla Monialis eis excedere possit. Et primo, ut nemo ingredi. Ex hoc capite excomm. incurrunt violantes monialium clausuram, non utcunque, sed vel 1° ingrediendo, vel 2° introducendo, vel 3° admittendo. *Ingredientes.* Ingredi est intus ire, aut consistere, et non tantum pedes ponere (§ 6, 10). Hoc nomine omnes excommunicationi sunt obnoxii cujuscumque *conditionis,* adeoque et ipsi locorum Ordinarii (4), vel *sexus,* adeoque et

16 S. U. I., 1 Febr. 1871, contra C. *Cum alias,* Greg. XIV.

17 Avanzini, h. a., n. 16; A. Varce., h. a., n. 2. Contra putant cl. Comm. Pat. II, 250. Nempe, ajunt, *jubentes damnantur ut causae principales non secus ac violantes.* At quo pacto id probant? Sed et concesso, ea regula - *delicta cum effectu accipienda sunt* - (§ 6), numquid non ad causas quoque principales pertinet? Sane mandantes sepeliri haereticum notorium in loco sacro, non incurrere excomm. nisi *is revera tumuletur,* ipsis Comm. Patav., III, 354, indubium est.

18 Sed ubi lex asyli contraria consuetudine est abrogata, si denuo statuatur, servanda erit sub poena excommunicationis hujusmodi (S. U. I. 22 Dec. 1880, et Instr. 1 Febr. 1871, Acta XV, 539).

1 Trid., Sess. XXV, CC. 4, 5, *De Regular.*

2 Gregor. XIII, C. *Ubi gratiae;* Paul. V, C. *Monialium.* Porro Trident. excommunicationem nemini reservavit: et postea reservationem R. P. adjecerunt 1° quoad ingredientes *praetextu facultatum,* et contra superiores omnes Greg. XIII (C. *Ubi gratiae* 13 Jun. 1575), 2° contra violantes clausuram *ad malum* (impudicum) *finem* S. C. C. jussu Clem. VIII, an. 1602, demum 3° quoad omnes Const. nostra.

3 Gregor. XIII, C. *Inscrutabilis. Mulierum;* nempe solemnia vota profitentium, quia hae solae stricta et propria significatione *Moniales* dicuntur. Quae igitur simplicia tantum nuncupant vota, huic excomm. non sunt obnoxiae (S. C. *Epp.* 1 Aug. 1839, Pennacchi, To. I, p. 716), nisi forte clausura Papalis apud eas constituta sit auctoritate R. P. manente professione votorum simplicium (*Ead.* S. C. 22 Februar. 1839; Bizzarri Collect. p. 96).

4 Gregor. XIII, C. *Dubiis.* Hi antea prima vice suspensione a Pontificalibus, secunda suspensione a divinis,

foeminae (5), vel *aetatis,* adeoque et impuberes (6). *Introducentes.* Introducere est intus *ducere,* v. c. januam aperiendo, invitando, etc.: quamobrem excomm. non contrahunt stantes extra septa, si ingredientibus operam praestant. *Admittentes.* Admittere est, extraneum ad se recipere, quod proprie ejus est, qui dimittere potest; adeoque *admittentes* heic accipere debemus, si quid opinor, eas quae prohibere debent, et facile possunt, nec prohibent; hoc autem solius Praefectae et Ostiariae officium est: adeoque simplices moniales nullam, ex hoc capite, excomm. incurrunt; nisi forte *introduxerint* (7). Et re quidem vera, quando Const. nostra voluit excommunicatione omnes, ultra superiores, coercere, id expressit (§ 126). Alii autem, praeter *ingredientes, introducentes, admittentes,* excommunicationi non sunt obnoxii; non consulentes, non mandantes (8); immo nec locorum Ordinarii, qui indebitam ingrediendi licentiam concedunt (9).

124. Sed haec generatim; nam Ordinario licet ingredi monasteria sacrae visitationis, aut necessitatis causa (10); ceteris vero ex necessitate, de licentia Ordinarii. Quae necessitas triplex esse dicitur; infirmarum cura, administratio Sacramentorum, et commune servitium (11). Ex primo licet intrare Medicis, Chirurgis ad me-

tertia excommunicatione plectebantur (Gregor. XIII, cit. C. *Dubiis* 23 Decemb. 1581).

5 Ben. XIV, C. *Per bina.*

6 V. § 11, 47. Non item infantes, idest septennio minores, quippe expertes culpae (Thesaur., V. *Clausura,* IV, v. *Incurrunt*); adeoque nec impotes mentis.

7 Rotarius, *Theolog. Regular.*, Lib. II, Cap. III, P. 2, n. 10; Sanch., Dec., VI, 16, 94; Bonac., To. I, De Claus., Q. IV, P. VI, nn. 2, 12. Eoque minus si jam ingressum comitentur, detineant (Sanch., l. c., contra Bonac., n. 14). *Nisi forte* etc., utputa invitando, manum praebendo etc. (Ferraris, V. *Conventus,* III, 30; V. *Moniales* III, 59). Quaesitum est an excomm. incurrant qui introducunt infantes. Negant Lezana, Sanch., Ferrar. (V. *Conventus* Art. III, n. 20). Affirmant Mattheucc., et Girald., ad Thesaur, l. c., quia in Const. Greg. XIII, *Ubi gratiae,* prohibetur introducere *quemquam: quo nomine,* ajunt, *comprehenduntur omnes cujuscumque aetatis sint, praesertim cum haec Const. sit ampliativa Tridentini decreti, a quo prohibitus erat ingressus cuicumque, cujuscumque aetatis.* Verum hoc argumentationis genus leviusculum judicatum fuit. Cum nullo igitur certo jure nitamur, res ex Const. nostra expedienda est. Age nunc haec excommunicatione coercet introducentes *eos,* quibus ingredi vetat sub eadem excommunicatione *cujuscumque aetatis:* atqui horum numero non continentur infantes (not. 6): ergo etc.

8 Bonac., n. 13.

9 Qui, verius, nec antea eam incurrebant, nisi id permitterent praetextu facultatum a Sum. Pontifice vel a Legato ejus obtentarum (Greg. XIII, C. *Ubi gratiae*).

10 Greg. XIII, Cit. C. *Dubiis.* Visitare autem *tenetur* singulis annis (Ferrar., V. *Visitatio* n. 18), *potest* quoties noverit expedire (S. C. C. 17 Jul. 1597; Gallem., ad Trid., XXV. *De Regul.* 5).

11 Clem. Unic., *De Stat. Reg.* in 6°; S. Alph., VII, 225.

dendas aegrotas (12); ex altero Confessariis ad ministrandum infirmis Poenitentiam, Eucharistiam (quoties dabatur sanis) (13), Extremam Unctionem, et ad commendandas animas agonizantium (14): demum, ex tertio, operariis, bajulis, olitoribus etc. (15). Licentia autem danda est ab Episcopo, et praeterea, si monasterium subest Regularibus, a Superiore ejus Ordinis (16), nisi periculum sit in mora. Et toties danda est, quoties opus fuerit (17); exceptis Medicis, Chirurgis, et Confessariis ordinariis, quibus danda est generatim (18). Illud ex Const. nostra opus non est, ut in scriptis detur.

125. Deinde ut nulla monialis sine beneplacito Sedis Apostolicae egredi possit extra casus ac formam a S. Pio V praescriptam. Casus sunt, magnum incendium, infirmitas, lepra, vel epidemia (19). Nihilominus, si qua similis causa intervenerit, ut puta inundatio, ruina, latronum incursus, egredi posse dubium non est (20). Forma autem haec est, ut infirmitas, *praeter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Ordinarium cognita et expresse in scriptis approbata sit* (21). Moniales aliter exeuntes, excommunicationem incurrunt. Sed hodie ipsae tantum, non superiores qui dant eis licentiam egrediendi (22), neque comitantes, recipientes, etc., neque egressae, quae definito eis tempore non revertuntur (23).

12 Reiff., III, 35, 53.

13 S. Alph., VII, 227. Non vero ad exorcizandas obsessas, (S. C. Ep., 1 Jul. 1606), ad exequias defunctae Monialis peragendas (Eadem. S. C., 10 Martii 1577), etc.

14 Alex. VII, C. *Felicis*, § 5.

15 Gloss., in C. *Un., De Stat. Reg.* in 6°. Non licet tamen hodie recipere in Monasterio puellas, sive famulas sive educandas, sine licentia Sedis Apost. (Ben. XIV, C. *Per binas.*).

16 Urban. VIII, 17 Jun. 1730. Immo a solo Episcopo, si talis sit usus (Bened. XIV, *De Synod.* XIII, 12, 23).

17 Cit. S. C., 26 Nov. 1722; Ben. XIV, Not. 19, 19. Nihilominus potest Episcopus committere Abbatissae, vel Confessario facultatem concedendi aliis licentiam ingrediendi (S. Alph., VII, 223, in fin.).

18 Ead. S. C., 13 Jul. 1605, 2 Mart. 1609, (V. Lucidi, *De Visit. Sacr. Lim.* Vol. II, pag. 138, § 56, etc., Romae 1866).

19 S. Pius V, C. *Decori*, 24 Jan. 1570. Lepra, nempe, et epidemia quae coenobium, et non urbem tantum, invaserint (S. C. Epp., 20 Febr. 1720; Bened. XIV, *De Syn.* XIII, 12, 31). Ceterum appellatione epidemiae quodvis morbum contagiosum significatur (Ex C. *Un. pr., De Stat. Reg.* in 6°; S. Alphons., VII, 229). Ab excommunicatione tamen non excusat contraria (licet immemorabilis) particularis consuetudo, vi cujus Episcopus ex gravi causa ab ipso recognita egressum permittere solebat (S. U. I, 22 Oct. 1880; Acta XV, 539).

20 Reiff., III, 35, 50; S. Alph., l. c.

21 S. Pius V, cit. C. *Decori.*

22 Contra CC. *Decori* S. Pii V, et *Monialium statui* Pauli V. At vero ceterae poenae quibus, praeter excomm. coercebantur, idest privatio dignitatum et officiorum, et inhabilitas in posterum ad ea obtinenda, salvae permanent (§ 22).

23 Bonac., Quaest. 1, P. IV, n. 3, ibiq. Sanch. Hactenus de clausura Ponti-

VII.

126. « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admit-« tentes (1). »

127. Clausura est omne illud spatium quod septis monasterii continetur (§ 123); adeoque officinae, coenacula, valetudinaria, prata, sylvae, viridaria, nisi separata sint claustro et muro convenienti; non item chorus quia est pars Ecclesiae (2), neque sacristia, si ad eam ex Ecclesia aditus patet (3); immo nec clausura ubi sunt putei aquarum, modo Coenobium habeat alia putea mulieribus invia (4). Regulares heic quoque accipimus, qui solemnia nuncupant vota; non qui Religiosis Congregationibus sunt adlecti, nec Tertiarii, etsi collegialiter vivant (5).

128. Personae quae hanc excomm. incurrunt sunt ingredientes, et admittentes. *Ingredientes*, nempe foeminae omnes prorsus (6); seu nubiles, seu maritatae, seu viduae (7); scilicet infante majores, (§ 11, 46), immo puberes (cit. § 11. 47. juncto § 122. v. *cujuscunque aetatis*); licet impuberes gravi non vacent. Nec excusantur quod intraverint eo tempore, quo nullus Religiosus intus erat; hoc enim per accidens fit (8). *Admittentes* nempe foeminas hujusmodi, quamvis fatuas, et mentis impotes; lex non distinguit (9). Porro *admittere* do-

ficia: sed si Ordinarius eam constituerit (penes eas moniales quae vota simplicia profitentur) sub poena excomm., qui illam, violant excomm. incurrunt (S. C. Epp., 1 Aug. 1839). Praeterea ex Trident., XXV, *De Regul.* 5., excomm. (sed nemini reservata) coercentur Magistratus saeculares, si ad instantiam Episcopi non praebeant (nempe, ubi haec lex adhuc viget, et, ut opinor, si ex jure ejus Civitatis praebere possunt) auxilium adversus contradictores et inobedientes legibus Sanctimonialium clausuram tuentibus.

1 V. C. *Decet, C. Regularium* S. Pii V, et C. *Ubi gratia* Gregorii XIII.

2 Bonac., *De Clausura*, Q. V, P. 1, n. 1.

3 Ferrar., V. *Conventus*, art. III, 9. Quippe exinde extra clausuram esse intelligitur, adeoque licet per aliam januam in Clausuram ingressum praebeat (contra Bonac., n. 4); quod aut verius est, aut certe usu receptum.

4 S. C. Episc., 16 Maji 1582, 17 Septem. 1583 ap. Ferrar., n. 15.

5 S. C. Epp., 20 Decemb. 1616; Ferrar., l. c., n. 15.

6 Const. *Decori*, § 2. Ibi *omnes et quascumque;* seu praetextu privilegiorum ingressae fuerint, seu minus, quod a S. Pio V, C. *Decet*, expresse declaratum fuit (V. Reiff., III, 35, 74): exceptis fundatorum, vel insignium benefactorum descendentibus eorumque affinibus, quibus hoc privilegium vel constitutum fuit vel concessum, et a Sede Apost. confirmatum (V. Bened. XIV, C. *Regularis disciplinae*, § 8, 3 Jan. 1742).

7 Sanch., Dec., VI, 17, 4; Bonac., Q. V, P. 2, n. 2.

8 Bonac., l. c., n. 7.

9 Sanch., l. c., n. 4; Bonac., n, 2. Dices forte, Const. nostram in eos ani-

mesticorum est: ideo excomm. non tenet extraneos admittentes, quos nec antea tenebat, sed tantum coenobii *Abbates, Priores* etc., *monachi, fratres,* etc., ut antea (10), et planum est ex hac ipsa Const. nostra. At praeter ingredientes et admittentes nullus alius hanc excommunicationem incurrit, velut comitantes, quos et jus vetus praeteriit et praeterit Constitutio nostra (11).

VIII. IX. X.

129. « VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.
« IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet cujuscumque sint dignitatis.
« X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem (1). »

130. Simonia communiter definitur – *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum* (2) – Duplex est; una quae dicitur juris divini, altera quae juris humani: illa versatur circa res spirituales, haec circa res temporales spirituali adnexas versatur: illa stricta ac propria significatione simonia est, haec lata et minus propria (3). Neutra, quamdiù sola intentione haeret, simonia dici solet: sed cum iniri incipit *facto* aliquo externo, tunc primum simoniae nomen subit (4); et in mentalem, conventionalem, et realem

madvertere, qui admittunt mulieres, quae violando clausuram excomm. incurrunt. Sed ita esse non puto; non puto inquam poenam admittentium metiendam esse ex poena ingredientium; alias excommunicationi eximendi erunt, qui admittunt mulieres ignorantes prohibitionem Ecclesiae, aut solam excommunicationem (§ 8, 22), vel putantes non esse clausurae locum, quem intrant, etsi admittentes eis vel hoc, vel, quod longe deterius est, sibi factam esse facultatem easdem admittendi persuaserint, quod nemo dixerit. Itaque illos tantum excusari duco, qui admittunt confugientes ad monasterium necis vitandae causa, quia heic cessant Ecclesiae leges (S. Alphons., VII, 231).

10 S. Pius V, Const. *Regularium,* § 4. Porro haec Const. in eos animadvertit privatione officiorum, et suspensione a divinis ipso facto (cit. § 4). Has autem poenas subrogatas fuisse ab excommunicatione in eos lata per Const. A. S. tenuit Avanzi., n. 19, et ex eo Comment. Patav., II, 258. Tenui et ego, quoad suspensionem recte (§§ 20, 23), quoad alias poenas non item, quippe et antea excommunicationi erant obnexii ex Const. Greg. XIII. *Ubi gratiae,* § 3, 13 Junii 1575 (Pennacchi, To. I, p. 802).

11 Reiff., III, 35, 78, ibiq. Sanch., Pellizzar., Portel., *dummodo, ajunt, non sint causa, ut diutius commorentur, et aliunde non concurrat circumstantia mala,* v. g., *scandalum.* Sed pace tantorum virorum excommunicatio non cuivis peccato, quod hac in re committi potest, neque scandalo adnexa est, sed violationi clausurae, quae fit *ingrediendo,* vel *admittendo.*

1 V. Trid., Sess. XXIV, *De Ref.,* Cap. 18; *Extr.* 3, *h. t. (De Simon.);* S. Pius V, C. *Intolerabilis,* 1 Jun. 1569.

2 D. Thom., 2, 2, 100, 1.

3 Cf. *De Just.,* IX, V, 2; Laym., *De Simon.,* Cap. 10, n. 66; Pirh., V, 3, 6; Schmalz., V, 3, 224.

4 Suar., *De Simon.* (Tom. I, *De Rel.,* Tr. III, lib. IV), C. 41, n. 3.

diducitur. Scilicet *factum* hujusmodi aut nuda rei, vel pretii datio, seu acceptio est cum occulta intentione simoniaca; aut pactum dandi aliquid temporale pro spirituali, seu spirituali adnexo, vel contra. Si primum tantum intercesserit, *mentalis* (5); sin alterum tantum, *conventionalis* (6); sin utrumque (pactum et datio) simonia *realis* nuncupatur (7). Ex his solam simoniam juris divini esse obnoxiam excommunicationi verius videtur (8); quippe haec sola propria significatione simonia est. Nec omnis, sed hodie ea tantum quae admittitur in beneficiis Ecclesiasticis, et ob religionis ingressum (9). Nempe, quia in odiosis versamur, realis tantum (10); atque ideo postquam perfecta fuerit ultro citroque (11). Haec generatim, de utraque nunc seorsim.

131. Principio igitur in beneficiis Ecclesiasticis simonia realis fit cum quis emit aut vendit 1° ipsum beneficium (12), aut 2° collationem ejus, vel provisionem (13), aut 3° electionem, praesentationem ad illud obtinendum (14). Beneficium inquam seu majus, seu minus, non item *officium*, ut *olim* (15). Incurritur cum emptio aut venditio fuerit perfecta ultro citroque (16); non item si aut pretium tantum persolutum sit, sed res nondum tradita; aut si res dumtaxat tradita sit, pretio nondum persoluto (17). Caeterum sufficit pretii partem datam fuisse (18); minimam quoque, quia haec simonia nullam materiae parvitatem recipit (19).

5 C. ult., *De Simon.*

6 C. 12, *Eod. tit.*

7 Suar., 41, 1; Croix, III, 1, 58.

8 Ex Extrav. 2, *De Simon.*; S. Alph., III, 108. Canonistae communius contra, ex C. *quam pio*, 1, q. 2. Sed non bene, quia in eo agitur de Simonia juris divini; et de excomm. ne verbum quidem.

9 Suar., 54; Pirhin., 3, 154; Reiff., V, 3, 229; Schmalz., V, 3, 277.

10 Navar., 23, 104; Reiff., n. 236; Schmalz., n. 235; Suar., n. 55, 12.

11 Suar., 35, 16; Laym., VIII, 68.

12 Pirhin., n. 75; Schmalz., n. 224; Suar., 24, 3; S. Alph., III, 70. Communissima.

13 Extr., 2, *h. t.*

14 Reiff., nn. 263, 264; Schmalzgr., n. 265. De jure patronatus, utrum sit simonia juris divini illud emere, Nostri diversi - Negantium sententia videtur verior, quippe jus temporale est (nam et laicis, et foeminis competit) spirituali adnexum (V. Salm., 19, 2, 75 etc.).

15 Cit. Extr., § *Per electiones.* Velut officium rectoris, oeconomi, vice-parochi etc.

16 Suar., 35, 16; Laym., n. 68.

17 Suar., 56, 33: quamvis emptori fides de pretio habita sit (S. Alph., III, 106). Nec obstat penes nos C. It., A. 1448, quia simonia realis esse debet.

18 Salmat., XIX, IV, 6.

19 Suar., 55, 17. Pretium autem dedisse intelligitur et is cui venditor accepto tulit (C. 10. *De Testib.*), vel, si quid judico, novata obligatione (Ex L. 1, D. *De novat.*), veluti si emptor eam pecuniam quam debet, quasi foeneratam retineat (§ 3, *Inst. Quib. mod. toll. oblig.*).

132. Ad haec in beneficiis excommunicatione coercetur alia simonia, quae dicitur *confidentialis*, seu *fiduciaria*. Haec est species simoniae conventionalis. Admittitur quoties aliquis beneficium Ecclesiasticum alicui procurat quovis actu ad hoc ex jure necessario, utputa conferendo, praesentando, resignando, eo pacto tacito vel expresso, ut is qui beneficium adeptus fuerit, postmodum idem beneficium sibi vel alteri cedat; vel ut ex eo fructus praestet (20). Uti igitur haec simonia locum habeat, necesse est, ut pactum intercedat super beneficio ipso, vel ejus fructibus. Super *beneficio;* nempe, ut post certum tempus, vel in certae conditionis eventum, procuranti, vel alteri detur ad illud *accessus*, vel *ingressus*, vel *regressus* (21). Super *fructibus;* his nempe, aut eorum parte, *alii*, *vel aliis*, reservatis (22). Dixi super beneficio *ipso* vel *ejus* fructibus; quamobrem non erit simonia fiduciaria, si quis haec sibi reservaverit super alio beneficio; vel quid aliud super beneficio ipso (23). Amplius; cum haec simonia in conventionalem recidat, sine pacto aliquo, saltem tacito, non intelligitur: adeoque non intentio simoniaca, si quis eam non significaverit (24), nec spes tantum accessus, vel ingressus, vel regressus, tametsi eam alteri significaverit, facit simoniam confidentialem (25); nec demum si pactum fuerit nullum ex alio capite; ut puta si quis beneficium non in manu Episcopi, sed propria auctoritate renunciaverit (26). Et licet permutatio beneficiorum sit quaedam quasi mutua resignatio, nihilominus, quia in odiosis versamur, simoniam confidentialem in eis locum non habere (27), si

20 Reiff., n. 32; Schmalz., n. 37; Croix, III, 1, 63.

21 S. Pius V, C. *Intolerabilis*, § 3. Porro *accessus* dari dicitur ei qui beneficii neque institutionem, neque possessionem nactus fuerat, *ingressus* ei qui institutionem tantum, *regressus* ei qui utrumque fuerat adeptus (Salm., XIX, III, 64; S. Alph., III, 85).

22 S. Pius V, loc. cit. Quid igitur si eos sibi reservaverit, utrum adhuc fiduciaria simonia sit, ceu putant Garc., *De Benef.*, P. II, Cap. III, n. 194; Suar., 43, 7; Reiff., n. 37; an communis tantum, ceu rentur Navar., Cons., *De Sim.*, 76, 6; Less., *De Just.*, II, 35, 97; Diana, Ugolin., Menoch.? Mihi prior sententia videtur verior, ex cit. C. *R. Pontificem*, § 1, et C. *Intolerabilis*, § 4 (V. Croix, n. 66): sed quia in obscuris et odiosis versamur, minimum est sequendum.

23 Suar., *De Simon.*, 43, 4; Less., Navarr., Salm., XIX, III, 70; Croix, III, 1, 68,

24 Schmalz., V, 3, 40.

25 Suar., 43, 12; Less., II, 35, 96; S. Alph., n. 87.

26 Salm., n. 93; S. Alph., n. 90; V. § 6, 12. Quid si alter simulate promiserit, alter ex animo? *Et illum* non incurrere excomm. palam est (Suar., 22, 6, 18): sed neque *hunc*, si quid opinor, quia pactum (quod consistit ex duorum consensu) revera deest. Nec obstat C. S. Pii V, quae hanc simoniam coercet, licet *alterius tantum partis conscientia* sit admissa; nam pertinet ad forum externum, in quo confidentiam non defuisse praesumendum esse decrevit.

27 Navarr., *De Simon. Consil.*, 77; Suar., 43, 11; Schmalz., n. 43.

inter partes aliquid convenerit circa beneficium ipsum vel fructus, verius est (28). Ceterum in simonia confidentiali coercetur nudum *pactum* simoniacum; eo igitur inito, simonia perfecta intelligitur, et excommunicatio statim incurritur (29).

133. Simonia haec sive realis, sive confidentialis, hodie tenet et dantes et recipientes (30): et praeterea realis, quippe gravior, complices quoque; confidentialis non item, nam hos in Const. Pontifex reticet. An igitur, ex diverso, confidentialis teneat reos cujuscumque sint dignitatis, non item realis, in qua de reis *cujuscumque dignitatis* non fit mentio? Et hos reali quoque simonia teneri puto, quia lex non distinguit. Idcirco autem in confidentiali tantum eos Constitutio nostra recensuit, ne ab excommunicatione censerentur immunes, ut antea, S. R. E. Cardinales et Praelati; quos ex multorum sententia, licet erronea, solius interdicti ab ingressu Ecclesiae poena teneri creditum est (31). Verum in hoc utraque simonia convenit, quod, nisi in beneficiis Ecclesiasticis stricte sumptis admittatur, excommunicatio non incurritur (32): adeoque hanc non subeunt, licet gravi non vacent, qui emunt, vendunt Capellanias laicales (33), Vicarias non

28 Reiff., n. 39; Wienst., V, 3, 14. Si id convenerit cum Ordinario vel alio Collatore, simoniam confidentialem non abesse docent Canonistae, ex cit. Const. S. Pii V, quae, ajunt, loquitur de beneficiis *quovis modo*, adeoque etiam ex causa permutationis vacantibus (Wienst., n. 12, Reiff., 40; Schm., 44). Sed vix est, ut vacare intelligantur beneficia permutata, quippe quae permutatione ipsa conferuntur ultro citroque.

29 S. Pius V, C. *Intolerabilis;* Navarr., 23, 109.

30 *Hodie:* scilicet in simonia confidentiali cit. C. S. Pii V solos accipientes coercebat (Suar., 22, 6, nn. 15, 20); nunc et dantes rei sunt.

31 Pius IV, C. *R. Pontifex*, § 4. - *Erronea,* nam S. Pius V, in C. *Intolerabilis*, 1 Junii. et C. *Hodie*, 14 Nov. 1669, interdicto excommunicationem superaddidit. Ne quis igitur ulterius decipiretur, addita videntur ea verba - *cujuscumque dignitatis* - Nec obstat quod S. Pius V, reclamantibus quibusdam S. R. E. Cardinalibus *obtenta* (ut ipse ait) privilegiorum, ipse privilegia hujusmodi *effectu quoad haec prorsus carere decreverit:* nam id fecit *ad tollendum omne dubium* (Cit. CC.): adeoque ad cautelam (V. § 11, 48). Nihilominus quia multi haec privilegia S. R. E. Cardinalibus adserunt, contraria sententia improbabilis dici nequit, et quia versamur in odiosis, tenendam puto.

32 Salm., XIX, IV, 16. Porro tria sunt, quae beneficii Ecclesiastici naturam constituunt: erectio in titulum, sacrum ministerium, et collatio in perpetuum, idest quoad beneficiatus vixerit (Cavall., Inst. Jur. Can., Par. II, 38, 4); quamquam hoc postremum non omnibus placet. *Quod his* constat, beneficium est, quocumque nomine vocetur; seu *Capellania collativa*, seu *Vicaria perpetua,* seu *Commenda.* Nec distinguitur, utrum sit liberae collationis, an juris patronatus, etiam laicalis; quia uti servitus praedii, ita Patronatus (quod instar servitutis est) beneficii naturam non mutat.

33 S. Alph., III, 112; Lucidi, III, 4, 13, 16. Caeterum natura cujusvis Capellaniae ex tabulis fundationum

perpetuas (34), pensiones (35), Coadjutorias (36), et id genus cetera. At, si agatur de beneficiis stricte sumptis, in omnibus prorsus, majoribus quoque, uti *apices dignitatum*, excomm. incurri, mihi verius videtur: *quibuscumque - quibuslibet* - ait Constitutio; haec autem verba *omnia ecclesiastica beneficia comprehendunt.*

134. Venio nunc ad simoniam quae admittitur ob Religionis ingressum. Ingredientibus religionem duo praestat Ordo; statum religiosum, et alimenta. Pro *statu* pecuniam dare aut exigere, est simonia juris divini, seu pro professione seu pro vestitione exigatur, detur; ob quam incurritur excommunicatio: non illico quidem, sed postquam simonia fuerit perfecta ultro citroque, idest post initam professionem, etc. (37). Pro *alimentis* aliquid exigere a Novitiis *nulla*, a Professis *juris humani* simonia est: quae, quoad Moniales, ubique locorum, quoad viros, pluribus in locis est antiquata; et ubi viget, excommunicationi, verius, (§ 130, 10) non est obnoxia (38).

aestimari cum primis debet (Piton., *De contr. patron. Alleg.*, 33, 87; *S. S. C.*, 7 Jul. 1866).

34 V. De Luca, *De Benefic.*, Disc. 80, 16.

35 S. Alph., l. c. Nempe reales et clericales; licet in favorabilibus beneficiis accenseantur (Barbosa, *Dictiones* etc. V. *Quicumque*, n. 3). Sane cum eo verbo *beneficiis* omnia minora comprehendantur, verbis *in beneficiis quibuscumque* aut impropria, aut majora comprehendi necesse est: atqui non impropria (§ 10) ergo majora. Et recte, nam in his simonia est longe gravior et periculosior, et simoniacus longissime indignior.

36 S. Alph., l. c. Sed non cum jure successionis, quippe hae sunt vera beneficia collata ex die (Suar., *De Simon.*; 27, 5, contra Pala.).

37 Suar., 56, 7; Laym., 70; Pirhin., V, 3, 71; Reiff., 255.

38 Cajet., 2, 2, 100, 3; Sot., IX, VI, 2 ad 4. Ad haec Trid., XXIV, R. 18, sanxit: *Caveant* (examinatores) *ne quidquam prorsus, occasione examinis* (ad Parochias), *nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae* VITIUM *tam ipsi, quam alii dantes* INCURRANT, *a* QUO *absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis* etc. Ex illis verbis *vitium simoniae*, Thesaur., Par. II, v. *Simonia*, Cap. IV, n. 1, fretus auctoritate Navarri, et Ugolini, existimat *incurri excommunicationem contra simoniacos super beneficiis latam.* Quod mihi et incivile videtur et durum prorsus, 1° quia verbum illud *vitium* peccatum significat, non poenas peccato adnexas, et a vitio (peccato) *absolvi* aliud est ac a censuris absolvi - Nec dicas excommunicationem cohaerere ipso jure vitio simoniae, nam heic 2° versatur simonia juris humani (V. § 130, 8), quod vel ipsum Trident. significat eo verbo *incurrat.* 3° Quia durissimum est et a regulis juris alienum prorsus gravissimas poenas a Trident. eo Cap. 18 latas in simoniacos hujusmodi exacerbare, adjecta excommunicatione (V. § 10, 37). Et re quidem vera eam praetereunt nedum TT. et Canonistae communiter, sed et hi quoque, qui singulas censuras prosecuti sunt, uti Sayrus, Suaresius, Bonacina; et Filiuccius nec inter dubias excommunicationes eam recenset (Tractatus XIV, 97).

XI.

135. « Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excom-« municationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V *Quam plenum* 2 Januar. 1569 (1). »

136. Haec materia superiori proxima est, nam simoniam redolet, quippe id quod ob gratiam spiritualem exigitur non quasi praetium exigitur, sed quasi eleemosyna. *Indulgentiae* quid sint neminem latet. *Gratiae spirituales* in Const. S. Pii V, hac re censentur 1ª *facultas* eligendi sibi Sacerdotem, seu *simplicem* a quo absolvi; seu *confessarium* per quem a reservatis (R.no P., vel Ordinariis) absolvi possit; 2° Missae sacrificium, et sepultura tempore interdicti; 3° ciborum prohibitorum usus; 4° assumptio plurium compatrum ad baptisma, contra Decr. Conc. Trid.; 5° demum absolutio a reali simonia Sedi Apostolicae reservata. Qui haec igitur faciunt, ex Const. S. Pii V, si Episcopis inferiores, contrahunt excommunicationem R. P. reserv., Episcopi vero et S. R. E. Cardin. *ab ingressu Ecclesiae et perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tamdiu suspensi* jacere debent, *donec illis per Sedem* (Apostolicam) *suspensio* relaxetur (2).

137. Age nunc, nihil prorsus per Const. Nostram heic nec quoad materiam excommunicationis, nec quoad personas eam incurrentes mutatum est. Proinde ut excommunicatione teneantur, necesse est, primo, ut publicaverint, vel concesserint aliquid ex his quae in cit. Const. recensentur: itaque excommunicatio non intelligitur, sive quid aliud publicaverint, aut concesserint, sive quid ex his publicari aut concedi mandaverint, et nihil publicatum, concessum fuerit (3). Immo etsi concesserint, si nullum exinde quaestum fecerint; ait enim Pontifex *quaestum facientes,* et non quaestus faciendi causa: ideo requiritur ut pecuniam acceperint (4). Illud non inte-

1 Trid., Sess. XXI, *De Ref.*, Cap. Ult. Postea vero, cum quidam Ecclesiarum Hispaniae administratores, literas suas in suis Dioecesibus publicarent, quibus, facultates sibi concessas excedentes, indulgentias et gratias spirituales, *pias causas praetexentes*, concedere coepissent his, qui certa soluta pecunia eas literas acciperent, S. Pius V, Const. *Quam plenum,* 1569, inferiores Episcopis excommunicatione; ipsos vero Episcopos, et qui *majori dignitate praefulgent interdicto ab ingressu Ecclesiae, et suspensione a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum* coercuit.

2 S. Pius V, cit. Const., §§ 2, 6.

3 Bonac., To. 3, Disp. 2, Q. 3, P. 30, n. 4.

4 Ex cit. C., an. 1569, §§ 1, 4. Publicare autem intelligitur et is qui indicem indulgentiarum etc., aedibus sacris appehendi jubet (Cit. C. § 2).

rest, quod quis per alium, et non per se, concesserit, vel acceperit: quia non nuda facta, sed velut negocia sunt (§ 11). Ea autem tenentur soli inferiores Episcopis. Episcopi autem et S. R. E. Cardinales hodie nullam poenam incurrunt, nam suspensiones, quibus olim tenebantur, omisit Constitutio *A. S.* (5).

XII.

138. « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo « eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent (1). »

139. Hoc articulo compescitur mercimonium (2) quoad Missas *manuales* (3). Uti autem haec excommunicatio (de peccato viderint alii) (4) teneat exercentes turpe hujusmodi mercimonium, necesse est, ut hi 1° colligant stipendia Missarum; 2° ut quaestus causa (5); 3° ut faciant eas celebrari ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent vel *consuetudine*, *vel synodali lege*. Excommunicationem igitur non incurrit ex 1° qui quasi collectoris munus non exercet; v. c. is, cui Missae dantur a se celebrandae; qui ab alio celebrandas sponte oblatas accepit (nisi ei quasi collectori deferri videantur); qui eas colligit ab uno vel altero tantum, idest semel tantum, aut iterum; heic enim necesse est ut *copiosam quamdam* missarum *collectionem* quis faciat, ut mercaturam facere videatur (6): ex 2°, qui partem stipendii in pios usus distribuit, v. c., Ecclesiis reparandis (7); *vel sibi* retinet quasi laboris sui pretium (8), vel quasi eleemosynam,

5 V. Comment. Patav., II, p. 279; Pennacchi, To. I, p. 935.

1 Bened. XIV, Const. *Quanta cura.*

2 Ex cit. Const. Ibi - *qui turpi* LUCRI *cupiditate inducti, veluti* MERCATURIS *faciendis* etc.

3 S. Alph., VI, 321, v. *Item licet.* Et ex ipso verbo *colligentes* satis apparet. Ballerini ad Gury, II, 975, Alii aliter, nam quidam missas quoque perpetuas, exceptis his quae cohaerent beneficiis ecclesiasticis (Pennacchi, To. I, p. 958); alii, ne his quidem exceptis, omnes hoc artic. comprehensas fuisse (*Nouvelle Revue Theologique*, To. IX, p. 479) tenent. Ego contra puto; primum quia in dubiis leges posteriores ad priores trahendae sunt (§ 21, 10); deinde quia poenas interpretatione exasperare a jure alienum (§ 10, 37), a Const. *A. S.* alienissimum (§ 20) est.

4 Quoad peccatum V. Decr. Inn. XII, *De Celebrat. Missar.*

5 Ex cit. Const., n. 12, v., *lucrum captantes.*

6 Avanzini, *h. t.*; Ballerini, l. c. Quod accipiendum puto cum grano salis; est enim mercatura, pro conditione et facultatibus eam exercentium, vel tenuis, vel magna: res igitur in aestimatione boni viri esse debet.

7 Cit. Const. §§ 1, 5. Sed V. infra n. 17.

8 Viva in Alex. VII, Prop. 9, n. 8. Dummodo, et pro modo laboris retineat, et ad hoc munus sit destinatus (S. Alph., VI, 322, d. 3). Non item si hoc nomine eam retineat ex pacto inito cum Sacerdotibus quibus missae celebrandae mittuntur (Cl. a Varceno, et Pennacchi, To. I, p. 968), quia non cessat mercimonium.

dummodo revera sit pauper; vel alias, occasione permotus, velut casu, et praeter intentionem in suum commodum intervertit, quippe magis fur est, quam mercator; item si is, cui missas celebrandas tradit, sponte prorsus ac liberaliter, atque ideo nullimode rogatus, excessum remiserit (9); demum ex 3° qui eas celebrare facit sive *eodem*, quo eas colligerat, loco (10); sive *alio*, ubi eodem stipendio celebrantur (11).

140. Haec excommunicatio incurritur, non cum quis colligit eleemosynas, sed cum, pro Missis celebratis vel celebrandis tradito stipendio, retinet sibi hujus partem, nempe quae ad materiam gravem pertingat (§ 6. pr.). Verum gravem aestimare oportet, non ex *furto*, sed ex *lucro;* hoc enim menti legislatoris melius congruit (12); itaque si adeo minimum sit lucrum, ut per se nec lucrum dici possit, cessat excommunicatio, etsi furtum grave non cesset (13). Omnes autem excommunicationi hodie sunt obnoxii; Clerici quoque (14). Sed et furti tenentur (15), seu gravis, seu levis, pro materiae quantitate (16); nisi alter retro dederit excessum sponte et liberaliter prorsus (17).

9 S. Alph., VI, 321, Exc. 2.

10 Contr. Const. *Quanta cura.* Ibi - *Sive ibidem, sive alibi.* - Et decretum S. U. I. diei 13 Jan. 1892 ad quartum, quo excommunicationem incurrere dicuntur qui in eodem loco ubi eleemosynas collegerunt pro minore pretio missas celebrari faciunt, intelligendum est, si ibi minoris, non eiusdem pretii, missarum stipendia esse solent.

11 Avanzi., h. a. P. A.; Novana, *h. t.*, n. 2; Formisa., h. a., n. 3; Ballerini, ad Gury, II, 975; XII; Del Vecchio, I, 608; A. Varceno, h. a., n. 4; Comm. Patav., II, 284; Comm. Gall. 263. Et recte; his enim in locis casus hujusmodi rariores sunt: et *quae raro accidunt contemnunt legislatores* (L. 6, *De Legib.*). Contra putant Cretoni, et Ciolli, § 120, aliique ex *identitate rationis.* Sed non bene (§ 10, 40).

12 Pennacchi, To. I, p. 983.

13 *Per se:* neque enim ex personis colligentium, si quid opinor, utrum nempe inopes an divites; neque ex majori aut minori eleemosynarum copia, sed ex seipso lucrum aestimari debet; adeoque et modicum, ut in levi mercatura, lucrum sufficere puto. Et hoc quoque in aestimatione boni viri esse debet.

14 Lex non distinguit. Olim clerici suspensionem incurrebant; quae hodie cessat (§ 23, 15).

15 Cit. C. *Quanta cura.*

16 Croix, VI, II, 135. Cui autem facienda sit restitutio, utrum ei qui dedit, quia dominium ab ipso non abiit, uti Pasqual., q. 976; an celebranti, quia ab eo qui dedit dominium abiit, uti S. Alph., VI, 322? Existimo fieri posse sive ei qui dedit, quippe is colligenti dedit quasi mandatario; sive ei qui celebravit, quippe cui jus *ad rem* est ex dantis intentione.

17 S. Alph., III, 321, v. excomm. 2°. Excommunicationem praeterea Episcopo reservatam hodie incurrunt, ex decreto S. C. C. diei 25 Maij 1893, laici, qui 1° librorum aliarumque rerum mercaturam exercent, et missarum eleemosynas quocumque modo colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt; quin excuset quod missarum numerus

XIII.

141. « Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos* « quarto kalendas Aprilis 1567, Innocentii IX, *Quae ab hac Sede* pridie Nonas Novembris 1591, « Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam* 29 Junii 1592, et Alexandri VII, *Inter caeteras*, « nono kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. « respicientibus ».

142. *Haec excommunicatio optima est ad conservandam jurisdictionem et dignitatem Sanctae Romanae Ecclesiae* (1). Actio, quae hac excommunicatione ceercetur est, agere penes R. Pontificem de alienatione et infeudatione Civitatum, Oppidorum, locorum ad jus et proprietatem S. Sedis seu immediate (2) seu mediate (3) pertinentium, *eamque insinuare, suadere; aut alias verba facere, sive per se, sive per alios;* exceptis locis publicatis et Fisco addictis (4). Nec excusatur *quocumque titulo* id petatur, v. c., gubernii, Vicariatus, feudi, census, permutationis (5), etc.; *quacumque ex causa,* etiam *meritorum erga S. Sedem, vel necessitatis,* vel evidentis utilitatis; *per quodcumque* tem-

collectis eleemosynis respondeat, aut pauperibus sacerdotibus, eleemosynis missarum carentibus, tali modo subveniatur, vel quod lucrum ex mercium cum eleemosynis commutatione non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impendatur: 2º acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, quamvis id faciant nullo accepto praemio.

Dixi *laici;* nam excommunicationis loco clerici, qui in praedictis delinquunt, vel a bibliopolis et mercatoribus libros aliasve merces recipiunt pro missis celebrandis, eleemosyna sive imminuta sive integra, siquidem sacerdotes sint, ipso facto suspensionem a divinis incurrunt Romano Pontifici reservatam; secus eidem suspensioni quoad susceptos ordines sunt obnoxii, et inhabiles fiunt ad superiores ordines suscipiendos (cit. Decr. S. C. C.). Quid si laicus libros vel merces a bibliopolis vel mercatoribus recipiat pro missis, quas ipse suis stipendiis celebrandas sacerdoti tradat? Et neque suspensioni, quia clericus non est, neque excommunicationi, quia missas non colligit, nec mercaturam exercet, nec illas pro libris et mercibus celebrandas tradit, obnoxium esse existimo.

1 Urban. VIII, Const. *Sacrosancti,* an. 1633.

2 C. *Admonet nos,* § 3. Alienationem et infeudationem heic idem significare plurimis, et in primis ex hac ipsa Const. optime evincit Pennacchi, To. I, p. 998.

3 C. *Quae ab hac,* § 4. Etiamsi agatur de locis S. Sedi nondum devolutis, sed devolvendis (Innoc. IX, C. *Quae ab hac S. Sede,* 1591); etiam sub colore verae et evidentis necessitatis, vel utilitatis (Clem. VIII, C. *Ad Rom. Pontificis,* 1592). Quae omnia confirmavit Alex. VII, C. *Inter ceteras.*

4 Greg. XIII, C. *Tanta tamque horrenda,* § 13; Xistus V, C. *Hoc nostri Pontificatus initio.* V. cl. De Martinis h. a. nota A.

5 Cit. C. *Admonet nos,* §§ 1, 3.

pus, etiam *longum* tantum, vel *ad vitam*, vel tantum *ad beneplacitum* (6).

143. Personae, quae huic excommunicationi fiunt obnoxiae, sunt 1° *tractantes, consulentes*, aut *alias verba facientes* de hac re, ac propterea *de eligendis* ob id Oratoribus ad S. Sedem; 2° *oratoris munus hujusmodi recipientes;* ac 3° demum *alii quicumque* etiam Cardinales S. R. E. *alienationes hujusmodi R. Pontifici per se vel per alium insinuantes, vel suadentes* (7). Excommunicationem autem incurrunt illi statim ac Oratores proposuerint (8), dummodo, ut puto, fuerint electi (§ 6); isti suscepto mandato; hi demum postquam cum R. Pontifice de hac re sermonem habuerint, vel scriptum obtulerint, etsi operam et oleum perdiderint. De *hac re*, idest *de alienatione* et *infeudatione;* adeoque (§ 10, 38) non puto huic excommunicationi esse obnoxios qui hodie auctores sunt R. Pontifici conciliationis cum Italico Gubernio ineundae, *abdicatione* usurpati dominii, quippe haec stricta significatione, vix *alienatio* et infeudatio dici posset, aut ne vix quidem (9). Ad haec Comm. Patavini putant excommunicationem et illos contrahere pro quibus infeudatio postulatur, consulitur etc., nempe si haec fiant ipsis scientibus nec invitis: contra putat Pennacchi, quia Constitutiones Pontificiae eos praetereunt; et rectius, nam versamur in odiosis.

XIV.

144. « Religiosos praesumentes Clericis aut Laicis extra casum necessitatis Sacramentum « Extremae Unctionis, aut Eucharistiae per Viaticum ministrare absque Parochi licentia (1). »

145. Hac excomm. coercetur *usurpatae potestatis abusus* (2). Contrahitur ex administratione E. U., aut Viatici: non item, ut antea, ex administratione Eucharistiae in paschate, vel matrimonii. Sed tria sunt in primis necessaria ad eam contrahendam, 1° ut haec Sacramenta administrata fuerint absque Parochi licentia; *Parochum* heic accipere debemus, qui curam animarum habet (quocumque

6 Cit. Const., § 3.

7 Cit. Const. ibid. Licet per literas haec consulerint, insinuaverint, etc., quia literae vocis locum obtinent (Ex L. 77, *De Legat.* 2°).

8 Bonac., Lib. 3, Disp. 2, q. 3, p. 41, n. 1.

9 Pennacchi, To. I, p. 1013. Contra putant cl. A Varc., h. a., Formisano, Ciolli. Sed manifestum est in quatuor Const., quas recenset Const. nostra, agi de infeudationibus: nec heic valet argumentatio de minori ad majus (§ 10, 41).

1 Ex Clem. I, *De Privil.*

2 Suar., 22, 4, 6. Comprimendo *Religiosos jura Parochi usurpantes* (Bonac., Disp. II, Q. IX, P. 5, n. 36).

nomine vocetur), aut vices ejus gerit, cujus aegrotus subditus est ex domicilio vel quasi domicilio (3). *Licentiam* vero accipimus non *specialem*, ut antea, sed vel praesumptam, idest si Parochus eam certe daturus fuisset (4); immo etsi non fuisset daturus ei qui ministrat haec Sacramenta, si eam dedit aegroto (5). 2° Ut extra casum necessitatis. *Casus* autem *necessitatis* aestimari debet nedum ex periculo quo laborat aegrotus, sed et si Parochus non facile acciri potuerit, vel accitus venire noluerit, et periculum sit in mora: nam in eo casu licet vel eo invito, Ordinario, aut Ecclesia jurisdictionem supplente (6). 3° Ut temere fuerint administrata: adeoque excusat quaevis ignorantia seu facti, seu juris; dummodo non fuerit affectata (7). Ad haec requiritur ut sacramenta valide fuerint administrata (§ 6, 12): proinde si hostia non fuerit consecrata, vel Diaconus ministraverit E. unct., excommunicatio cessat (8). Nunc videamus quinam ei sint obnoxii.

146. Porro haec excomm. lata fuit ad jurgia compescenda inter Parochos saeculares, et Ordines Regulares exorta, postquam hi sacramenta fidelibus administrare coeperunt: quamobrem ad eam incurrendam duo sunt, quoad personas, necessaria, I ut *Religiosus* sit, idest Regularis, ut antea; utque II ea ministret *Clericis* aut *laicis*. Ex I. igitur ei eximuntur Sacerdotes 1° saeculares, et 2° Piae cujusvis Congregationis (9) vel Religionis a R. P. nondum approbatae, immo 3° et approbatae, si nondum professionem (et hodie, ut puto, solemnem) emiserint (10), vel 4° si post emissam ejecti

3 Bonac., l. c. nn. 7, 9. Nam peregrinorum Parochus in eo loco nemo est; licet statuto synodali, vel consuetudine sit introductum ut nemo eis haec sacramenta ministrare possit praeter ejus loci Parochum. Scilicet, ad incurrendam hanc excommunicationem, necesse est violare jus canonicum, a quo fuit irrogata.

4 Suar., *De Euch.*, 72, 2, 2; Filiucc., Tr. IV, 161.

5 Bonac., Tom. III, Disp. 2, Q. 9, nn. 5 etc.

6 V. Sanch., Dec., II, 13, 3; Ben. XIV, De Syn., VIII, 4, 7; S. Alph., VI, 236.

7 V. § 7. Itaque cessat excommunicatio si quis falso existimaverit Parochum non invitum esse, vel esse periculum in mora (Ex L. *Qui re*, 77, *De Furt.*). Immo, quia *falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat* (L. 6, *Ad Municip.*), cessat si falso existimavit necessitatem abesse quae aderat; vel Parochum esse invitum qui invitus non erat (§ 8, *De Obligat. quae ex delicto*): puta si is licentiam dederat aegroto.

8 Suar., 22, 4, 5. Scilicet heic viaticum, E. Unctio desunt - Contra Bonac., l. c., n. 31.

9 Bonac., Disp. II, Q. IX, P. 5, n. 32; Avanzi., n. 24.

10 Ex C. 21, § 1, *De S. E.* in 6°. Ut Conversi et Novitii (Suar., 22, 4, 2). *Et hodie:* scilicet verum religiosum olim sola professio solemnis, excepta Soc. Iesu ex B. Greg. XIII, *Ascendente Domino* (Bonac., n. 35), faciebat: ergo verius et hodie, tametsi vota simplicia jam nuncupata fuerint. Scio S. C. Epp.

fuerint, vel, ut opinor, per iniquas leges extrusi, et foras quasi praesbyteri saeculares vitam agunt. Ex II vero eam non incurrunt Regulares, ut antea, si ea ministraverint Regularibus, vel his qui Regularium jure censentur (11), etiam alterius Ordinis, et extra Monasterium (12). Non item si ea ministraverint Clericis, aut Laicis forte in suo Monasterio degentibus studiorum, educationis, aut valetudinis causa (13); aut famulis degentibus in locis a clausura separatis, etsi contiguis (14), nisi forte S. Eucharistiam non per Viaticum, sed ei qui jam Viaticum recepit, iterum ex devotione ministraverint (15). At *Regularis*, qui ea ministrat Clericis, vel laicis non excusatur, si et ipse forte curam animarum habeat (16), quia non exinde regularis esse desinit.

XV.

147. « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis, sive Catecumbis « Urbis Romae, ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes (1). »

148. Exsuviarum, quae inveniuntur in Cryptis et Coemeteriis Urbis, quasdam SS. Martyrum esse constat, e. g., cum phialae vitreae, aut figulinae ad loculos sepultorum intus, vel extra ipsos reperiuntur (2): contra quasdam constat martyrum non esse ; ut illae quae reperire est in loculis apertis: quasdam denique utrum

die 15 Junii 1856, hanc quaestionem indireptam reliquisse (Bizzarri, *Collectan.*, p. 801), verum si exinde dicendum est dubium esse utrum hi sint veri religiosi, consequens est dicere dubium esse utrum ministrantes E. U. aut Viaticum hanc excomm. incurrant (V. § 9, 34).

11 Ex Trid. Sess. XXIV, *De Regul.*, 11: idest Novitiis, et famulis qui actu eis inserviunt, et in septis sub eorum obedientia vivunt. His addendi sunt pauperes in hospitalibus ipsorum degentes (Cit. Clem. I); et *Viri* Tertiarii, qui collegialiter vivunt, vel cum claustralibus habitant (S. C. Epp. 20 Decemb. 1616; Ferrar. V. *Tertiarii*, n. 3).

12 Bonac., l. c., n. 12.

13 S. C. Epp., 21 Jun. 1848; V. Bizzarri, *Collect.*, p. 618, *Studiorum:* verum de his qui studiorum causa in eorum Coenobiis, vel Collegiis commorantur multi contra putant (Lugo, *Respons. Moral.*, Lib. IV, 33): sed hos Regularium jure non censeri pluribus demonstrat cl. Pennacchi, To. I, p. 1025: et post Decret. S. C. C., 27 Nov. 1717, quo cautum fuit, haec Sacramenta ne his quidem (viris) administrari posse, qui in Monasteria secedunt, ut ibi devotam ad mortem usque vitam agant, Lugonis sententiae multum probabilitatis detractum videtur.

14 S. C. C., 17 April. 1722 (*Thesaur. Resolut.*, To. 3, p. 173); V. S. Alph., VI, 240.

15 Ex Rit. Rom., *De Comm. Infir.*, § 3.

16 Suar., 22, 4, 10. Contra Navarr., *Manual.*, 27, 10.

1 Ex Edict. 24 Aug. 1613, jussu Pauli V; Clem. X, C. *Ex commissae*, 13 Jan. 1672.

2 S. R. C., 27 Nov. 1863, probante Pio IX: quod jamdiu definitum fuerat ab eadem S. C., 10 April. 1668.

martyrum sint, an minus, ambiguum est. Porro nos reliquias vulgo accipimus *Sanctorum*, adeoque illas tantum (3); proinde qui ILLAS extrahit, nempe *sine legitima licentia*, non qui ISTAS, quod nemo dubitat, nec verius HAS (si quid judico) excommunicationem incurrit (4); nec, secus ac antea, qui permittunt, qui mandant, qui cooperantur. Illud non interest quantum quis extrahat, multum ne, an modicum (5): et planum est. Licentia autem extrahendi ab E.mo Card. Vicario danda est, eaque, olim, scripto et sigillo ac subscriptione ejusdem Card. Vic. munita opus erat (6); non item, verius, hodie: scilicet haec ad ipsius licentiae formam pertinent; quando autem Const. nostra hanc servari voluit, id jussit (§ 122). Et sub ea conditione datur, ut non aliter quis ossa vel corpus ullum effodiat, extrahat, quam coram Sacerdote ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa quae certiora esse censuit Congr. Indulgentiis, et Sacris Reliquiis praeposita (7). Porro antea excomm. incurrebant hujusmodi cryptas ingredientes, effodientes, reliquias extrahentes, vel extrahere facientes, easque scienter acceptantes (8); hodie solum eas *extrahentes*, idest foras trahentes, hisque *auxilium* vel *favorem* (nempe in reliquiis effodiendis, extrahendis) praebentes. Verum nemo aliis poenis, quibus antea tenebatur, eximitur (9), et planum est (§ 22).

XVI. XVII.

149. XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, « ei scilicet impendendo auxilium vel favorem. »

XVII. « Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano « Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes (1). »

150. Veteri jure excommunicationem contrahebant quotquot cum vitando communicabant vel in crimine criminoso, vel in divinis; et illi quidem majorem (2), hi vero minorem (3). Hodie excommu-

3 Trid., Sess. XXV, *De Invocat. SS.*

4 *Nouvelle Revue Théologique*, T. X, p. 292; Pennacchi, To. I, p. 1039, cl. Puccero, § 72. Communior sententia tenet et HAS extrahentes censuram incurrere (Avanzi., Balleri., Ciolli, etc.): et est probabile propter periculum profanationum. Sed V. § 9, 28.

5 Cit. Edict.

6 Clem. X, l. c., § 1.

7 Cit. S. R. C., 27 Nov. 1863.

8 Cit. Edict. 24 Aug. 1613.

9 Cit. Edict. Scilicet Regulares ipso facto incurrunt privationem vocis activae et passivae, et inhabilitatem ad dignitates et officia suorum Ordinum.

1 CC. 18, 29, *De S. E.*

2 Cit. C. 29, C. 10, *De Cleric. excomm.* Porro crimen criminosum, seu *damnatum*, dicitur illud, propter quod excommunicatio lata fuit (Suar., 17, 2, 1. Cf. Bonac., Disp. 2, Q. 3, p. 21). In eo autem communicare et is intelligitur, qui delinquenti *consilium, auxilium, favorem* (circa illud) impendit (Cit. C. 29): v. c. furi in absumenda re furata (S. Alph., VII, 197).

3 Navarr., 27, 112; Suar., 17, 2, 3

nicatio minor sublata est (4); major superest quidem, sed non incurritur, nisi ab his qui communicant cum excommunicato *nominatim a Papa*.

151. Principio igitur necesse est, ut is quo cum communicat quis, excommunicatus fuerit nominatim a Papa - *Excommunicatus;* itaque si cum eo communicet in delicto nondum perpetrato, sed perpetrando, excomm. nec intelligitur (5). *Nominatim,* adeoque vitandum eum esse oportet (6). *A Papa,* et non ab alio; atque ideo huc non pertinet qui excommunicationem jure Pontificio latam contraxit, e. c., haereticus, si sententia declaratoria ab Ordinario in eum lata fuerit (Sed V. § 217).

152. Nec utcumque communicando in crimine criminoso, ut olim, haec excommunicatio contrahitur, sed si excommunicato 1° impenderis *auxilium*, vel *favorem* in crimine criminoso (7); vel 2° eum *receperis in divinis officiis* (8). Porro divina officia dicuntur quae Clerici obeunt ut Ecclesiae ministri (9): in his autem recipere aliquem est, illum admittere ad haec obeunda (10). Duae hae excommunicationes his distant: priori omnes sunt obnoxii, sive Clerici, sive Laici; posterior non intelligitur, nisi clericus sit uterque; nempe et is quis excommunicatus fuit (11), et is qui cum illo communicat: nam di-

4 S. U. I., appr. SS.mo, 10 Dec. 1883: non item prohibitio cum eis communicandi (*Nouvelle Revue Théologiq.,* To. X, p. 296; Pennacchi, To. I, p. 1047. V. § 6).

5 Navarr., l. cit.; Suar., n. 5: quia cum nondum excommunicato communicat (Sanch., M. VII, 48, 3).

6 Avanz., not. 27; Comm. Patav., II, 301.

7 Cit. C. 29, § 2. Ut ecce si concubinarius concubinae excommunicatae iterum commisceat (C. 55, *Eod.;* C. 5, *De S. E.*); vel excommunicato propter furtum persuadeat ne restituat. Non item si *consilium,* ut antea ex cit. C. 29, impenderit; quia Constitutio Nostra consulentes praeteriit, et quando eos includere voluit, expressit (Pennacchi, l. c., p. 1045, contra Comm. Patav., Grand-Claude. Del Vecchio, Ninzatti, etc. V. §§ 45, 48, 52, 89).

8 Theologis hic *divina*, et *officia* idem sunt: nam quidam hoc loco sola *officia* memorant, ut Suar., 10, 1, 9; alii sola *divina,* prout Bonac., loc. cit., Q. 5, P. 3, n. 3. Constitutio autem nostra aut utraque pro eodem accipit, aut, profecto utraque exigit ad excommunic. subeundam. Et utrumque Veteres quoque (Suar., 10, 2, 9; Bonac., Disp. 2, Q. 5, P. 3, n. 3) exigebant (Comm. Pat., II, 311).

9 Ex C. 18, *De S. E.;* C. 11, *De Sponsal.* Seu quae *a solis Clericis fieri solent* (Salm., X, 6, 50; S. Alph., VII, 33).

10 Proinde si cum eo interfuerint, mortuo parentaverint, vel dederint sepulturam in loco sacro, si eum ad missam audiendam admiserint, etc., excommunicatio cessat (Bonac., cit. n. 3); et planum est, nam quasi laicus admittitur. Et si ei ministraverint sacramenta, non excommunicatione coercentur, verum interdicto ab ingressu Ecclesiae (§ 217).

11 C. 18, *De S. E.;* Suar., X, 2, 9; Bonac., l. cit. Adeoque nec Religiosi, nisi sint Clerici (Bonac., n. 5, ibiq.; Ugolin. et Sayr.).

vina officia nemo potest obire, nisi sit Clericus; et ad ea obeunda nemo potest illos admittere, nisi qui aliquam in Ecclesia potestatem habeat; adeoque nisi et ipse clericus sit. Olim utraque tenuit solum *scienter* facientes (12); hodie haec tantum: ac proinde ab ILLA non excusat ignorantia, si fuerit crassa et supina, secus ac antea; nec metus nisi fuerit gravis: HAEC non tenet nisi *scienter* et *sponte* facientes; adeoque excusat ignorantia vel affectata, et metus levis. At vero utraque toties incurritur, quoties quis, iterum communicando cum his excommunicatis, iterum peccat (13).

XVIII.

153. « Absolvere praesumentes, etiam quovis praetextu, ab excommunicationibus R. P. « reservatis speciali modo (1). »

154. Objectum hujus excomm. sunt excommunicationes R. P. reservatae speciali modo: quocirca nullam amplius excomm. incurrit, qui absolvit a quibusvis aliis casibus seu R. P. seu Episcopis reservatis; quamvis Regularis sit, et praetextu privilegiorum absolvat (2). Ad hanc autem excomm. incurrendam, tria sunt necessaria, 1° ut excomm. certo sit reservata; 2° ut ab ea absolvat; 3° ut temere. Adeoque cessat (ex 1°) si vel reservatio dubia sit, vel probabile sit te absolvere posse (3); (ex 2°) si audita confessione, poenitentem inabsolutum dimiseris, aut absolveris verbo tenus (4), aut, probabiliter, a peccatis dumtaxat, non a censuris (5); (ex 3°) si lapsus ignorantia, vel crassa, non tamen affectata, eum absolveris. Denique haec excommunicatio non pertinet ad eos qui absolvunt morituros, vel impeditos superiorem adire (§ 236 e 237): et planum est.

12 C. 29, § 2, *De S. E.*
13 Navarr., 27, 112; Suar., 17, 2, 8.

1 Const. Ap. Sedis. V. § 103. Utrum haec absolutio ante Const. Ap. Sedis reservata fuerit R. P., an minus, V., si lubet, Duard. in § 3, Q. 1; et Sayr., III, 25, 7.

2 Ante Const. Ap. Sedis absolventes a casibus reservatis in B. C. excommunicationem incurrebant (B. C. § 20, v. *quod si*), sed nemini reservatam (Suar., 22, 5, 29). Verum si quis ab eis, et aliis quibusdam, et a casibus ab Ordinariis locorum reservatis, praetextu facultatum, vel privilegiorum absolvisset intra Italiam, et extra Urbem, incurrebat excomm. R. P. r. (S. C. Epp. 9 Jan. 1601, 26 Nov. 1602, jussu Clem. VIII. Cf. Quaranta. V. *Casus reservati*).

3 Comm. Pat., II, 315. Ceterum hoc omnibus censuris commune est.

4 Bonac., Disp. I, Q. 22, P. 3, n. 3.

5 Bonac., n. 6, ibiq., Zabarella, Silvester, Ugolin.; V. S. Alph., VI, 265, Q. 2.

SECTIO III.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

« Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus (1). »

I.

155. « Clericos in sacris constitutos vel Regulares vel Moniales post votum solemne ca « stitatis matrimonium contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis « personis matrimonium contrahere praesumentes (2). »

156. Ante Const. A. S. Regulares dumtaxat utriusque sexus, et Clerici in sacris constituti matrim. contrahentes, hodie vero etiam hi qui cum eis contrahunt, excomm. incurrunt Ordinariis (antea nulli) reservatam. Regulares accipere debemus eos qui in Religione a S. Sede Apostolica approbata solemnia ediderint vota: Ordinatos autem in sacris, si puberes, non item si infantes, vel impuberes ordinati fuerint, nisi postea, pubertatem adepti, ratam ordinationem habuerint (3).

157. Tribus autem opus est ad hanc excomm. subeundam: I ut professio, vel Ordinatio *revera* valida fuerit, II ut contrahentes verum praestent consensum, III ut temere contrahant. Quocirca excomm. non incurritur si aut 1° invalida fuerit ordinatio vel professio, aut 2° consensus legitimus defuit, sive ex utraque parte, sive ex alterutra, ut puta si alter simulate contraxerit (4), vel errore substantiali inductus, vel gravi metu coactus (5); aut 3° uterque, vel alter eorum ignorantia laboraverit, seu facti seu juris, licet crassa, et supina, quia excommunicatio ignorantem non tenet (6); etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverint (7). At vero, quia matrimonium facit consensus, non concubitus, eo inito, statim, etsi nondum consummatum fuerit, excommunicatio contrahitur (8); quamvis nullum sit nedum ratione ordinis sacri aut voti

1 Quaenam censurae reservatae essent Episcopis, olim controversia, nec modica, fuit (Cf. Navarr., *Enchir.*, 27, 256; Reginal., I, 136).

2 Clem. Un. *De Consanguin.*; V. Gregor. XIII, C. *Sicut antiquitas*, 1 Martii 1590.

3 Bonac., D. 2, Q. 4, P. 1, n. 2. *Solemnia vota:* ideoque huic excommunicationi non sunt obnoxii Religiosi Soc. Jesu, quorum vota simplicia sunt, quamvis matrimonium dirimant.

4 Suar., 23, 5, 17.

5 Sanch., *De Matrimon.*, VII, 48, nn. 10, 12.

6 Bonac., cit., P. 7, n. 18.

7 Navarr., Sanch., n. 20. Scilicet lex contractum, non cohabitationem coercet (Suar., 23, 5, 21).

8 Sanch., M. VII, 48, 6.

solemnis, sed etiam propter clandestinitatem, v. c., si contractum fuit coram civili magistratu (9), vel propter alia impedimenta, ex. gr. consanguinitatis, affinitatis (10).

II.

158. « Procurantes abortum, effectu sequuto (1). »

159. Abortus est - *Ejectio foetus immaturi* (2). - Ut ex abortu contrahatur excommunicatio, necesse 1° ut fuerit procuratus, utque 2° revera sequutus fuerit. Procurare est, studiose et ex industria aliquid quaerere (3). Quamobrem excommunicatio non contrahitur, nisi ex abortu voluntario directe et in se (4). Illud non interest, utrum sequutus fuerit ex causa physica, v. c., ex ictu, veneno, oneribus mulieri impositis (5), etc.; an ex causa morali, idest ex terrore praegnanti incusso (6). Non contrahitur ex abortu voluntario indirecte et in causa, quamvis ex illicita actione prodierit; veluti si quis mulierem praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia etc. (7); eoque minus contrahitur ex abortu admisso sola culpa (civili), vel casu.

160. Deinde opus est ut abortus revera sequutus fuerit; nempe ex ea causa quae posita fuit, ut sequeretur. Itaque, sive mulier ex alia causa aeque efficaci maturius ejecerit, v. c., si sumpto abortivo, mox ex alto deciderit; sive ipsa ex aliquo casu ante ejectionem perierit, utputa ferro, apoplexi, ruina, excommunicatio cessat (8). Sed etsi abortus sequutus fuerit, excommunicatio reum non tenet, quamdiu sibi non apparet sequutum fuisse; aut quamdiu probabile videtur sequutum fuisse ex alia causa (9). Illud hodie

9 S. U. I., 22 Dec. 1880, *Nouv. Rev. Théolog.*, T. XI. Matrimonium enim, ut aiunt civile, licet nullum, matrimonii habet figuram, et est contractus, qui juxta naturae leges esset verum matrimonium; ideoque, ceteris paribus, sanari potest in radice (ex S. U. I. die 6 Apr. 1892. V. *Summula*, ed. 3ª, vol. III, § 504, n. 22): et si ex eo non oritur p. h. impedimentum (S. C. C. 13 Mar. 1879; et ita declaravit et statuit SS. D. N. Leo XIII, die 17 Martii 1879), sublatum intelligitur, quia foedum est, in eo personarum reverentiam agnoscere, prout in sponsalibus, et ceteris matrimoniis. Aliud cum omnibus, quos vidi, excepto Avanzinio, Const. nostrae Commentatoribus olim existimavi.

10 S. U. I., die 13 Jan. 1892, ad V.m, appr. SS.mo die 14 ejusdem mensis.

1 Xixtus V, C. *Effraenatam.*
2 Sporer., IV, § 692,
3 Sporer., § 743.
4 Sporer., § 709.
5 Sixtus V, loc. cit. § 1.
6 Carmignan., § 915.
7 Sporer., §§ 738, 739.
8 Ex L. *Huic scripturae*, 15, § *Si Servus*, D. Ad L. *Aquil.*
9 Ex S. Alph., III, 562, 658.

non interest utrum foetus animatus fuerit an inanimatus, quia Constitutio generaliter loquitur (10), nec excusat, ut antea, ignorantia crassa, lata, supina.

161. Hanc excommunicationem incurrunt *procurantes abortum*. ABORTUM, idest ejectionem foetus: ideo huc non pertinent chirurgi (si id letale est) craniotomiam exercentes (11). PROCURANTES: adeoque eam incurrunt, ut antea, et qui jubet, et qui mandat abortum fieri, non item (secus ac antea) qui illum consulit, vel procuranti opem prestat (§ 11); ut ecce qui pharmacum parat (12); immo nec qui jussu, aut mandato alterius facit, ut mulier abigat: nam *procurantes* accipere hoc loco debemus, ut in veteri jure, non eos qui pro alio, sed eos qui sive per se, sive per alium curant, faciunt, ut mulier ejiciat (13). Quaestio elegans est, an mater huic excommunicationi eximatur, ut antea (14). Multi affirmant (15); alii negant, quia lex non distinguit (16), et recte (§ 21, 9): nempe excepta gravioris timoris causa (17).

III.

162. « Literis Apostolicis falsis scienter utentes (1), vel crimini in ea re cooperantes. »

163. Qui *Literas* vel *signaturas* Apostolicas falsificat, incurrit excommunicationem R. P. speciali modo reservatam (§ 77); qui utitur falsis literis (non qui signaturis § 79), quique ei cooperatur excommunicationem incurrunt et ipsi, sive Laici sive Clerici (2), sed soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque; idest si literas falsificaverit, eisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione

10 Contra Comm. Gall., § 317.

11 V. *Summul.*, II, 322, Contra Comm. Pat., III, 338.

12 Comm. Gall., § 315.

13 Xist. V, l. cit., § 1. Displicet haec sententia Comm. Patav., § 350; nam et hi qui id agunt jussu, mandato alterius, ut mulier ejciat, vere *procurant* abortum. Ratio brevis et urgens. Nihilominus responderi potest, Xistinam Constit. illis verbis - procurantes abortum *sive per se, sive per alios* - non obscure procurantes ab exequutoribus distinguere: *procurantes* vero heic accipere convenit prout illic. Ceterum, quam recte id dixerim, viderint sapientes.

14 V. S. Alph., III, 395, Q. 5.

15 Cretoni (S. U. I. Cons.), ad Adnot. Gury, To. II, p. 617 (Edit. 1872-1873), cl. Ballerini ad Gury, II, 976 (Ed. 1875); Vindic. Ligor., To. I, pag. CXI, not. 3 (Parisiis 1874); Del Vecchio, I, § 621; Comm. Gall., 316.

16 Avanzini, n. 29, qui serius de hoc subdubitare visus est (Ed. 1874), Ciolli, § 143, et solidius cl. a Varceno h. ar.

17 V. § 8, et Lugo, *Resp. Moral.*, II, IV, n. 7.

1 C. 7, *De Crim. Fals.*

2 Lex non distinguit. Clerici antea coercendi erant privatione officii et beneficii (Cit. C. § ult.). Quae poena idcirco nunc exsulat (§ 23). Contra Comm. Patav., III, 339, et Ciolli, § 145.

irretitur. Porro *falsas* literas accipere debemus sive immutatas, sive suppositas (§ 30): *utentes* vero qui eas exhibent ut effectum habere possint: demum hodie et *cooperantes*, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant (3). *Scienter* inquam utentes (4), vel cooperantes (neque enim aequum est cum delinquentibus accessoriis durius agere): quos proinde excusat ignorantia nedum crassa, sed in nostra sententia, vel affectata (§ 7, 25).

SECTIO IV.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATAE.

« Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subjacere declaramus. »

I.

164. « Mandantes seu cogentes (1) tradi Ecclesiasticae Sepulturae haereticos notorios (2), « aut nominatim excommunicatos vel interdictos (3). »

165. Juverit in his paullulum immorari, quotidiana enim sunt. Sepultura Ecclesiastica duobus constat, ritu catholico, et loco sacro (4). Est pars communionis Ecclesiae; ideo nulli fidelium deneganda est, praeterquam *in locis interdictis*, de quibus propediem, et *personis* qui ea nominatim prohibentur. Prohibentur autem vel ratione censurae, vel ratione delicti. Ratione censurae, ea prohibentur excommunicati, vel interdicti (5) vitandi (6); haeretici etsi non vitandi (7); et, velut accessorie, eorum receptatores, fautores, defen-

3 Ut ecce Advocati qui pro suis Clientibus eas in jure exhibent, Procuratores etc. Patet ex iis verbis (§ 162) *in ea re*. Porro cooperari est, alteri opem praestare; qui igitur nullam opem utenti adhibuit, sed tantum consilium dedit, vel hortatus est ad utendum, excommunicationem non contrahit (Ex L. *In furti* 51, § *Opem. D. De furt.*; § 11, Inst., *De Obligat. quae ex Delict.*). Mihique consentiunt cl. A Varceno, *h. t.*; Ciolli, § 145, et tacite cl. Formisani, et Scavini, I, 873. Contra Comment. Patav., III, 340. Nec hodie amplius eam incurrit, qui literas hujusmodi intra 20 dies non destruit, vel resignat Ordinario (Contra C. 7, *De Crim. Fals.*).

4 Contra cit. C. 7; V. Duard., II, Can. VI, Q. II, n. 3.

1 Olim erat contra *sepelientes:* unde quaestiones qui sub hujusmodi nomine veniebant (V. Suar., 13, 4 10; Salmat., 10, 3, 85.

2 C. 8, *De haeret.*, C. 2, *De haeret.* in 6°. Ergo finita quaestio est quae inter TT. olim viguit utrum tolerati sepeliri possint (V. Reiff., 3, 28, 85).

3 Clem. II, *De Sepultur.*

4 Ex Rit. Rom., *De Exequiis*. Locum autem sacrum heic accipere debemus, rei sacrae, vel divinis officiis obeundis, seu benedictione, seu destinatione Episcopi, seu etiam tantum usu, et consuetudine, addictum (Suar., 12, 4, 6): ut coemeteria, claustra etc. (Salmat., 10, 3, 75).

5 C. 12, *De Sepult.*

6 Suar., 12, 4, 5.

7 Martin. V., C. *Inter cunctas*, et

sores (8); demum schismatici (9). Scilicet *ut quibuscum vivis non communicavimus, non communicemus defunctis* (10). Ratione delicti ea arcentur, qui in manifesto et notorio peccato mortali decedunt (11); quique intereunt in duello, vel ex vulnere in duello accepto (12); et in primis qui sui compotes mortem sibi consciverint (13). Et si non satis appareat, utrum mortem quis sibi dederit *per desperationem, an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis, et solemnitatibus exequiarum* (14).

166. Qui indignum ecclesiastica sepultura sepeliunt, vel sepelire faciunt in loco sacro, qui efferunt, qui funus prosequuntur (nempe ritu religioso), qui eis justa persolvunt, quique sive illis sive his consilium, vel auxilium praestant, letali non carent (15). Verum cum privatio sepulturae Ecclesiasticae sit poena introducta jure Canonico, quoties sine gravi incommodo negari non potest, eam dare, aut omni, aut certe gravi culpa vacat; dumne extorqueri velit in contemptum Ecclesiae (16).

167. At vero etsi peccent qui dant indignis sepulturam ecclesiasticam, excommunicationem tamen non incurrunt, nisi agatur de *haereticis* notoriis, vel de *excommunicatis*, aut *interdictis* nominatim. Et hi tantum incurrunt, qui mandant vel cogunt eos tradi *ecclesia-*

Const. nostra a vitandis eos nominatim secernit.

8 CC. 8, 13, *De Haeret.*

9 Rit. Rom., *Quib. non licet dare Eccl. sepult.*, § 2.

10 C. 12, *De Sepult.*

11 C. *De Sepult.*, Rit. Rom., loc. cit., § 5. Ut puta in furto, adulterio (C. 2, *De Bapt.*), hastiludiis (CC. 1, 3, *De Torneam.*), etc. Item blasphemi (C. 2, *De Maledic.*), usurarii (C. 3, *De Usur.*), meretrices (Salmant., 18, 3, 199). *Manifesto;* secus igitur, si de eo dubitari possit, sive quoad factum, sive quoad intentionem facientis; utputa si submersi, vel in ebrietate decesserint (Croix, VII, 255). *Notorio;* quamobrem si pauci et taciturni sciant, aliquem omnino impoenitentem decessisse, sepultura ecclesiastica deneganda ei non est (Cf. Gury, II, 1013; Comm. Pat., III, 359, VI). Itaque hi arcentur sepultura Ecclesiastica, si morientes nullum dederint signum poenitentiae (C. 11, *De Raptor.*, Rit. Rom., ll. cc.), vel, si utrum dederint, non appareat (Laym., *De Just.*, Tr. V. Cap. XII, 12; Pirhin., III, 38, 77).

12 Trid., Sess. XXV, *De Ref.*, 19, quamvis contriti, et absoluti decesserint (Ben. XIV, C. *Detestabilem*, § 9).

13 Rit. Rom., § 3. Porro si quis reperiatur laqueo, veneno interemptus, tenendum est ab alio necatum fuisse (Pirhin., n. 65; Reiff., III, 38, 69; Salmant., n. 201). Et si constet necem sibi intulisse, tenendum est, non fuisse suae mentis, si tristitiae sese dederat, vel mane confessus fuerat (Gobat, Croix, n. 256).

14 S. U. I., 16 Maji 1866.

15 Ex C. 12, *De Sepult.*; Clem. I, *Eod. tit.*

16 Pirhin., n. 201; Reiffenst., n. 78; Croix, VII, 259. Et re quidem vera responsum fuit a S. U. I., 13 Jul. 1609, sepulturam haereticorum tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest (Giral., E. l. Par. I, Sect. 809).

sticae sepulturae: idest (§ 10, 38) qui tumulo *inferre, condere,* non item qui justa persolvere jubent (17), nec qui justa funerum persolvunt, sepeliunt, vel sepelientibus operam praestant (18). Et qui *mandant, cogunt* etc., excommunicationem non incurrunt, nisi post sepulturam traditam (§ 6, 11). At vero hodie eos non excusat ignorantia crassa, aut supina (19); nec quod defunctus sepultus fuerit nullo ritu ecclesiastico adhibito (20).

II.

168. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denunciantes, testes, aliosve ministros « S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis « quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes (1). »

169. Laedere, et perterrefacere quid sint alias dixi (§ 73). Inquisitores sunt S. Tribunalis Iudices; denunciantes et testes heic dicuntur qui *producti* vel evocati fuerunt (2); ministri autem hi, sine quibus tribunal consistere nequit (3). Diripere proprie est in partes diversas rapere (4), et velut praedari (5); rapere autem est vi auferre. Demum *Sanctum Officium* accipere debemus ubicumque extat, ut prius, et non Romae tantum; lex non distinguit. At ubi non extat, ut in Regno Neapolitano, haec ad Episcopos (licet hi sint Inquisitores nati), eorumque Ministros trahenda non sunt; hos enim praeterit Const. A. S. Age nunc huiusmodi excommunicationi fit obnoxius 1° qui aliquem ex praedictis laedit vel perterrefacit, sed quatenus actu S. O. inservit vel cum eo rationem habet (6), non item qui eos directe vel indirecte, ut antea (7), impedit; 2° qui vi S. Tribunalis scripturas aufert vel comburit (8).

17 V. Sayr., III, 35, 12.

18 Cajet. V. *Excomm.,* n. 46; Navarr., XVII, 51, 137; Bonac., To. III, Disp. 2, Q. 2, P. 31, n. 19; Salmat., X, 3, 77. Sed est grave (C. 12, Cau., 23, 15).

19 Contr. C. 2, *De haeret.* in 6°, et Clem. I, *De Sepult.*

20 Bonac., P. 20, n. 5.

1 S. Pius V, C. *Si de protegendis.*

2 Albit. 28, n. 40; ex Cit. C. S. Pii V. Ideoque excommunicatio non incurrunt laedentes etc. eum qui nondum denunciavit, sed denunciare simpliciter statuit, vel eum quem falso putabant jam evocatum fuisse (Albit. n. 41).

3 Albit. 28, n. 35. Inter ministros etiam Consultores comprehendi omnino dicendum est (Albit. ib. n. 37. Ex L. *Quisquis,* C. *Ad,* L. *Jul. Majest.*); non item familiares (Albit. ib. n. 33).

4 Forcellin. V. *Diripere.*

5 Ex LL. 4, 7, D. *De Incend. ruin.* etc.

6 Tamquam in contemptu S. O. (S. Pius V, in cit. C.). *Actus S. O. inservit* etc.; quocirca excommunicatio cessat 1° si laesus aut perterrefactus officii sui possessionem nondum caepit, vel ab eo remotus sit, 2° si ex alia quam S. O. causa violentiam sit passus (Albit. 28, nn. 26, 29).

7 S. Pius V, C. cit.

8 Atque ideo hanc excommunicationem non incurrunt qui scripturas S. Officii clam furantur, nec, ut puto, qui unam, vel alteram tantum aufert vi.

III.

170. « Alienantes et recipere praesumentes bona Ecclesiastica absque Beneplacito Apo-« stolico, ad formam Extravagantis Ambitiosae « De Reb. Eccles. non alienandis (1). »

171. Bona dicuntur quae in patrimonio nostro sunt (2): quamobrem bona ecclesiastica accipere debemus quae sunt in patrimonio cujusvis Ecclesiae, vel Monasterii, vel Loci Pii; dummodo is auctoritate ecclesiastica fuerit erectus (3). Bonorum hujusmodi dominium est penes Ecclesias ipsas, vel Loca Pia; administratio penes rectores, syndicos, procuratores; tutela (etenim minorum jure censentur), et cura penes Episcopos (4). Illorum alienatio ab ipso fere Apostolorum aevo vetita fuit (5). Et rectoribus quidem, syndicis, administratoribus numquam permissa est; qui proinde si ea alienaverint, nihil agunt (6): Episcopis permissa quidem ex justa causa, et, praeterquam

1 V. infra not. 9.

2 L. 49, *De Verb. Sign.*

3 Laym., *De Justit.*, Tr. IV, Cap. X, 1; Pirhin., III. 13, 4. *Capellaniae laicales* igitur non sunt in bonis Ecclesiae (V. Lucidi, *De* V. *Sacr. Lim.*, To. 3, n. 44, § 16); quamvis injussu Principis (quippe sub tutela ejus sunt) earum bona alienari non possint (Berardi, *J. E. U.*, To. II, Diss. VI, Append., V. *Deinde*). Eoque minus in bonis Ecclesiae sunt Pia legata, quorum bona relicta fuerint penes heredes. Sed nec bona Ecclesiae donata aut relicta, quamdiu non fuerint acceptata (Ex L. 88, § 2, *De Legat.*, 1; Reiffest., III, 10, 25).

4 Sarmient., *De Reditib. Eccl.*, Part. 1, Cap. 1.

5 Can. *Apostolicos*, 12, q. 2; Cf. De Luca, *Theatr.* etc. *De alienat.*, *Disc.* 3, n. 2. Bonorum nomine veniebant 1° et ea quae fundo tenentur, ceu fodinae, et arbores frugiferae vel fundo necessariae (Petra, I. V, Sect. 2, n. 12, ex S. C. C., 14 Jan. 1679; De-Luca, Disc. I, n. 26; Ferr., V. Alienatio, I, 10; V. *Summula*, II, 103, 4): *tenentur* inquam, nam si *ruta* (eruta) *caesa* fuerint, fundi esse desinunt (Voet, I, 8, 13); 2° jura realia, uti census (Clem. *Exivi*, § *Cumque*, *De V. S.*), redditus ex versuris publicis (Ferr., l. c., IV, 25) prout *loca Montium* (Petra, ib. n. 7); 3° pecunia praediis acquirendis destinata (Ex L. 3, § *Quid ergo*, *De Contr. tutel.*; Quaranta, V. *Alienat. Rei Ecclesiae*, n. 25) ab his qui eam contulerint, donaverint, reliquerint (Pikl. III, 13, 13; Schmalz., III, 13, 51); non item deposita ab aeconomis, quia hi nec sibi, nec successoribus legem dicere possunt. Unde nedum bona alienare, sed Ecclesiae patrimonium quoquo modo deminuere vetitum fuit (Tot. tit. *De Reb. Eccles. non alien.*, C. 2., *Eod. tit.* in 6°); ut puta *censibus* (Clem. I, De V. S.), *servitutibus* (Ex L. 7, C. *De reb. non alien.*) constitutis super praediis Ecclesiae, vel remissis, aut neglectis quae ei debebantur (Ex L. 5, C. *De fund. dot.*); *locationibus* ad non modicum tempus (Clem. I, *De reb. Eccles. non alien.*), adeoque *firmis* (C. 8, *De Jurepatr.*), aut *precariis* (V. C. 1, *De precar.*), quas vocabant (*illae* quaedam ususfructus, *hae* quaedam emphyteusis species).

6 C. 6, *De Reb. Eccl. non alien.*; Bonac., To. I., *De alien. bon. Eccles.*, p. 2, n. 8. Nempe exceptis iis *quae servando servari non possunt* (Ex L. 24. C. *De Adm. tut.*); et iis quorum alienatio sine Apostolico Beneplacito permissa est vel fundationum tabulis (Mo-

in *modicis praediis* (7), servatis juris solemniis (8). Serius Paulus II, Extravaganti *Ambitiosae*, plurima ex his absque beneplacito Ap. Sedis, sub poena excommunicationis alienari vetuit: videamus igitur quaenam illa sint.

172. Sed ante omnia admonendi sumus Extr. *Ambitiosae*, pluribus in locis nullatenus receptam fuisse, in aliis ex parte tantum (9): ubi autem recepta fuit, non *semper* ex regulis juris, nec *eamdem* ubique, sed varias, pro locis, interpretationes recepit (10). At hodie post Const. *Apost. Sedis* ubique locorum quoad alienationem, et excommunicationem servanda est (§ 19); perinde ac si nunc primum edita esset (11). Quoad interpretationem regulariter non sunt mutanda quae communiter recepta fuerant. At vero si alias, heic maxime, strictissime interpretandum erit, quia Extr. *Ambitiosae* et veteri juri, et potestati Ordinariorum derogat, et poenam inducit omnium gravissimam.

173. Age modo; hac Extravaganti vetantur *omnium rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationes sine causa et Apostolico beneplacito sub poena excommunicationis*. Quatuor igitur dispicienda sunt, 1° quodnam sit objectum hujus Extrav., 2° quid alienationis verbo contineatur, seu quinam *actus* prohibeantur, 3° causa et beneplacitum Apostolicum pro licita alienatione, 4° poena in alienantes sine hujusmodi causa et beneplacito.

174. Principio igitur his verbis - *omnium rerum* et *bonorum* - immobilia tantum et mobilia pretiosa significari recepta ubique locorum sententia fuit (12). Atqui *immobilia*, stricta significatione, accipimus praedia sive rustica, sive urbana: ergo huc non pertinent quae im-

nac. ex C. *Tua nos*), praesertim si pia instituta sub Regum immediata protectione sint (Trid. XXII, VIII, *de Ref.*), circa quae nihil immutatum fuit, vel ex speciali et personali (non item generali) Rñi P. privilegio (S. U. I. 22 Dec. 1880).

7 C. *Terrulas* 53, Cau. 12, 2.

8 Iusta causa est Ecclesiae *necessitas* vel *utilitas*, et pietas (Reiff. III, 13, 18), v. c., si urgeant creditores (Ex C. I, *De Pignor.*; Engel., III, 13, 6), si quid melius comparari velit (C. 8, *h. t.*), si pauperes alendi sint (C. 70, Cau. 12, 2): juris autem solemnia sunt, *tractatus*, *consensus*, et subscriptio Capituli (cit. C. 8, *h. t.* in 6°); quibus hodie Episcopi uti non solent, et ideo sufficit Cathedralis Capituli suffragium (CC. 1, 3., *De iis quae sunt a Prael.* C. 7, in fin. *De Donat.*).

9 Sylv., Navarr., 27, 149, etc.; Cajet., Suar., 24, 6, 3; Reiff., III, 13, 22. Quoad poenas *paucis in locis* recepta fuit (S. Alph., IV, 187). In Regno Neapolitano, immo et in tota Italia, receptam fuisse testantur Genuens., *Prax. Cur. Neapolit.*, 75, 1; Schmalz., III, 13, 123.

10 Cf. Berardi, J. E. U. To. II, Cap. 2, v. *Tres habet. Haec Praelatorum*, ubi plus aequo has interpretationes, et Interpretes carpit.

11 S. U. I. 22 Dec. 1880.

12 Ex pr. ipsius Extravang.

mobilia censentur destinatione patris familias (13) aut lege (14), nec ea quae solo tenentur, ut arbores etsi grandiores (15), et, ut puto, fodinae (16). *Mobilia* vero *pretiosa* intelligimus vasa aurea, argentea, gemmas (17), et ea quae praestant antiquitate vel artificio (18); dummodo valeant saltem 25 aureos *de camera* (19); greges, armenta, bibliothecas copiosas, et id genus cetera (20). Non item pecuniam (ceu nonnemini visum est), quippe *ejus usus in abusu* (absumptione) *est* (21); nec sacrae supellectiles vetustate corruptae, aut consumptae, quia veneunt *sine cultus detrimento* (22); eoque minus reliquiae pretiosae, ceu putant aliqui, quorum opinio aliena est et a mente Pauli II (23) et a proprietate verborum, nemo enim eas in patrimonio nostro esse dixerit; vel res quae servando servari nequeunt, et planum est.

175. Verbum *alienationis* continet 1° *omne factum per quod* bonorum hujusmodi *dominium transfertur* (24), 2° hypothecas (25), speciales dico (26), locationes, et conductiones ultra triennium (27) frugiferum (28);

13 Ex L. 122, *De V. S.;* V. Summul., edit. III, II, P. § 103, 4. Utputa granaria in terris defossa - Sane si *immobilia* non accipimus stricta significatione, his arbores (V. n. 15), et fructus quoque pendentes (L. 45, *De Rei vindic.*) accenseri oportebit.

14 V. L. 14, in fin. *De Act. empti et vend.* - Ut ecce ususfr., actiones reales etc. (Cod. Gall. 526, Ital. 415).

15 S. C. C., 2 Jun. 1740, apud Zambo., To. I, Par. 3, V. *Arborum incisio;* Makeld, § 153.

16 Cf. Voet, 1, 18, 13. Etsi nondum institutae *(aperte)* fuerint. Et de rutis dubitandum non est: quia *ruta caesa pars fundi esse desinunt.*

17 L. 22, C. *De admin. tutor.*

18 Reiff., III, 13, 12.

19 Schmalz., III, 13, 3, idest libellas circiter 235.

20 S. Alph., IV, 187.

21 Bonac., *De Alienat.* etc., Disp. 2, P. 2, n. 5.

22 Ex Extr. *Ambitiosae* proem.

23 Cit. Extr. l. cit. Quod vel ipse Bonac., l. c. n. 31, fateri coactus est. Obtruditur decis. S. C. C. an. 1702, qua insignes SS. Reliquiae recensentur inter ea quae alienari non debent. Utique ex jure Decretalium, sed heic quaerimus utrum ea distrahere vetitum sit jure Extr. *Ambitiosae;* atque ideo sub poena excommunicationis.

24 Extr. *Ambitiosae,* v. c., in solutum dare, permutare (C. 5, *De reb. eccl. alien.*), concedere in emphyteusim, exceptis *bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis* (Cit. Extr.): sed nec has hodie ex Decr. S. C. Epp.

25 Cit. *Extr.*

26 Ex cit. C. 5; Fagn. in C. *nulli. De Reb. eccl. alien.*, n. 30. Sed an possit dare in antichresim? Et ubi ea adhuc loco pignoris est (L. 38. *De Pignor. act.*) uti apud Gallos (C. Gall., a. 2090), non potest: alibi, ceu penes nos (C. lt. 1887.), potest, si quid opinor.

27 Cit. Extrav.

28 Fagn., l. cit., n. 43; S. Alph., IV, 187. Sed quaeri potest, utrum ubi antea ex consuetudine introducta, usque ad decennium locari solebant, hodie quoque locari possint? Concilium Tridentinum XXV, R. 11, consuetudines hujusmodi tacite intactas reliquit, cum bona ecclesiastica ad longum dumtaxat tempus locari vetuit (Berar., I. E. U., To. 2, Cap. 2, V. *Concludit*): sed contra movet, quia Const.

et praeterea nihil aliud (29). Adeoque adhuc licet, ex veteri jure, imponere census et servitutes, seu reales, seu personales (30). Ex *veteri jure* inquam; adeoque ex justa causa, et in his quae non modici valoris sunt, de consensu Capituli (§ 171, 8). Et quamvis ex Const. *Universalis Ecclesiae* Ben. XIV non liceat Clericis *vendere suorum beneficiorum reditus et proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta per unam, vel plures pensiones mercede earum*, aut *pensionibus;* nihilominus si vendiderint, nihil ab hac Extravag. alienum faciunt. Contra putat De-Angelis (31). Sed si ita est, quorsum prohibitio cit. C. Universalis Ecclesiae?

Ad haec alienatio non est (adeoque huc non pertinet) pecuniam mutuam accipere (32), vel existentem in arca Ecclesiae collocare (33). Et quia is, *qui occasione acquirendi non utitur, non videtur alienare* (34), potest Ordinarius, jure suo, oblata Ecclesiae, vel relicta necdum acceptata repudiare; utputa donationem, haereditatem (35), legatum (36); adeoque potest non parere conditioni, sub qua aliquid Ecclesiae relictum est, vel promissum (37); eoque magis non uti exceptione, qua jus aliquod Ecclesiae acquireretur, vel redintegraretur (38). Ex quo patet, posse ipsum etiam transigere in re dubia,

nostra restituit Extravagantem *Ambitiosae,* quae locationes hujusmodi prohibet verbis disertissimis. Et nihilominus reor, non esse inquietandos qui, ex receptis moribus, ultra triennium locant, conducunt, quia lex generalis consuetudines speciales non abrogat (C. 1. *De Const.* in 6°).

29 Atqui, dices, vetat et *infeudationes, et concessiones.* - Utique: sed *illas* praetermisi, quippe antiquatae; *has,* quia non satis constat quaenam sint.

30 V. L. 7, C. *De Reb. alien. non alien.* C. 20, Cau. 12, 2.

31 III, XII, 7.

32 Ex L. 3, C. *Quando ex facto tutor.;* C. 5, *h. t.;* Ferrar., V. *Alienatio,* IV, 44; V. Ben. XIV, Not. 69.

33 Ex L. 16, *De De Admin. tutor.* - Dummodo, si incumbat onus eam collocandi, collocetur in re soli frugifera, vel in censibus realibus (Trombet., *Praxeos Reg.* etc., Cap. VII). Talia sunt donata, vel relicta ut collocentur, redacta ex venditione alicujus praedii, vel census (S. C. C. 24 Nov. 1787. - 21 Jun. 1788; Lucidi, *De Visit.* etc. II, p. 420, n. 65). Quid ubi census exulant, ceu penes nos? (C. It. 418). Et puto collocari posse in nominibus debitorum, praediis pignori datis.

34 L. 28, D. *De Verb. Signif.*

35 L. 6, § 2, D. *Quae in Fraud. credit;* De Luca, *De Donat.,* Disc. 23, 16. *Communissima.*

36 Ex cit. L. 6, § *Perinde;* Pirhin., *h. t.,* n. 41; Sanch., *De Matr.,* VI, 2, 33; Schmalz., *h. t.,* n. 15. Nonnulli putant Episcopum haereditatem renunciare posse, legatum non posse, quia *legatum* recta via ab eo qui legavit ad legatarium *transit* (L. 66, De Furt.). Sed non recte (V. L. *Si tibi,* 88, § 2; D. *De legat.,* I; V. Reiff., III, 10, § 2): et vix non aperte in jure cautum est (L. *Si sponsus* § *Simili modo; D. De Donat. inter Vir. et Uxor.*).

37 L. 6, § 1, D. *Quae in fraud. credit.* Ceterum, si haec damnosa fuerint Ecclesiae, tenetur damni (L. 7, C. *Arbitr. Tut.*).

38 Laym., Croi., IV, 1364. Velut remittere caducitatem emphyteusis (Bo-

non quidem diminuendo, sed non acquirendo (39). Nec alienatio intelligitur earum rerum quae ex juris necessitate distrahenda sunt; ceu immobilia relicta Monasteriis qui ea possidere nequeunt (40), aut empta cum pacto revenditionis, venditore mature ea retrahente (41).

Amplius: non quaevis rei mobilis praetiosae, vel immobilis distractio, aut locatio ultra triennium, hac Extravaganti vetatur. Nam primo quoad *mobilia pretiosa* Praelati non prohibentur veterem supellectilem distrahere ad novam comparandam aeque pretiosam; quod consuetudine est introductum (42). Deinde ad eorum pariter et ad immobiliorum distractiones, verius, non pertinent quae fiunt inter ipsas Ecclesias, vel loca Pia (43): insuper Ordinarii adhuc jure suo alienant, ut antea, praedia exigui valoris (44): immo et non exigui, si quae plus incommodi, quam commodi afferunt (45); vel si urgeat necessitas quae moram non patitur, aut adsit occasio quae alias transiret (46). Denique locationes quoque ultra triennium carent et culpa et censura, si vel factae fuerint ea lege ut, finito unoquoque triennio, liceat locatori a locatione discedere (47); vel a fru-

nac., To. I, in fin. *h. t.*, 2, 21): quod is et licitum esse tenet (To. III, D. 2, Q. 4, P. 11, n. 7). Dixi *qua*, etc.: nam si Ecclesiae jam fuerit jus acquisitum, alienare videretur: e. g. in re usucapta, vel empta ea lege, ut in quinquennio proximo tantum redimi posset, hoc elapso.

39 Ex L. *Lucius*, 47, § ult., *De Adm. et peric. tutor.*

40 De Luca, *De Alien.*, Disc. 1, 128; S. Alph., IV, 187, not. 11.

41 Croi., IV, 1364, quod alii negant, sed nullo jure (V. L. I, pr. *De Const. pecun.*).

42 Pikler., III, XIII, 5, 14; Engel., III, XIII, 5.

43 Berar., I. E. U. To. 2, Cap. 2. V. *Tres... non hic substiterunt;* Barbo., *De Off. Ep.* III, 13, 49.

44 C. *Terrulas* 53, Cau. 12, 1; S. C. C. ap. Fagn., in C. *Nulli* n. 23, *h. t.* Etiam suae mensae, quae juraverit non alienare (C. 8, § se *h. t.*). Exigui autem valoris esse quae plus 25 aureis de Camera non aestimantur, post multas varietates obtinuit (S. C. 29 Novemb. 1613; Giral., Exp. Jur. Pont. *h. t.* Sect. 444.): nisi plus ferat Dioecesis consuetudo. Dixi *praedia*, et non pars exigui valoris alicujus praedij (Clement. VIII, ap. Monac. To. II, Tit. 14, n. 3).

45 Ex CC. 7, 8, § ult. *De Reb. Eccles. alien.;* Pirhin., 3, 13, 19; Schmalz., n. 39.

46 Ferr., V. *Alienatio* I, 3; Schmalz., nn. 55, 59, 62, 112; Croix, III, 2, 1367; S. Alph., IV, 187, not. VI.

47 Reiff., III, 18, 23. Quid si locatio fuerit facta per plura, v. c., quatuor triennia, sed non hac lege? Et si quidem simpliciter sic inita sit, perinde est ac si ad 12 annos inita esset: adeoque nec culpae eximitur, nec censurae. Sin autem convenerit, ut finito primo triennio renovari debeat, et sic deinceps, quamvis tunc non liceat a locatione discedere, plures tenent et culpam et censuram abesse, quia non locatio est, sed locationis promissio: promissio vero promittentem, non rem quae promittitur, obligat (L. 3, De Pollic.), sive cum administratore (Croix, IV, 1368; S. Alph., IV, 187, not. 7), sive cum communitate, v. c. Monasterio (Filiucc., Tract. 44, 19; Lugo, Resp. Mor. III, 12, 4) id convenerit.

ctuariis, v. c., beneficiatis, Capellanis, factae *ea conditione,* ut ab illis discedatur morte fructuarii, vel alias finito usufructu: vel his locis ubi, ex lege, resoluto jure ipsorum, intercidunt (48).

176. Res autem et bona ecclesiastica, de quibus Extravagans *Ambitiosae,* alienari adhuc licet ex justa causa (§ 171, 8), et apostolico beneplacito, quod jure novo successit in locum consensus Capitularis aliarumque solemnitatum (49). Alienationes aliter factae, siquidem absque justa causa, letali non carent, et pro infectis habentur in utroque foro (50); sin ex justa causa, sed apostolico beneplacito praetermisso, valent in foro conscientiae (51), in externo claudicant, prout contractus qui cum minoribus ineuntur (52); si demum et justa causa et beneplacitum apostolicum abfuerint, excommunicatione coercentur. Semper autem faciendae sunt sub auctione (V. *Summ.*, III, 81, 82).

177. Excommunicationem quoad alienationes factas contra formam Extravagantis *Ambitiosae* incurrunt alienantes, et recipientes, omnes prorsus (53). At vero recipientes excusat ignorantia, crassa quoque

48 Ex L. 9, § 1; D. Locat., Laym., S. Alph., IV, 187 in fi. Secus ac jure italico (C. Ital., Art. 493). Nec est illicitum vendere redditus sui beneficii pro mercede, vel pensione annua ultra triennium, quia nullo jure prohibetur (Abbas, Covarr., Azor., P. 2, Lib. 9, Cap. 2, Q. 7: Gonzal., in C. 9, n. 2, *h. t.*). Dum ne veneant, aut locentur repraesentata (antecipata) mercede (Trident. XXV, R. 11).

49 Petra, To. V, sect. 3, n. 49.

50 Engel., XIII, 13, 19.

51 Schm., III, 13, 108; Zoes., III, 13, 17; Engel., III, 13, 19; Pirhin., III, 13, 36; Schmalz., III, 13, 133, ibiq.; Silv., Regin, Azor, Reiff., III, 13, 43; Laym., *De Legib.*, XVI, 9; *et alii plurimi* (Pikler, III, 13, 26). Ideoque et licitam esse verius est (Bonac., *De Censur.*, Q. IV, P. 10, n. 7).

52 Ex C. 42, Cau. 12, 2; Fagn., in C. *Nulli,* n. 46, *h. t.;* Pikler, n. 25; Pirhin., n. 29; Reiff., n. 55; V. *Summula,* II, 409, 11. Alii irritato plane esse putant (V. Schm., n. 130). Verum si non appareat utrum ap. beneplacitum revera fuerit praetermissum, post elapsos annos 30, non defuisse tenendum est (*Summula,* II, 314, 10).

53 Et quoad *recipientes* conveniunt Theologi (Comm. Patav., III, 370; Scav., I, 909, Q. 1°; Marc., I, 1353; ex cit. *Extrav.*). Quoad *alienantes* autem affirmativam, ceu veriorem et communiorem sententiam, tenet Jos. Aertnys. *C. SS.mi R.* (edit. 2ª, Tornaci, lib. VII, Tr. I, n. 1131°). Non pauci vero excipiunt Episcopos et Abbates, qui ex C. *Extravag. Ambitiosae* interdicti ab ingressu Ecclesiae poena plectuntur (Bucc., *Comm. De C. Ap. S.*, ediz. 3ª, § 83; Comm. Patav., Scav., Marc., ll. cc.; Aug. Lehmkuhl S. J., *Theol. Moral.*, ediz. 6ª, vol. II, p. 692; Simon. Aichner, *Comp. Juris Ecclesiast.,* Appendix, pag. 291; Gonella, pag. 143; Ciolli, 164, 4°): En verba Extrav. *Ambitiosae: alienanti bona..., si pontificali vel abbatiali praefulgeat dignitate, ingressus ecclesiae sit penitus interdictus. Et si per sex menses immediate sequentes sub interdicto hujusmodi, animo (quod absit) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem, a regimine et administratione suae Ecclesiae vel monasterii, cui praesidet, in spiritualibus et temporalibus sit eo ipso suspensus. Inferiores vero praelati, Commendatarii, et aliarum Ecclesiarum Rectores bene-*

et supina; alienantes non item; quod belle Patav. Comm. animadvertunt. Verum, si res per Procuratorem agitur, *alienantes*, *recipientes* accipere debemus, non eos qui, v. c. vendunt, emunt nomine alieno, sed quorum nomine emitur venditur (§ 11, 50). Quid igitur si ego nomine quidem tuo, sed nesciente te, emerim, tuque postea ratum habueris; an ex ea ratihabitione excomm. incurras? Utique si ego ex nullo tuo, vel generali mandato emerim, quippe (cum neque praesumptum, neque generale mandatum ad illicita trahi possit) tunc emis; *ratihabitio* enim *retro trahi, et mandato non est dubium aequiparari* (54). Sin quasi tutor emeris, non item, quia cum emptio et venditio alias (V. § 6, 13) valuisset ab initio, nihil praestat ratihabitio - Incurritur autem cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque (55); atque ideo, si facta fuerit sub conditione suspensiva, post

ficia vel administrationem quomodolibet obtinentes, prioratibus etc... aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura saecularibus et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt dumtaxat, ipso facto privati existant. Age nunc, si Episcopi et Abbates ab excommunicatione exempti sunt, quia aliis poenis coercentur, quidni eximendi forent inferiores Praelati, Commendatarii, aliarumque Ecclesiarum Rectores beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, qui, excommunicationis loco, ejusdem beneficii vel administrationis privatione puniebantur? Et his exemptis, excommunicationi hujusmodi obnoxii forent laici tantum alienantes bona ecclesiastica ab ipsis legitime administrata.

Ante Constitutionis nostrae promulgationem haec exceptio - *servetur* (quoad Episcopos et Abbates) prout in C. *Ambitiosae* - expuncta fuit juxta Consultorum votum; ibique, secus ac in Extrav. Ambitiosae, neque quoad personas, neque quoad poenas distinguitur. Non quoad *personas*, ideoque nemo est excipiendus; non quoad *poenas* atque ideo sola excommunicatio superest. Displicet igitur opinio 1° DeAngelis, qui existimat Episcopos et Abbates neque excommunicatione a qua exempti erant, neque interdicto ab ingressu Ecclesiae, quod a C. Ap. Sedis sublatum est, teneri (Lib. III, Tit. XIII, 4); 2° Comm. Patav., Gonellae, Marc., etc., qui distinguunt inter administrantes et non administrantes bona alienata, et docent priores hujusmodi excommunicationem, posteriores vero reservatam speciali modo, vel Tridentinam incurrere (loc. cit.); quarum prima numquam (V. § 91, n. 18) altera, solum quando agitur de bonis usurpatis ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum etc. spectantibus (§ 89, n. 2), vel de bonis *auctoritative* et *potentialiter* occupatis aut usurpatis, per alienationem incurritur; 3° Jos. Aertnys, qui beneficii privationem, cui excommunicatio (poena longe major) subrogata videtur, adhuc superesse putat (loc. cit. 3); quamvis cum De-Ang. (loc. cit.) et Sancti (Lib. III, Tit. XIII, § 14) fateatur interdictum ab ingressu Ecclesiae non amplius vigere.

54 C. 10. De R. J. in 6°; L. 16, § 1, *De Pign.*

55 Navarr., Cons., 18, *h. t.;* Filiucc., 14, 329; Reiff., *h. t.*, n. 67; Schmalz., *h. t.*, 165. Adeoque, ex jure Romano, nonnisi traditione sequuta. At vero ex novissimis fere totius Europae legibus, et in primis ex Cod. Gall. A. 1583, et

eam impletam (56). Et quia Extr. *Ambitiosae* eo spectat, ne bona Ecclesiae ab ejus patrimonio decedant (57), cumque id quod semel a me abiit amplius a me abire non possit, si quis rem a se acquisitam contra formam Extr. Ambitiosae alienaverit, nec ipse, nec qui accipit excommunicationem incurrit, si quid opinor. Nec eam incurrunt consulentes, faventes etc. (58) eoque minus qui res Ecclesiasticas diripiunt, perdunt, v. c., qui arbores caedunt, furantur (59). Immo nec qui eas usurpant: verum hi si bona hujusmodi pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum, vel beneficiorum, incurrunt excomm. R. P. reserv. s. m. (§ 83); sin converti debent in pauperum et ministrorum necessitates, excomm. Trident. R. P. simpliciter reservatam incurrunt (§ 88, 40).

IV.

178. « Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios, sive « Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prae- « decessoribus Nostris Gregorio XV, Const. *Universi*, 10 Augusti 1611, et Benedicto XIV, « Const. *Sacramentum poenitentiae*, 1 Junii 1741 (1). »

179. Ut sciamus quando quis necesse habeat denuntiare Sacerdotem sollicitantem, prius sciendum est quid sit sollicitatio. Est

It. A. 1448, nulla traditione opus est, ut emptio et venditio perfecta dici possit. Sed jure italico, si venierit res immobilis, scriptura opus erit C. It. 1314, 1.

56 Ex § 4, *Instit. De Verb. Oblig.* Nam, quamdiu conditio in pendenti est, dominium a venditore non discedit: quis autem alienatum dixerit quod adhuc in dominio venditoris remanet? (L. *Alienatum*, 67, D. *De Verb. Sign.*). Aliud juris est si conditio fuerit resolutiva, quippe res illico transit in acquirentem (LL. 1, 2, 5, D. *De in diem addict.*). Exinde resolvi potest ea quaestio, utrum incurrat excommunicationem qui vendit, vel emit, *reservato beneplacito Ap. Sedis.* Quod alii affirmant, et quoad *loca, et bona jurisdictionalia* definiti juris est (Urb. VIII, C. *Humanae salutis*, § 2 in fi.): alii negant (V. Bonac., l. c., 4, n. 5). Et si appareat hujusmodi conditionem resolutivam esse, recte illi; sin suspensivam, recte hi: et si neutrum appareat, suspensivam esse tenendum puto (Ex C. 30, *De Reg. Jur.* in 6°).

57 Extr. *Ambitiosae* proem.

58 Ex C. 6, *De reb. Eccles. alien.* - Nec *consentientes* (Bonac., *De Alienat.* etc., Disp. 2, P. 2, n. 29). Adeoque nec Delegati Apostolici, qui decretum vel auctoritatem interponunt in detrimentum Ecclesiae (C. *Cum omnibus*, Pauli II), qui ceteroquin nec antea eam incurrebant, nisi in ipsis literis apostolicis intimata fuerat (*Petra in dicta*, C. n. 15); nec qui decreta hujusmodi extorquent (Cit. C. Pauli II; Suar., 22, 6, 3).

59 Ex Decr. S. U. J., 9 Mart. 1870.

1 Ben. XIV cit. Const. (qua Const. Gregorii XV totidem fere verbis inseruit), denunciari et coerceri jubet (§ 1) « omnes et singulos Sacerdotes... qui « aliquem poenitentem, quaecumque « persona illa sit, vel in actu sacra- « mentalis confessionis, vel ante, vel « immediate post confessionem, vel « occasione, aut pretextu confessionis, « vel etiam extra occasionem confes- « sionis in confessionali sive in alio

igitur sollicitatio — *Facta a Sacerdote, tanquam a Confessario, ad turpia provocatio.* — Provocationem vero accipere debemus quid ad turpes affectiones commovendas pertinet. Necesse est igitur 1° ut intercesserit ad turpia provocatio; 2° ut haec a Sacerdote, et 3° ut ab eo tamquam a Confessario sit facta (2). *Ad turpia,* idest obscoena; nempe tactus, aspectus; immo etsi ad sui dilectionem tantum poenitentem allicere tentaverit (3). Nec interest quo modo provocatio sit facta, verbisne, an tactibus, nutibus etc., vel per scripturam, seu tunc seu postea legendam (4). Immo etsi inhonestos tantum *sermones* vel *tractatus* habuerint, eodem jure censebitur (5). Nec proderit Sacerdoti quod statim sollicitationis ipsum poenituerit, vel in ipsa sollicitatione destiterit (6).

180. Ut *a Sacerdote:* itaque si is qui sollicitat non sit Sacerdos, denunciatio cessat; si est, tenet, licet confessarius non sit (7). Quid si sollicitatio a poenitente processerit? Et si sacerdos consensit, palam est in rem turpem eum convenire; atqui hoc est inhonestos *tractatus* habere (8); merito igitur responsum est, denunciari eum oportere, etsi statim destiterit de illa turpi materia loqui, *differendo ejus complementum ad aliud tempus,* nec poenitentem absolverit (9). Quare eo magis denunciandus erit, si provocatus ad unam turpitudinis speciem, ad aliam, minorem licet in illa contentam, diverterit (10). Nihilominus onus denunciandi cessat si sollicitaverit Episcopus, quia denunciatio facienda est *judici competenti,* et Epi-

« loco ad audiendas confessiones *de-*
« *stinato* aut electo, cum simulatione
« audiendi ibidem confessionem ad
« inhonesta *et turpia* sollicitare pro
« seipso, vel pro alia persona (§ 2, 2),
« vel provocare *sive verbis, sive signis,*
« *sive nutibus, sive tactu, sive per*
« *scripturam aut tunc aut post legen-*
« *dam* tentaverint, aut cum eis illicitos
« et inhonestos sermones, vel tracta-
« tus habuerint. » Quae exscripsimus Italicis literis desunt, in Const. Gregorii XV.

2 S. Alph., VI, 684, V. § 79. Itaque si quis ad aliud crimen, v. c., furtum, perjurium, excitaverit in confessione (S. U. I., 11 Febr. 1661, n. 11); vel ad turpia quidem excitaverit, sed in aliis Sacramentis, sollicitatio cessat (S. U. I., n. 10; S. Alph., VI, 683, 684).

3 V. S. Alph., VI, 704.

4 Ben. XIV, cit. Const. *S. P.*

5 Greg. XV, loc. cit., §§ 5, 9; *Instructio* S. U. I., 20 Febr. 1867. *Eodem jure,* nempe et quoad *poenas,* quod in cit. Const. expresse cautum est; et quoad *denunciationem,* quod Nostri pene omnes docent.

6 S. U. I., 11 Febr. 1661, n. 2.

7 Ex cit. Const., §§ 1, 2; S. Alph., VI, 688; S. U. I., 11 Febr. 1661, n. 5.

8 Ex L. 32, *Pro Socio.*

9 S. U. I., cit. Decr., n. 2. Verum si consentit metu gravi inductus, probabile est denunciationem cessare; quia S. U. I., quae cit. Decr. ad 9, censuerat hunc quoque denunciandum esse, in cit. *Instructione,* sacerdotem consentientem quidem memorat, sed de eo qui metu consentit verbum non facit (Vindic., Ligor., P. V, Q. 20, Art. 2).

10 Baller. ad Gury, II, 591, v. *Illud.*

scopi judex non est quisquam ex aliis Ordinariis, vel ex Inquisitoribus, penes quos denunciatio fieri praecipitur, sed Apostolica Sedes tantum (11).

181. Demum ut tamquam *a Confessario* (12). Porro *confessarius* sine aliqua confessione, seu vera seu specie tenus, non intelligitur: ideo videamus utrum provocatio ad turpia sit facta in confessione, an extra illam. Si in confessione, reus erit semper sollicitationis; sive provocaverit poenitentem in *actu confessionis*, sive *immediate ante*, sive *immediate post*. Verum hoc adverbium « *immediate* » stricte accipiendum est; nempe si — inter sollicitationem et confessionem — inter confessionem et sollicitationem — *nihil mediet* (13). Sin extra confessionem, sollicitatio non intelligitur, nisi provocatio hujusmodi ad confessionem aliquo modo referatur: ideo necesse est, ut sit facta occasione, vel simulatione, vel pretextu confessionis. *Occasione* confessionis sollicitat qui petentem confiteri *illico* pellicit ad turpia, confessione dilata in posterum (14). Immo etsi non petentem, si illum, v. c., aegrotantem, quasi confessurus adierit adscitus ab alio (15),

11 Trident., XXIV, R. 5; Baller. ad Gury, II, 590.

12 Ex cit. C., §§ 1, 2. Adeoque huc non pertinet Sacerdos interpres (S. U. I., cit. Dec., n. 6); nec qui eum sollicitare jussit, mandavit (ib. ad 1). At qui sollicitat non excusatur quod non pro *se*, sed pro *alio* sollicitaverit (Cit. Const. § 1).

13 Salm., XXI, IV, 48. Idest si neque Confessarius neque poenitens ad alia facta diverterint (S. Alph., VI, 677). Ut ecce si petentem confiteri sollicitet; et continuo confessionem ejus excipiat: vel confessum e vestigio in cubiculum ducat et provocet (Salm., n. 50). Secus si (ILLINC), confessione in aliud tempus dilata, de aliis rebus colloqui coeperit; vel (HINC) in cubiculum duxerit ut aliud revera cum eo negocium ageret, et dum colloquuntur, quasi per accidens, poenitentem sollicitet (S. Alph., 677). Caeterum semper initium sollicitationis inspiciendum est, nam sollicitatio intelligitur in *ipsa* confessione, vel immediate *ante*, vel immediate *post*, si tunc Sacerdos fecerit aliquid aut dixerit sollicitandi animo, etsi hic postea apparuerit; veluti si det poenitenti chartam, in qua eum ad turpia incitat, postea legendam (Prop. 9, damn. ab Alex. VII), si domi eum invitet, aut jubeat ipsum expectare se domi, si quaerat ubi habitet, et domi sollicitet (S. Alph., 676, 704, 3). Non item si cognita in confessione fragilitate poenitentis, domi eum adit et urget (Diana, Trull. Salm., n. 51; Auctor. Operis cui titul., *Istr. pe. Nov. Conf.*, P. 22, Cap. XIV, 223); quippe is ex confessione notitiam, ex notitia sollicitandi ansam capit (V. Giraldi, *E. I. S.*, Part. I, Lib., III, Tit. I). Nec aliud revera docere videtur S. Alph., VI, 678 in fi. Verum alia est praxis Congregationum urbis.

14 Salm., n. 52. Tametsi nondum ipse sederit, nec poenitens genuflecterit (S. Alph., VI, 677). Verum ut videatur facta *occasione* Confessionis, et tamquam a Confessario, necesse est ut poenitens aut petat confiteri *statim*, aut in *ipso confessionario* petat v. g. *cras confiteri:* itaque si is *extra confessionarium* petat confiteri *postridie*, sollicitatio cessat (Ex cit. Decr. S. U. Inq., 4).

15 S. Alph., VI, 678.

vel sponte sua. *Simulatione* confessionis, reus sollicitationis intelligitur, qui dum fingit confessionem audire, provocat ad turpia. Verum ut videatur simulare confessionem, opus est ut specie tenus, qua alii decipiantur, confessio agi videatur. Proinde necesse est, ut stet vel in confessionario, vel in loco destinato, aut electo ad audiendas confessiones (16); utque nedum in hoc, et in isto, quod nemo dubitat, sed et in illo fingat se confessionem audire (17). *Praetextu*, qui v. c. aliquem ad confessionem invitat, ut provocet ad turpia, licet ad veram confessionem invitet: praetextus enim est quod intentionem obtegit facto aliquo seu apparenti, seu vero (18). Quocirca sollicitatio cessat, si non ipse, sed poenitens confessionem praetexuit; vel ipse quidem, sed ut alium (non poenitentem) deciperet: vel uterque ex condicto ut alios fallerent (19).

182. Sacerdos reus sollicitationis denunciandus est. Obligatio denunciandi tenet omnes qui sollicitationem resciverint (20), et maxime poenitentem sollicitatum. Nec refert cujus aetatis aut sexus ipse poenitens sit, et utrum sollicitationem animadverterit, vel intellexerit tunc, an serius; dummodo animadverti et intelligi revera potuisset (21); et licet ipse sollicitationi consenserit, aut sollicitatio mutua fuerit (22). Nec liberatur confitendo ei qui sollicitavit (23),

16 Loca *destinata* dicuntur cellulae illae in Ecclesiis extructae, ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi hujus rei causa posita sunt: *electa* ea in quibus quis in praesens, pro re nata, confessionem excipit, sive domi, sive in agro, sive in via; quibus autem opus sit ut in his locis confessio simulari videatur, in facto non in jure consistit. At *ea loca in quibus excipi solent confessiones monialium,* vel *mulierum degentium in locis vulgo* Conservatorii, Ritiri, *pro veris confessionalibus sunt habenda etiam quoad mulieres extraneas* (S. U. I., 25 Nov. 1874).

17 Ronc., Pala., Salm., n. 57. Et palam apparet ex cit. Decr. S. U. I., n. 15. *An sit denunciandus Confessarius qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium non simulando confessionem?* - Resp. - *Opinionem negativam non carere sua probabilitate. Stantem;* secus, verius, si genuflecterit (S. Alph., VI, 680).

18 V. Josue, VIII, 5; I Reg., XVI, 2.

19 S. Alph., VI, 679, 680. Verum si is cubiculum aegrotantis ingressus, rogatu ipsius adstantes recesserint, et remanserit solus cum sola quasi confessionem excepturus, nonne videtur eam sollicitare *simulatione* confessionis (Comm. Patav., II, 396)? Minime, quippe non sollicitat occasione confessionis, sed turpiter agit (V. S. Alph., 679).

20 S. U. I., ap. S. Alph., VI, 680 in fi., 695, 698. Dummodo resciverint a personis fide dignis (S. U. I., 11 Febr. 1661 ad 14); nec revelatum eis fuerit consilii petendi causa (S. Alph., l. c.). Quidam clar. theologus sollicitatum dumtaxat tenere putat, et sic pluries a S. U. I. decisum fuisse affirmat.

21 Cit. C., *Sacram. Poenit.*, § 1. Non enim cessat sollicitatio, quia sollicitatus eam non animadvertit.

22 Cit. C., § 2. Nam potest hoc reticere (S. U. I., 27 Sept. 1724): et si fuerit interrogatus, quod nefas est (S. U. I., 20 Febr. 1767), negare poterit (S. Alph., VI, 700).

23 Prop. 7, damn. ab Alex. VII.

nec eo quod sollicitatio fuerit occulta (24), et probari nequeat (25); vel quia multum post eam tempus effluxerit (26), aut quod nulla correctio fraterna praecesserit (27), vel sollicitans sponte comparuerit (28). Nihilominus cessat obligatio denunciandi, si fieri nequeat absque incommodo admodum gravi (29), et quamdiu sollicitatio certa non fuerit et manifesta (30).

183. Denunciationes hujusmodi a nemine absque culpa letali omitti possunt (31). At poenitens sollicitatus (et hodie is tantum), si eam ultra mensem distulerit, incidit in excomm., a qua non potest absolvi, *nisi prius denunciationem ad effectum perduxerit* (32). Verum, quia

24 S. Alph., VI, 694. Lex non distinguit; et alias vix denunciationi locus foret.

25 Prop. 5, damn. ab Alex. VII.

26 C. *Sacr. Poenit.*, § 2.

27 Alex. VII, Decret. 8 Jul. 1660. Quid si jam emendatus fuerit? Multi negant esse denunciandum (V.S.Alph., VI, 686).

28 S. U. I., 26 Jul. 1628.

29 Salmat., XXI, IV, 89; Ronc., Cap. 2 pr.; Mazzot., *De Poenit.*, Tr. VI, Disp. II, Q. II, Cap. IV, n. VI, Q. 2; Albit. 35, 25. Et profluit ex doctrina S. Alph., VI, 699 in fi., qui loquens de muliere, quae multum repugnat adire Inquisitores, docet posse eam expectare Confessarium qui pro ipsa denunciationem deferat, *quia praecepta positiva non obligant ad rem nimis arduam* (cit. n. 699 in fi.). Et quando agitur de virgine, aut nobili, aut verecunda, quae denunciare renuat, consulatur Episcopus, qui si habet difficultatem, consulat S. C. (Albit. 35, 70, ex Decr. S. U. I., 13 Sept. 1623). Sane S. U. I., 22 Januar. 1827, Praefecto Missionum in America respondit, mulieres sollicitatas non teneri ad denunciationem, si Ministri Inquisitionis in longinquis regionibus degentes, sine *gravi incommodo* adiri nequirent (Antoi., *De Poenit.*, Append., *h. t.*, Notae, n. 2). Sane Constitutio nostra ait; *culpabiliter* negligentes: excusatur ergo qui *commode* denunciare nequeat per se vel per alium (Albit. loc. cit.).

30 S. Alph., VI, 702. Sive incertum sit uter sollicitaverit, v. c., Sejus ne, an Cajus (nisi judex id certo dignoscere possit), sive sollicitatio ipsa fuerit dubia facto, vel jure. Porro *facto* dubia videtur sollicitatio, cum non satis constat, an Sacerdos revera sollicitaverit; idest cum obscura sunt vel ambigua et verba (signa, nutus), et intentio. Scilicet, si verba sunt aperta, intentio obscura, verbis standum est (Ex C. 7, *De Sponsal.*; S. Alph., l. c.): contra si verba sunt ambigua, intentio manifesta, haec sequi debet (Ex L. 67 pr. D. *De Legib.*, I; S. Alph., l. c.). At si utrumque est in obscuro, denunciatio cessat: ut ecce si Confessarius, vir gravis et integer vitae, laudaverit poenitentem de pulchritudine et venustate; aut donum mulieri dederit (S. U. I., 11 Febr. 1661, nn. 12, 16). *Jure* autem dubia intelligitur sollicitatio, quoties non satis constat, aut convenit, num Sacerdos sollicitaverit quasi Confessarius: ut puta si non appareat utrum sollicitatio facta *fuerit immediate ante confessionem vel an immediate post;* vel utrum *pretextu* confessionis. Ceterum dubia huiusmodi in aestimatione non poenitentis, sed Confessarii esse debent.

31 S. U. I., 20 Febr. 1867, n. 3. Easque confessarius injungere tenetur, etiamsi poenitens non sit fide dignus (S. U. I., 4 Mar. 1863). Verum non licet, ceteris paribus, poenitentes interrogare an fuerint a confessario sollicitati (S. U. I., ap. Albit. 35, 27).

32 C. *Sacram. Poenit.*, § 2.

tempus non currit ignoranti (33), mensis computandus est ex quo scivit et 1° obligationem denunciandi, et 2° excommunicationem adnexam huic obligationi, et 3° tempus obligationis adimplendae. Quamdiu igitur primum ignorat *culpa*, quamdiu alterum *contumacia* cessat. Quid si tertium tantum? Et siquidem falso existimavit denunciationem protinus faciendam esse, excommunicatio eum non tenet quoad mensis decurrerit (§ 9, 31); sin quandocumque sibi libuerit, eam nec post mensem incurrit, quamdiu bona fide existimat adhuc posse differri. Ceterum qui promiserit se denunciaturum, si fide sit dignus, absolvi poterit; et nedum *a peccatis* ante mensem elapsum, quod in Const. Bened. XIV expresse cautum est, sed et *ab excommunicatione* post mensem (34), quia Const. nostra, quando voluit aliquem non absolvi *donec denunciaverit*, expressit (§ 116).

V.

184. « Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos sacrosanctum Concilium Tri-« dentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla « reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta « anathematis poena in Decreto Sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* consti-« tuta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii « approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt. »

185. En verba Trid. *Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris... sub poena anathematis.* Ait Trid. *imprimere vel imprimi facere:* ergo huc non pertinent Auctores librorum; nec qui eos retinent, vendunt, evulgant. At hodie non inspicitur, utrum liber vero, an ementito, aut reticito auctoris nomine editus sit. *De rebus sacris:* quamvis haec verba pateant latissime, verius nihilominus ad eos libros contrahenda sunt, de quibus agitur in citato Decreto: agitur autem de Sacrae Scripturae libris, et de his tantum agitur (1).

33 Ex L. 5, D. *Quis ord. in bon. poss.;* C. 3, *De Suppl. negl. prael.*

34 Avanzi., pag. 114; Comm. Patav., III, 332, II. Et multo magis absolvi poterit post denunciationem peractam (S. Poen., 32 Mar. 1832).

1 Ex L. 23, *De Legib.;* Avanzi., n. 33; Ciolli, § 153; Del Vecchio, I, 628 - Contra Comment. Patav., § 402. Ad haec excommunicationem, item nemini reservatam, subeunt, ex eod. Trident. (demptis excomm. quae obsoleverunt) 1° raptores mulierum, ac omnes *illis consilium, auxilium vel favorem praebentes* (Sess. XXIV, Ref. M. 6); scilicet *ad raptum*, non item si haec praestiterint post raptum admissum, quo rapta facilius raptori nuberet (De Just., *De Disp. Matr.*, II, 18, 42); 2° cogentes *quovis modo subditos suos* vel *quoscumque alios, quominus libere matrimonium contrahant* (Ib. Cap. 9); 3° qui aliquam mulierem *quomodocumque coegerint, invitam, praeterquam in casibus jure expressis, ad*

Art. II. *Suspensiones.*

186. Suspensio est - *Censura qua clerico officio beneficioque interdicitur* (1) - Officii appellatione omnis potestas spiritualis significatur (2). Fertur in Clericos, nempe singulos. Sed interdum in personas quoque Morales (uti vocant), scilicet Ecclesiasticas, quae habent corpus collegii, utputa Monasteria, Capitula, fertur. Quod cum fit, animadvertendum est, utrum lata sit, v. c., in Capitulum, an in singulos ejus Capituli Clericos, an in Capitulum et singulos: illa enim cadit tantum in personam Moralem, ista in singulos tantum (3). Prior adimit quae persona morali, non quae singulis competunt (4): contra altera quae competunt singulis, non quae personae morali (5): illa est privatio quaedam, haec vera censura est (6); nisi forte lata sit in insontem, vel pro delictis omnino praeteritis, vel in perpetuum, vel quamdiu Ordinario videbitur, vel in diem certam (7). Adeoque haec tenet reos tantum, illa et insontes tenet (8). Exinde patet quid juris sit, si lata fuerit in personam moralem et singulos una simul. His praemissis videamus quae sint.

ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint; quique demum cujusvis mulieris *voluntatem vel veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint* (Sess. XXV, *De Reg.*, 18); 4° qui *docere praedicare, vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputare, defendere praesumpserint,* existenti in lethali, si eucharistiam recipere velit, non esse confessionem necessariam (Sess. XIII, *De Euch.*, Can. 11); 5° qui affirmant matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse (Sess. XXIV, *De Ref.*, M. 1); 6° demum magistratus saeculares, qui Episcopis auxilium ad tuendam clausuram monialium praebere recusant (Sess. XXV, *De Reg.*, 5), quod tamen extra Ditionem Pontificiam vix amplius obtinet, aut ne vix quidem.

1 V. Berard., P. II, Disp. VI, Cap. VI.

2 Suar., 25, 10. Sive jurisdictionis sive Ordinis. Jurisdictionis sive interni sive externi fori. Ordinis sive majoris, sive minoris, exceptis his officiis, quae tonsurae cohaerent (Salmat., X, V, 17, 27). Nihilominus quia hodie Laici quoque minoribus ordinibus defungi solent, hi suspensioni subtrahuntur (Salm., n. 24).

3 Salm., X, V, 43.

4 Ex L. 7, *Quod cujusq. univers.* V. Suarez, *De Cens.*, Disp. 28, Sec. 3, v. c., jus cogendi comitia Capitularia, nominandi ad beneficia Ecclesiastica, etc.

5 C. 40, *De Elect.*, in 6°; ut puta jus celebrandi, absolvendi a peccatis, etc.

6 Salmat., 10, 5, 47. V. § 16.

7 V. cit. § 16, 76 Suspensiones hujusmodi ipsae quoque aut poenae sunt, aut privationes quaedam, quarum violatio irregularem non facit (Salm., X, IV, 12; VIII, 70; S. Alph., VIII, 314, 317), vel utrum faciat oppido incertum est (V. § 213).

8 Suar., 28, 3, nn. 1, 6 etc.

SUSPENSIONES LATAE SENTENTIAE SUMMO PONTIFICI RESERVATAE.

I.

187. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione ad bene-« placitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, aliique omnes qui ad « illarum, seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de « praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam « ipsi exhibuerint Literas Apostolicas de sua promotione (1). »

188. Haec censura eo spectat, ne pro Episcopo, aut Praelato se gerat qui talis non est. Porro Episcopos accipere debemus (§ 10, 38) consecratos. Praelatos vero qui jurisdictione Episcopali externaque pollent (2): *provisos* autem *quovis modo,* qui a S. Sede vel promoti, vel confirmati fuerint (3), non item eos qui quasi administratores mittuntur, et planum est. Itaque videamus quid heic puniatur, quinam, qua poena.

189. Et I quod punitur est eos *recipere;* idest excipere, admittere quasi Praelatos, Episcopos (4), antequam exhibuerint literas Apostolicas Capitulo, vel Monasterio. II Personae quae puniuntur sunt non ipsi Praelati, vel Episcopi, secus ac antea (5), sed Capitula, et Conventus Ecclesiarum: *aliique omnes;* idest (nisi cavillamur) alii ab his, ex quibus constat Capitulum, et Monasterium. III Omnes autem suspensione coercentur a suorum beneficiorum perceptione. – *Beneficiorum*, atque ideo quae sunt ordinis vel jurisdictionis, utputa sacrum facere, sacramenta administrare, Capitulum convocare, praesentare ad beneficia, eligere etc. salva permanent. *Suorum;* adeoque, verius, Capitula et Monasteria ab his tantum quae in communi (6); alii omnes ab his quae singulariter possident. *Perceptione:* ac proinde non ab administratione, ut alias, sed a fructibus tantum, si quid opinor. Fructus autem appellatione veniunt quae ex beneficio, non quae intuitu beneficii percipiuntur (velut incerti stolae reditus), nec distributiones *quotidianae* (7).

190. Haec suspensio quoad Capitula et Monasteria *privatio* quaedam est, quoad alios *censura;* ideo eam incurrunt ex Capitulis et Monasteriis hi quoque qui non receperint; ex aliis vero qui letali

1 Extr. 1, *De Elect. Injunctae.*
2 Berar., *J. E. U.,* To. I, Diss. 5, Cap. 3 pr.
3 Cit. Extr. 1, *De Election.*
4 Rubr. in cit. C. 1, *De Elect.*
5 Cit. C. 1.
6 Suar., 28, 3, 3; 31, 5, 23; Salm., 10, 5, 43. Contra Bonac., To. 3, Disp. 3, Quae. 4, Pu. 10, n. 4, qui putat incurrere suspensionem ab his quoque quae possident uti singuli. Haec sententia neque regulis juris, neque verbis nostrae Constitutionis congruit.
7 Suar., 27, 1, 30; S. Alph., IV, 130, v. *Cum autem.*

non carent (§ 186). At vero cum Episcopus, Praelatus semel receptus fuit, quia receptio recipiendi actione finitur, suspensio cessat, si quid opinor, si alii deinceps recepto, qui in pacifica possessione officii sui est, obediant, aut studeant (8).

191. Suspensiones quae sub his numeris recensentur ad Sacram ordinationem pertinent. Porro nemini licet a non suo Episcopo ordines recipere, nemini ordinare *in sacris* sive suos subditos sive alienos absque titulo; nemini vel *in minoribus* ordinare tum alienos sine dimissoriis proprii, tum suos sine testimonialibus alterius Episcopi cum id opus est. Et quia haec communia sunt tum Ordinanti tum Ordinando, juverit de his prius attingere quae ad rem nostram pertinent. Sed ante omnia admonendi sumus Const. A. S. de solis conferentibus, vel recipientibus *ordinem* loqui. Porro translatitium est tonsuram non esse ordinem, ac proinde cessare hodie suspensiones latas in conferentes (1), vel recipientes tonsuram (2). Amplius, inter suspensiones, quae heic recensentur, a collatione et ab exercitio ordinum, hoc distat, quod illae ab omnium ordinum collatione, hae a solius male suscepti ordinis exercitio nos prohibent (3). Deinde, violatis his, quae verae censurae sunt, contrahitur irregularitas; ceteris violatis, non item. Eas autem violat ordinator, non si exerceat actum jurisdictionis, vel ordinis, sed si ordinem conferat (4). Violat ordinatus si ordinem exerceat sacrum. Nempe et serio, et solemniter (v. Summul. I. 380.).

192. Principio igitur suus Episcopus aliquis dicitur ratione vel originis, vel domicilii, vel Beneficii, vel famulatus (5). Episcopus *originis* is dicitur, in cujus dioecesi domicilium habebat tunc, cum

8 Ex cit. C. 1, *De Elect.* Quo excommunicatione coercentur - *qui eos recipiunt,* AUT *eis parent,* VEL *intendunt - recipientes* VEL *obedientes.* Contra putat cl. Ciolli, § 156.

1 Olim suspensione tenebantur, qui tonsuram conferebant infantibus, illiteratis, conjugatis, non subditis (C. 4, *De Temp. Ordin.* in 6°) vel simoniace (Xist. V, Constitutione *Sanctum et salutare,* quam ex hac parte Clem. VIII intactam reliquit). Hodie non incurritur, nisi quis illam forte conferat extra Dioecesim; nam tunc suspensionem incurrit quasi exercens Pontificalia. Sed V. § 201, 18, v. *Ad haec.*

2 Suar., 31, 1, 19.

3 Bonac., Disp. 3, Quae. I, Par. IV, § 1, n. 4: Reiff., I, XI, 177. Sive quia Ordinator gravius delinquit, sive quia potestas ordinandi, qua abutitur, divisionem non recipit.

4 Reiff., 175.

5 CC. 1, 3. *De Temp. Ord.* in 6°; Trid., Sess. XXIII, *De Ref.,* 9; Innoc. XII, B. *Speculatores,* § 4.

Ordinandus in lucem prodiit, pater ejus, vel si spurius est, mater (6). *Domicilii* in cujus dioecesi perpetuam habitationem sibi constituit (7). *Beneficii* in cujus dioecesi congruum (8) pro taxa dioecesana, vel moribus, licet non residentiale (9), beneficium possidet (10). Demum *famulatus*, seu familiaritatis, Episcopus, non titularis in partibus (11), sed cum dioecesi, quocum, forte etiam nondum Episcopo (12), ordinandus commoratus fuit, altusque ab eo per triennium (13): sed is ea lege, ut conferat ordinato congruum beneficium, sive in sua sive in aliena dioecesi (14), intra mensem ab Ordine vel Tonsura ei collata (15). Porro ordinando integrum est eligere ex his quem malit, et eo electo, etiam in unoquoque Ordine, variare, *dummodo non in fraudem* variet (16).

193. Tituli Ordinationis sunt beneficia, hisque deficientibus, patrimonia. Patrimoniis accensentur pensiones perpetuae, legata perpetua Missarum (17); immo et Capellaniae manuales, modo conferantur sub conditione *donec ordinatus provideatur* (18). Patrimonium vero constituendum est in *re soli* (19), vel ea quae, jure Canonico,

6 Ex LL. 6, 9, D. *Ad Municip.*; Schmalz., 11, 21, 22. Qui vero sub tutela vel cura est, hodie penes nos tutoris vel curatoris domicilium sequitur (C. Ital. Art. 18). Ceterum filio integrum est domicilium sibi constituere ubicumque voluerit, etsi non sui juris (LL. 3, 4. *Eod.*); dummodo suae aetatis sit; idest, quoad haec, pubes (Ex C. 3, *De Judic.* in 6°). - Praeterea domicilium originis intelligitur etiam patris adoptivi, quamdiu adoptatus in familia ejus est (L. 17, *Eod.*); vel ubi quis infans *expositus* fuit (Barb., *De Off. Episc.*), si quorum parentum sit, ignoretur (Salm. VIII, IV, 47); vel ubi fuit baptizatus adultus (Paul. III, *B. Cupientes Hebreos*).

7 B. *Speculatores* § 3, v. c., ubi nactus est coadjutoriam in beneficio residentiali cum futura successione (Ex S. C. C. Lucid., I, p. 261).

8 C. 6, *De Praebend.*

9 S. C. C., 26 Maii 1598; *Lucid.*, I, p. 159.

10 B. *Speculatores* § 3. Nec sufficit Capellania Laicalis, etsi perpetua (S. C. C., 19 August. 1724; Lucid., p. 160, n. 80). Et si beneficii reditus satis non sint, suppleri nequeunt ex patrimonio in *eadem* (Cit. § 3), vel, ut puto, ex alio beneficio in *alia* dioecesi. *Possidet*, ideo non potest alias conferri Tonsura quamvis arctato (Cit. § 3).

11 Trid., XIV, *De Ref.*, 2.

12 S. C. C., 9 Novemb. 1589; Lucid., I, p. 168, n. 96.

13 Trid., XXIII, *De Ref.*, 9; *B. Speculatores*, § 6. Continuumne? Affirmant Navarr., Bonac., Barbosa; negat Girald., et rectius, dumne diu interruptum (Lucid., 1, p. 169, n. 96).

14 S. C. C. ap. Galler. ad Trid., Cit. C. 9.

15 *B. Speculatores* § 6. Adeoque hodie neque patrimonium sufficit (S. C. C., 27 Jul. 1697; Lucid., I, 170, 10), neque pensio (Monacelli, p. I, Tit. 3; Form. 17), nec, ut puto, Capellania Laicalis (V. n. 8).

16 S. C. C., 26 Januar. 1732; Lucid., l. c., n. 102.

17 S. Alph., VI, 825.

18 Ben. XIV, Not. 26, 11.

19 S. C. C., 29 Novemb. 1670, Engel. 1, 14, 21.

soli instar habetur, utputa censibus consignativis (20), vel ex reditibus emptis ex versuris publicis (21). Et ita constitui debet, ut usufructus ab ordinando abire non possit *donec provideatur*. Quamobrem si constitutum fuerit sub conditione, ne fructus a constituente decedant, vel ut ad ipsum redeant, ordinato adhuc vivente, nec aliter proviso, haec conditio, si apposita est inscio Episcopo, pro non scripta erit (22), sin consentiente, actum vitiat (23). Ad haec non quodvis beneficium vel patrimonium pro titulo esse potest; sed necesse est ut sit sufficiens (24); utque Ordinandus in pacifica possessione ejus sit (25). Nemo autem potest ordinari in sacris sine titulo, exceptis Regularibus, et earum Congregationum viris, quibus hoc nominatim concessum est a R. P. Et grave est ordinare vel ordinari absque titulo, vel cum titulo falso, vel (si de patrimonio

20 Ben. XIV, ex S. C. C., Not. 26, 12; dummodo prius censuarius promittat se, cum voluerit censum redimere, sortem penes virum probum ac fidelem depositurum, ut iterum novis censibus, aut praediis collocetur (Bened. XIV, l. c.). Verum ubi census hujusmodi rebus mobilibus accensentur ex noviss. Legibus, ceu in Gallia (C. Gall. art. 529 et penes nos C. It. 418, § 1), non puto id fieri posse: nam quae mobilibus, quae immobilibus accenseri debeant, juris civilis est definire. At vero redditus praediales qui praestantur ex fundis ea lege venditis aut donatis, ut ex fundis ipsis (Tropl., *Prestito* § 425), vel ex eorum pretio (C. It. Art. 1780) annuum aliquid persolvatur venditori, aut donatori, licet redimi possint, immobilium loco sunt.

21 Ex S. C. C., 29 Jun. 1704, quippe instar immobilium habentur (V. De Luca, *De Regul.*, Disc. 113, n. 2). - Itaque patrimonium in re mobili constitui non potest, et si constitutum fuerit, pro nullo erit (S. C. C., 29 Nov. 1670; Ben. XIV, Not. 26, 8). Eoque minus constitui potest super obligatione personali alendi Clericum quoad provideatur, quamvis Episcopali vel regia, prout in terminis a S. C. C. definitum fuit sub die 8 Junii 1704 (V. Rigant. ad Reg. Cancell., 24, § 5, n. 122); et quamvis munita sit hypoteca omnium bonorum (S. C. C., 2 Oct. 1717, Rigant. ib. n. 123).

22 S. C. C., 11 Maii 1599; Ben. XIV, n. 18.

23 Ex L. 30, D. *De Act. et Oblig.* Scilicet quia conditio hujusmodi et turpis est (§ 10, *de haered. instit.*) et contra naturam actus (L. 149. *Ubi D. De Reg. Jur.*).

24 C. 23, *De Praeb.; Trid. Sess. XXI, De Ref.*, C. 2. Quod aestimari debet ex taxa Synodali, et si ea desit, ex consuetudine Dioecesis (Ex B. *Speculatores* § 3). Redditus autem non intelliguntur, nisi deductis oneribus et expensis: tantum si agatur de beneficio, vel Capellania, in arbitrio Episcopi erit deducere, vel minus, onera personalia, utputa legata Missarum (S. C. C., 17 Jul. 1723; Ben. XIV, *De Syn.*, XII, 9, VI). Quod si quis in una Dioecesi beneficium habeat, et in alia velit ordinari, et taxa utriusque dioecesis variet, siquidem beneficium adsiduitatem exigit, illa, secus ista sequi debet (Ben. XIV, C. *Apostolici Ministerii*, § 7).

25 Ex B. *Speculatores*, § 3.

res est) ficto, seu fiduciario (26), vel nullo, vel injusto, vel restitutioni, aut resolutioni obnoxio (27).

194. Literae *dimissoriae* dicuntur quae dantur a proprio Ordinario, ut quis ordinari possit ab alieno Episcopo cum S. Ecclesia Romana communionem habente. Ordinarium heic accipimus 1° ipsum Episcopum, non item Vic. ejus Generalem, nisi Episcopo diu in remotis agente; 2° vacua sede, Vic. Capitularem; 3° quoad Regulares qui a jurisdictione Episcopi sunt exempti, ipsorum Praelatum; nempe durante triennio post tyrocinium ante solemnem professionem quoad tonsuram et ordines minores tantum, post edita solemnia vota quoad omnes (28). Literae *testimoniales* sunt quibus testimonium fertur (ab Ordinario) de alicujus natalibus, aetate, vita, moribus etc.: et ideo commendatitiae dici solent. Qui sine literis dimissoriis, vel testimonialibus confert tonsuram, aut recipit, letali non caret, sed hodie nullam censuram incurrit; haec enim lata est in eum qui confert ordines, tonsura autem, quod neminem praeterit, non est ordo: itaque de his qui conferunt, aut recipiunt ordines videamus.

26 Urban. VIII, C. *Secretis.* Porro titulum, seu potius patrimonium, *falsum* accipio, quod non extat: seu praedia supposita sint, seu instrumenta, seu nomina constituentium. *Fictum* quod revera consistit, sed constitutum est dicis causa, idest, sine intentione illud constituendi (S. Alph., VI, 822): *fiduciarium* quod ea lege constitutum est, ut ab ordinatione restituatur, vel ut ne Ordinatus fructus percipiat.

27 *Nullum* dicitur quod irritum omnino infectumque est; veluti si in re mobili sit constitutum, vel ab amente, vel donatione non acceptata vivo eo qui donavit. *Injustum* quod non jure, idest non servata juris forma, factum est, ut puta, hodie, donatione privato instrumento confecta (Ex L. 1, D. *De injust. rupt. testam.*; C. It., 1056). Obnoxium *restitutioni,* scilicet in integrum; veluti si a minore sit constitutum; vel dolo aut vi extortum: *resolutioni,* utputa si ab eo constitutum sit, qui constitutionis tempore liberos non habebat; vel ex praediis emptis cum pacto revenditionis, quamdiu tempus retractui, jure vel pacto definitum, non effluxerit. Porro donata ab eo qui liberos habet, reductioni sunt obnoxia, si forte, mortis suae tempore, integra legitima liberis suis non supersit. An igitur constituta ab eo patrimonia, ab Ordinariis admitti, vel rejici debeant? Neutrum plane, sed utrumque arbitrio eorum, ut puto, relinquendum est; alias vel rejicienda erunt facta a viris quoque ditissimis, vel admittenda facta ab his qui tunc temporis nihil aliud in bonis habent.

28 S. C. C., 28 Febr. 1754; S. C. Epp., 12 Jan. 1858. *Post tyrocinium,* nam eo nondum exacto, subsunt suis Episcopis (Cf. Ferrar., V. Novitius nn. 93, 108). Aliud juris est in his qui Piis sodalitiis, seu Congregationibus, simplicia nuncupant vota. - Hi enim cum *per se* subsint Ordinariis, dimissorias petere debent ab Ordinariis in cujus dioec. morantur (S. C. Epp., 6 Maii 1864).

II. III. IV.

195. II. « Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem « ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto (1), ut ordinatus non petat ab « ipsis alimenta (2). »

196. III. « Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt ordi- « nantes alienum subditum, etiam sub praetextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, « sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus (3), vel etiam subditum « proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere « ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci literis testimonialibus (4). »

197. IV. « Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto « casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii « Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam « religioso nondum professo (5). »

198. Qui confert ordines incurrit suspensionem, si eos conferat 1° sine titulo (nempe majores), sive alienis, sive suis subditis conferat, vel 2° alienis sine literis dimissorialibus Episcopi sui, vel 3° suis sine literis testimonialibus ejus Episcopi, in cujus dioecesi tamdiu moratus est, ut impedimentum canonicum ibi contrahere potuerit. Nec ab eo tantum, quem confert, suspensionem incurrit, nec semel tantum, verum ab omnibus (6), et quoties iterum eidem personae ordines confert (7).

199. Et primo sine titulo: sive ordinaverit Clericum saecularem, si tamen hunc ordinavit cum pacto, ut non petat ab ipso alimenta (II); sive (excepto casu legitimi privilegii) regularem nondum solemniter professum (8); vel professum quidem, sed in aliqua Congregatione viventem, in qua simplex, non *solemnis*, professio emittitur (IV). Ait Pontifex *absque titulo*. Porro absque titulo ordinari intelligitur et is qui ordinatur cum titulo falso; vel eo, ex quo nullum jus percipiendi fructus in ordinatum transit: non item, ut opinor, (nam versamur in odiosis) si hujusmodi jus transeat quidem, sed vel 1° non sit sufficiens, vel 2° constitutum sit ex die, vel 3° in diem tantum: scilicet in priori casu subest *aliquis* titulus; in altero subest *jure*, in tertio *facto* et reipsa. Idem juris est si quis ordinatur

1 Nempe inito inter Episcopum et ordinatum. Initum enim inter ordinatum et alium, est res inter alios acta; initum inter Episcopum et alium, non ligat ordinatum, qui petere potest alimenta.

2 C. Si quis, 45, *De Simon.*; V. Bened. XIV, not. 27, 16.

3 C. 2, *De Temp. Ord.* in 6°; Trid., Sess. XXIII, *De Ref.* 8; Innoc. XI, B. *Speculatores*, § 9.

4 Innoc. X, ib., § 4. Canonicum impedimentum, idest irregularitatem vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis, sacramenti, famae, libertatis (si uxorem duxit): solae enim irregularitates sunt *canonica* impedimenta.

5 Ex C. S. Pii V, *Romanus Pontifex Sacrorum.*

6 Ex CC. 3, 4, *De temp. Ordin.* in 6°; Trid., XXIII, R. 8; Arg. ex art. VI, pr. § 194.

7 Suar., 31, 39.

8 Pius IX, 20 Jan. 1860.

cum titulo ficto aut fiduciario quia valet (9), vel obnoxio restitutioni in integrum, aut resolutioni quia interim valet, vel injusto, quia utrum non valeat, saltem in foro conscientiae, incertum est (10).

200. Deinde suspensio tenet ordinantem alienum subditum sine dimissorialibus Episcopi sui (III). *Ordinantem:* ergo si ei solam tonsuram conferat, suspensio cessat, quia tonsura non est ordo, sed praeparatio ad ordines (11). Illud non interest utrum majorem ordinem conferat an minorem. Lex non distinguit. *Alienum subditum* accipere debes eum qui non est tuus subditus, neque ratione originis, neque domicilii, neque beneficii, neque familiaritatis; quamvis in tua dioecesi fortuito editus sit. *Episcopum* vero *suum* accipimus qui Ordines sibi conferre potuisset, vel dimissorias ad Ordines concedere. Sed an *Episcopi* appellatione veniat quilibet Ordinarius? Nam Const. nostra in hoc ipso Articulo III alterum discernit ab altero. Utique; nam, prout alias in jure, ita et in hac nostra Const. alter alterius appellatione significatur. Adeoque sufficiunt dimissoriae etiam Vicarii Generalis, *Episcopo in remotis* agente (12); et Vicarii Capitularis vacua Sede concessae arctatis infra annum, non arctatis post annum (13). Haec suspensio cessat, si quis ordinaverit Clericum collato prius ei beneficio; quippe ex hoc suus subditus esse coepit: dummodo beneficium extet in sua dioecesi (14), et sit sufficiens, et ordinandus in pacifica possessione ejus sit. Porro Episcopus non potest hujusmodi literas denegare (15).

201. Denique suspensionem contrahit qui ordinat subditum suum

9 S. C. C., 14 Maii 1671; Ben. XIV, Not. 26, 18.

10 S. Alph., III, 711, 927.

11 Reiff., I, XI, 170; ibiq. Navarr., et Barb., *De Off. et Pot. Ep.*, Alleg. XVI, 14; XVII, 18.

12 C. 3, § *Interior., eod. tit.* in 6°.

13 Trid., Sess. VII, De Ref. 10. *Arctati,* nempe ratione beneficii vel recipiendi, vel jam recepti. *Beneficii,* ejus nempe quod ordinem requirit sive ex jure, sive ex fundationum tabulis (Reiff., I, 11, 121). *Recipiendi,* idest si in eo instituendi sint ex praesentatione, vel ex patronatu passivo, et careant ordine ex fundationum tabulis requisito (Garc., *De Benef.*, V, VII, 102); vel jam *recepti;* ut Parochia (C. 14, *De Elect.* in 6°), Canonicatus in Ecclesia Cathedrali (Trid., Sess. XXIV, De Ref. 12). Haec quoad ordines, nam pro tonsura conferenda dimissoriae etiam infra annum concedi possunt (S. C. C., 10 Febr. 1594; Lucid., I, 152).

14 Ex B. *Speculatores* § 3.

15 S. C. C., 16 Jul. 1841; Lucid., l. cit. p. 171. Porro nihil interest, utrum dimissoriae, eoque magis commendatitiae, dentur in scriptis, vel oretenus (Ex Trid., Sess. XIV, De Ref. 2; Reiff., n. 110), praeterquam Ultramontanis in Italia degentibus (Cap. 1, *De Temp. Ord.* in 6°). Palud. excusat Episcopum qui ordinat putans Praelatum ordinati ratam rem habiturum: quod post Trid. non audet admittere Sayr., P. I, Lib. IV, Tit. 14, n. 10.

sine testimonialibus (16) ejus Ordinarii, in cujus Dioecesi tamdiu moratus est, *ut potuerit ibi canonicum impedimentum contrahere* (§ 196). Idest si ibi post septennium (17) et, ut in matrimoniis, ex veriori sententia, ultra sex menses (18) moratus fuerit. Quod si pluribus in locis moratus sit (v. c. miles forte), nec commode ex omnibus locis testimoniales petere possint, ad S. Sedem recurrendum erit, ut juramentum suppletorium ei, prout in matrimoniis, dari queat (19). Hactenus de eo qui confert Ordines, nunc de eo qui illos recipit dicendum foret. Verum de his Const. nostra agit in Art. VI, § 204. Eo igitur.

V.

202. « Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti « extra Religionem degentes (1). »

203. Subjectum hujus suspensionis sunt Religiosi; nempe, stricta significatione, qui solemnem professionem emiserint. Et duobus opus est ut eam contrahant; ut et ejecti fuerint, et extra Religionem degant. Quocirca eam non incurrunt apostatae, et fugitivi; neque

16 *Testimonialibus*, nempe ad ordines suscipiendos, et non genericis (Ex S. C. C., 8 Apr. 1733, ad 3 et 4, Acta, XIV, 401).

17 Honoran., Prax., etc. Not. 10; Lucid., l, p. 164, n. 86. Ex hac enim aetate potuit et censuras et irregularitates (quae sunt canonica impedimenta) contrahere.

18 Scheider, Scavi., A. Varc., h. a. n. 3; Del Vecchio, I, 640. Hodie igitur dubitandum amplius non est, eas petendas esse ab Ordinario ejus loci in cujus Seminario Ordinandus per id tempus permansit. At vero testimoniales super natalibus et aetate nunquam non petendae sunt ab Episcopo domicilii vel Originis, sive diu, sive brevi in ejus dioecesi manserit Ordinandus (B. *Speculatores*, § 7).

Ad haec ex Concilio Tridentino 1 qui ordinat sive suum subditum, sive alienum in dioecesi alterius sine ejus Ordinarii expressa licentia (Sess. VI, De Ref., 5, 2), 2° Episcopi titulares si quem ad ordines, vel primam tonsuram promoverint (Sess. XIV, De Ref., 2), demum 3° Vicarii Capitulares qui dimissorias ad ordines (V. n. 10) non arctatis infra annum concesserint, incurrunt suspensionem; ille indefinite, isti per annum ab exercitio Pontificalium, hi ab officio et beneficio item per annum. Amplius, si quis etiam cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu, ordinatur ab Episcopo non suo, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendatur, Ordinans a collatione ordinum per annum, et ipse a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, suspensus est (Trid., XXIII, R. 8).

19 Dixi *nec commode:* reor enim mitius cum ordinandis, quam cum his qui volunt se matrimonio jungi agendum esse; primo quia illis asserentibus se nullo impedimento laborare facilius credendum est, deinde quia difficilius impedimenta quoad haec contrahere possunt.

1 Decret. S. C. C., 21 Sept. 1624, jussu Urb. VIII.

ejecti eadem amplius tenentur si reversi fuerint, vel aliam Religionem, quamvis laxiorem, fuerint ingressi (2). Et praeterea opus est, ut juste quis fuerit ejectus; id est ex justa causa, et servato ordine juris (3); neque enim heic recedendum est ab eo jure, quod in aliis Censuris perpetuo observatur (4). Proinde qui injuste ejectus est, exercitio Ordinum abstinere quidem debet, ne scandalo sit; verum si non abstinet, contra caritatem, non contra censuram facit (5); adeoque culpa ipsum quidem tenet, non irregularitas; et ne culpa quidem, si scandalum desit; puta si celebret ubi ignoratur ipsum ejectum fuisse, nec facile sciri potest. Ceterum etsi ordines, vel ordinem susceperit post ejectionem, ab eis, vel eo quoque suspensus videtur, ut antea (6): lex non distinguit.

VI.

204. « Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem Ordinem recipere « praesumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut « ab haeretico vel schismatico notorio (1): eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est « ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti donec dispensetur declaramus (2). »

205. Vetus juris Canonici regula fuit, eum qui ordinis exercitio prohibetur, si quem ordinaverit, ordinis exercitium in ordinatum non transferre, quia nemo dat quod non habet (3). Hac regula cum primis innititur suspensio qua de agimus (4): quae proinde ad omnes ordines pertinet, etiam Episcopalem (5).

206. Age nunc, qui recipit Ordines, uno tantum in casu ex Const. nostra suspensionem incurrit; si eos receperit ab Episcopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto (nempe a collatione ordinum) (6), aut ab haeretico, vel schismatico notorio. Sed intererit utrum eos susceperit mala fide, an bona. Si mala, idest si *praesumpserit* (7), suspensione perpetua coercetur; sin bona, exer-

2 Bonac., To. III, Disp. 3, Q. 8, P. 12, n. 2.

3 Ex CC. 6, et ult., *De Stat. Monach.;* Cit. Decr. § 6; V. Suar., Disp. IV, Sect. VI.

4 Suar., Disp. IV, Sect. VII; Salm., X, 1, 212; S. Alph., IV, 215. - VII, 68, 334.

5 Ex L. 19, *De Appellat.; C.* 1. *De Sent. et re judic.;* Suar., n. 20.

6 C. 6, *De Apostat.*

1 Ex CC. 1, 2. *De Schism.;* Suar., 31, 1, 65; Bonac., Disp. 3. Quaest. 1, P. 10, n. 6.

2 Ex. C. un., *De Ord. ab Episc. qui Episc. ren.*

3 C. 24, Cau. 1, 7; Suar., 31, 1, 62, atque ideo eis non prodest quod inviti et coacti fuerint ordinati (C. 92, Cau. 1, q. 1; Suar., ib. 63, contra Navarr., 27, 241).

4 Bonac., Disp. 3, Quaest. 1, P. 10, n. 1. Ideo profluit quasi ex *defectu potestatis in Ordinante* (Suar., 31, 1, 63).

5 Suar., n. 65; Bonac., n. 6.

6 Bonac., n. 3. Et planum est (V. not. 2).

7 *Praesumpserit:* hoc verbum (ait Suar., 341, 8), dolum et malitiam indicat.

citio dumtaxat ordinis caret, quoad suus Episcopus cum ipso dispensaverit (8). Quod si dubitaverit, et neglexerit inquirere ex desidia culpabili quidem, sed non lata, crassa, supina? Utrum dispensari nequeat (ab Episcopo) quia non fuit in bona fide; an queat, quia non praesumpsit? Et quando semper id accipiendum est quod reo est favorabilius, hoc magis puto (9). Ceterum, ut quis suspensionem incurrat, necesse est, ut ordinem receperit; quamobrem si invalide fuerit ordinatus (ut puta si ordinatus sit a Ministris Anglicanis), praeter ea quae supra dixi (§ 6, 12), suspensio ne intelligi quidem potest.

VII.

207. « Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in urbe commorantes ordinati ab « alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio « examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto « examine rejecti fuerint (1): nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus « suburbicariis, si ordinentur extra suam Dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium « directis quam ad Card. Urbis Vicarium, vel non praemissis ad Ordinem Sacrum suscipiendum « exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupa- « torum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incur- « runt. Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum (2). »

208. Hic articulus duas partes habet; altera de non suburbicariis, altera de suburbicariis clericis Ordinandis: de illa primum. Qui literas dimissorias a suis Episcopis ad Ordines ineundos acceperint, ordinari posse a quovis Antistite cum Sede Apostolicam gratiam et communionem habente, nisi in ipsis aliud comprehensum sit, exploratissimi juris est. Nihilominus, ad fraudes avertendas, Clerici saeculares qui hujusmodi literas obtinent, si Romam venerint, ibique *habitent et saltem per quatuor menses moram traxerint* (3), atque adhuc commorari velint, nequeunt extra Urbem ordines suscipere absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, praeterquam a proprio seu domicilii, seu beneficii, seu familiaritatis Episcopo (4); immo neque ab hoc, si in eo exa-

8 *Suus Episcopus:* id enim significant ea verba *donec dispensetur*, quae alias supervacanea forent (V. S. Alph., I, 190; Summul. Prol. § 208, 6). Et ita vetus lis (V. Suar., 31, 1, 62), utrum is suspensionem incurreret; et, in sententia adfirmantium, utrum ab Episcopo suo dispensari posset, finita est.

9 C. 2, *De Ordin. ab Episc. qui renunciav. Episcop.*

1 Edict. Card. Vic. jussu Clem. VIII, 24 Nov. 1603; Decret. S. C. C., 21 Septemb. 1624, jussu Urb. VIII.

2 Edict. Card. Vic. jussu Ben. XIV, editum 20 Mart. 1743.

3 Declarat. edita jussu Alex. VII, an. 1668, ad I; V. Avanzi., Acta etc., Vol. II, pag. 586.

4 Cit. Declar. ad IV.

mine rejecti fuerunt (5). Haec non pertinent ad Regulares, nec ad laicos qui tonsuram, et, ut puto, cum ea Ordines recipiunt una simul. Nec ad eos pertinent, qui ordinandi quidem discedunt, sed non amplius reversuri (6).

209. Altera hujus articuli pars ad Clericos Suburbicarios pertinet, eisque vetat, si ordinem velint extra propriam dioecesim, a quovis alio, praeterquam a Card. Urbis Vicario, et nisi praemissis spiritualibus exercitiis, etc. ordinari. Hanc praetereo, quia satis aperta est; et parum interest nostra. Porro Episcopus qui hos *clericos* suburbicarios, vel non suburbicarios *ordinat* (adeoque non si eis tonsuram conferat) incurrit suspensionem a Pontificalibus per annum. Pontificalia vero accipere debemus, si quid opinor, quae consistunt ex potestate *ordinis* episcopalis; atque ideo violat suspensionem qui confert *tonsuram* etsi privatim eam conferat (7): non item, verius, qui celebrat missam, etsi eam celebret in apparatu Pontificali, quippe exercet actum ordinis presbyteralis: alias, si haec suspensio est censura, irregularitatem contraheret, quod communior et recepta sententia negat (8).

210. Suspensiones, de quibus hactenus, non sunt omnes censurae stricta significatione (§ 16), sed quaedam poenae simpliciter, ut ecce quae ad *beneplacitum* (§ 207), vel in *perpetuum* (§ 202) irrogantur: quaedam privationes tantum, ut ecce quae feruntur in Capitula et Monasteria (§ 187), in Clericos qui bona fide recipiunt Ordines ab Episcopo nominatim excommunicato, etc. (§ 204). Ergo hodie omnes aliae suspensiones, quae in C. A. S. non recensentur, seu censurae, seu poenae, seu privationes illae sint, abrogatae, deletae sunt (9). At vero suspensionibus *ab ordine* adfines sunt irre-

5 Cit. Declar. ad III. Et planum est ex C. *Ap. Sedis.*

6 Honorante Prax, etc. Cap. 16 ap. Avanzini, p. 591.

7 Zerola, *Prax Episcop.* 2, Par. V, Episcopi; Alter., Rebuff., Bonac., disp. 3, Quae. I, P. 12, n. 2, qui tamen contrariam sententiam non improbabilem putat.

8 Cf. S. Alph., VII, 314. V. *Si autem.*

9 Hodie igitur cessat suspensio qua antea tenebatur qui eodem die, vel duobus continuis, conferebat, quique recipiebat quatuor minores ordines et subdiaconatum, vel duos ordines sacros (C. C. 2, 3, *De eo qui furt.*), si tamen erat l. s. (V. Reiff., I, XI, 205); is qui ordinatus fuerat ab Episcopo non suo (C. 2, *De Tempor.* Ord. in 6°); vel a suo extra tempora; vel, mala fide, ante legitimam aetatem (Pius II, *Cum ex Sacror.* nn. 14, 61); vel furtive (Tot. Tit. *De eo qui furt.*; Reiff., V, 30, 9); aut per saltum: scilicet hunc suspensum esse (C. 2, Dist. 52, et ex C. un. *De Cler. per salt. prom.*) tenent Canonistae (V. Reiff., V, 30, 3); quod et Trident. supponere videtur (Sess. XXIII, R. 14). Non bene igitur hanc suspensionem inter Tridentinas recensere videtur omnium primus P. Avanzini, *Comm. in C. Ap. Sedis*

gularitates (10); et quae sunt perpetuae, et maxime illae, quae ab ipsa ordinum susceptione nos tenent, irregularitatibus simillimae sunt (11), et plures ex nostris vulgo eas confundunt.

211. Ad eas igitur secernendas, tenendum est, irregularitates eas tantum esse, quibus 1° arcemur ab ordinibus *suscipiendis*, sive Clerici, sive laici; et 2° *perpetuo* arcemur. Adeoque non irregularitates, verum suspensiones esse ex 1° quae non a susceptione ordinum, sed ab eorum usu et exercitio nos prohibent (12); cujusmodi erant quae latae fuerant *contra male promotos;* v. c., ob ordines collatos aut receptos ab Episcopo irregulari, simoniaco, deposito, vel extra tempora, per saltum, sine titulo (13), furtive (14), simoniace (15), eodem die si duo simul collati fuerint quorum unus est sacer; ex 2° vero quae ab ordinibus quidem suscipiendis nos prohibent, sed vel ad tempus, ut puta ob defectum aetatis, vel quamdiu is qui ordinari vult in matrimonio permanserit, vel quamdiu aliquid praestitum, v. c., ratiocinia reddita, patrimonium constitutum fuerit (16). Nihilominus qui hujusmodi suspensionibus tenentur, si divina officia exercuerint, post Const. A. S., nullam irregularitatem contrahunt.

n. 52; nam vel ipse Thesaur. V. *Ordo* Cap. 13, eam repetit etiam ex cit. C. un. Utcumque, saltem dubium est, utrum ex Tridentino sit repetenda.

Adest praeterea alia suspensio contra clericos, qui missas pro bibliopolis vel mercatoribus colligunt, vel ab eis libros aut merces pro missis celebrandis recipiunt etc., de qua V. § 140, n. 17. Quoad suspensiones Tridentinas V. § 222.

10 Irregularitas definitur - *Impedimentum jure canonico introductum, quo quis ordinum susceptione, et per consequens eorum exercitio prohibetur* (V. Suar., *De Censur.* 40, 1, 2). Ergo suspensionum et irregularitatum *idem* objectum est, ORDINES. Irregularitates hisce *suscipiendis*, suspensiones susceptis *exercendis* nos prohibent directe et per se. Ad haec irregularitates indirecte prohibent et ordinum exercitio; utrum suspensiones, ex diverso, indirecte prohibeant *susceptione* ordinum, non satis convenit. Amplius; quaestionis est, utrum impedimentum, quo arcemur ab ordinibus suscipiendis, perpetuum esse debeat, ut irregularitas dici possit. Et quia versamur in odiosis, negantium sententia tenenda videtur, quam teneo.

11 Suar., 31, 1, 8,

12 V. Suar., 40, 1, 11. Ut ecce cum in jure dicitur, aliquod crimen *impedire ordinis executionem*, ut in C. 21, *De Accusat.* - Ordinationem *irritam esse*, ut in C. 1, *De Schismat.*

13 Salmat., 10, 8, 73; S. Alph., VII, 36. Contra Comm. Patav., III, 448 - V. Suar., 31, 1. - 42, 3. Sed de ordinatis per saltum vel sine titulo v. § 222, n. 1.

14 Suar., 42, 3, 5; Reiff, V, 30, 11; Glos. in C. 1, *De eo qui furt.;* Pal., *De Censur.*, VI, 17.

15 Extrav. 1, *De Simon.;* S. Pius V, Const. V; Xistus V, C. *Sanctum et Salutare* - Nec obest. C. 37. *De Simon.;* nam recepta sententia est, nullam ob simoniam irregularitatem incurri (Suar., *De Simon.*, Lib. IV, 56, 20).

16 Suar., 31, 1, 40; Bonac., *De Susp.*, Disp. 3, P. 5, § 1, n. 4, § 2, n. 13.

Art. III. *Interdicta.*

212. Interdictum est – *Censura quae divinis officiis, Sacramentis et Ecclesiastica sepultura nos prohibet* (1) – Interdictum, lata significatione, diducitur in locale et personale. Utrumque et generale et speciale esse potest. Locale est quo afficitur locus aliquis; et siquidem territorium, generale est, sin certus locus sacer, est speciale. Personale est quod in personas fertur: et si fertur in totam aliquam universitatem vel ordinem personarum, est generale; sin in singulos, speciale est: speciale insuper est illud quo tenentur hi, qui interdicto locali, aut generali personali causam dederunt (2). Interdictum personale generale, et interdicta localia neque censurae sunt, neque poenae, sed privationes quaedam (3); ideo tenent omnes, insontes quoque (4). Et fere in omnibus aequiparantur (5); utrumque enim prohibet sive personis interdictis, sive in locis interdictis obire officia divina, vel eis interesse (6), ministrare aut recipere Eucharistiam, Extremam Unctionem et Ordinem (7); ac demum dare sepulturam Ecclesiasticam, praeterquam Clericis, qui viventes servaverint interdictum (8). His tantum distant, quod interdictum personale generale non tenet eos, qui universitatis, etc., partes non sunt, vel esse desierunt (9); interdicta autem localia finiuntur loco interdicto (10). Ceterum uti censurae, ita et haec interdicta, quoad alios non intelliguntur quamdiu Universitates, Collegia, Capitula, territoria, locave sacra denunciata non fuerint nominatim.

1 Ex C. 1, *De Spons. et Matrim.*, C. 8, *De Privil.* in 6.

2 Ex CC. 16, 24, *h. t.* in 6°; Suar., 33, 1, 6.

3 Salmat., X, VI, 12; V. § 16.

4 Ex C. 11, *De Sponsal.*; C. 16, *h. t.* in 6.

5 Salmat., n. 35. *Non enim habet plures effectus interdictum personale circa personas, quam habeat locale circa loca* (Suar., 33, 1, 5).

6 Cit. C. 16, C. 57, *h. t.*

7 V. Suar., D. 33, Sect. I. Cetera et dare et recipere licet, etiam citra omnem necessitatem, et etiam solemniter (Ex C. 19, *h. t.* in 6; Suar., l. cit. n. 2; Schmalz., V, 39, 150; Salm., X, VI, 40.

8 C. 11, *De Poenit.*

9 Suar., 38, 1, 16; Laym., 1, 3, V. *Objcies.*

10 C. 16, § 1, *h. t.* in 6°. Ad haec interdicta generalia, seu localia seu personalia, cessant in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumpt. B. M. V. (C. 24, *h. t.* in 6°), et in Solemnitate SS. Corporis Christi, ejusque Octava (Mart. V, Const. *Ineffabile Sacramentum*). Quibus diebus licet divina officia celebrare sicut prius, excommunicatis dumtaxat exclusis: non licet tamen E. U. vel Ordinem ministrare, nec mortuos tradere Ecclesiasticae sepulturae (Covarr., C. *Alma Mater*, P. 2, § 5, n. 6; Suar., 25, 1, 16; V. § 219, 7).

213. Interdictum personale speciale, et poena et censura est; ideo nulli irrogari potest sine delicto et contumacia. Ipso jure tenet, et fere instar excommunicationis habetur (11): quapropter grave est ei qui hoc interdicto tenetur, ministrare quaelibet Sacramenta, exceptis Poenitentia et Viatico (12) in articulo mortis. Dixi *fere*, quia neminem, ne nominatim quidem interdictum, separat a communione fidelium (13), nec ei adimit jurisdictionem (14).

214. *Pars hujus* interdicti *est interdictum ab ingressu* Ecclesiae (15). Definitur — *Censura qua quis in Ecclesia Ordinem Sacrum exercere* (16), *divinis interesse* (17), *et Ecclesiastica sepultura* (18) *prohibetur* - Interdictus ab ingressu Ecclesiae prohibetur in ea defungi sacris, vel divinis interesse; non item eam ingredi, ceu nonnemo existimavit: quin potest in ea privatim orare, et recipere Sacramenta (19); immo in coemeterio, licet Ecclesiae contiguo, non prohibetur sacris adesse, et, si Clericus est, haec obire (20). At ecclesiastica sepultura arcetur tum ab Ecclesiis, tum a coemeteriis; nisi poenitens decesserit (21). Interdicta hujusmodi in toto jure Canonico (demptis quae in Tridentino continentur) hodie abrogata sunt; et vix unum (§ 207) et alterum (V. infra Appendix I in fin.) superest.

INTERDICTA LATAE SENTENTIAE RESERVATA.

I.

215. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Univer-« sitates Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis « ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appel-« lantia (1). »

216. Hoc interdictum differt ab excommunicatione de qua in § 47, illa enim in singulas personas, hoc in personas morales animadvertitur. Differt et a suspensione quae fertur in personas morales (§ 187), quippe haec non tenet singulos, nisi et in singulos lata fuerit; huius-

11 Ex CC. 3, 4, *De Cler. excomm. ministr.;* Berar., I. E. U., P. II, D. III, Cap. 8; Laym., Cap. 1, n. 1; Salm., n. 35.

12 V. Suar., 33, 1, 2, etc., C. 11, *De Poenit.;* CC. 43, 57, *h. t.;* C. 24, § 1, *Eod.* Tit. in 6°.

13 Ex Cit. C. 24; Suar., 34, 2, 10.

14 Laym., Suar., 44, 4, 25; Salm., X, VI, 38.

15 Laym., *De Interd.*, Cap. IV, n. 1.

16 C. 20, *De S. E.* in 6°.

17 Suar., 35, 4, 22. *Communissima.*

18 C. 20, *h. t.* in 6°; Salm., X, XVI, 89.

19 Palaus, Henriq., Bonac., Salm., n. 89; Schmalz., V, 39, 387, contra alios.

20 Ex cit. C. 20; Schmalz., n. 381. Eoque magis in Oratorio privato (Suar., 35, 4. 9; Laym., *h. t.* Cap. 1, 8).

21 Ex Cit. C. 20.

1 Ex B C. § 2.

modi vero interdictum tenet, eo quod alias foret inutile (2), sive clericos sive laicos, eos quoque qui nullam interdicto causam dederunt; et praeterea quotquot post latum interdictum Universitatis, Collegii, Capituli membra esse coeperint (3). Tantum infantes, et amentes non tenet, quamdiu illi fuerint infantes, hi non suae mentis(4). Et nihilominus hi quoque prohibentur sepultura Ecclesiastica (5); quippe haec prohibitio magis ad viventes pertinet. Ceterum cum interdictum hujusmodi non habeat vim censurae, clerici, qui ei causam non dederunt, si illud violaverint Ordinem exercendo, non contrahunt irregularitatem. Quaeri potest, an hi, qui hoc interdictum incurrunt, excommunicationem quoque contrahant de qua in § 45? Non puto (V. § 23); maxime quod illic de singulis, heic de personis moralibus agitur. Et qui personis hujusmodi auxilium consilium vel favorem praestant, neque *hoc interdictum* incurrunt (6), quia Const. nostra eos praeterit; neque *illam excommunicationem*, quia non singulis haec praestant, sed personae morali.

II.

217. « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato « Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu eccle- « siastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu « Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, « competenter satisfecerint (1). »

218. Haec poena, uti antea, ita et hodie solos Clericos tenet: ait enim Pontifex *celebrari facientes... admittentes*: atqui haec eorum sunt, qui in locis sacris potestatem habent (2). Porro olim non satis constitit, utrum haec prohibitio omnia loca interdicta (3), omnesque Clericos (4) comprehenderet: at hodie neutrum dubitationem patitur, quia Constit. nostra non distinguit. Diducitur autem hic artic., in

2 C. 16, § ult., *h. t.* in 6°. Scilicet omnia, quibus interdictum hoc nos prohibet, singulorum propria sunt, non personae moralis. Quid si Episcopus sit unus ex Canonicis? (V. § II, 44). Duard, Lib. II, Can. 2; q. 5, putat non teneri.

3 CC. 10, 16, 17. *Eod.* Velut hi qui in Civitate interdicta verum, non quasi domicilium, transtulerint (Suar., 32, 2, 15; Reiff., V, 39, 189).

4 Suar., 36, 2, 9.

5 Salm., X, VI, 47; S. Alph., III, 335.

6 Contra B C. § 2.

1 C. 8, *De Privil.* in 6°. Vel a jure: hoc verbum irrepsit ex cit. C. 8, nullum enim hodie superest in jure locale interdictum.

2 Bonac., Disp. IV, Quae. 2, P. VI, n. 9; Suar., 37, 1, 5. Verum is antea (34, 4, 12), aliud tenuisse videtur.

3 V. Suar., 37, 1, 5. Idest seu generaliter, seu specialiter interdicta.

4 V. Bonac., Disp. IV, Quae. 2, P. 6, n. 9.

duas partes; una coercet eos qui violant interdicta localia, altera eos qui cum excommunicatis communicant in divinis.

219. Quoad primam necesse est 1° ut quis celebret vel celebrare faciat divina: *divina* accipimus, prout alias, quae solis Ecclesiae ministris fas est obire (5): 2° ut in loco utcumque interdicto, dummodo declaratus fuerit nominatim (6). Verum si haec fecerint diebus et locis quibus licet, et servatis conditionibus quibus licet ex veteri jure, poena cessat (7).

220. Altera ad eos pertinet, qui admittunt excommunicatos nominatim (non item interdictos, ut prius) ad divina officia, vel *Sacramenta* (8), vel sepulturam ecclesiasticam. Ait Constitutio, *admittentes:* hoc verbum indicat *eos ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actum* (9), id est eos, qui regimen habent Ecclesiae, vel coemeterii (10); ergo alii Clerici, qui more laicorum divinis una cum interdictis adsunt, vel Sacramenta ab eis, recipiunt, vel eorum funus comitantur, non tenentur hoc interdicto (11). Neque eo tenentur, qui admittenti consilium vel favorem praestant: immo nec is, cujus erat prohibere, si non prohibuit (12). At admittentes non excusat quivis metus, aut coactio, ut in § 145, sed gravis tantum; non enim heic, neque in C. 18 De Priv. in 6., additum est *sponte;* nec id inconsulto omissum fuisse credendum est. Ceterum, praeter interdictum, aliae poenae canonicae hodie eos non tenent (13).

221. Sed utrobique excusat ignorantia, vel affectata; ait enim lex *scienter* (§ 217). Et nedum *celebrantes, et celebrari facientes*, sed et *admittentes;* quod patet ex verbis Constit. nostrae, et veteri juri congruit (14).

5 S. Alph., VII, 333.

6 Suar., 37, 2, 5; Bonac., Quae. 3, P. 2, n. 8; Laym., *De Interd.*, II, 5.

7 Ex veteri jure licet in Ecclesia interdicta, si interdictum est *speciale,* sacrum facere semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris (C. 57, *h. t.*); et in Conventualibus Ecclesiis legere horas Canonicas binis et binis, vel simul tribus (Cit. C. 57, et C. 24. *Eod. tit.* in 6°; C. 11, *De Poenit.*). Sin est *generale,* licet quotidie sacrum facere, et alia divina officia obire (C. 24, *h. t.* in 6°), sed non pulsatis campanis, januis clausis, et voce submissa (Cit. C. 24, C. 67, *h. t.*), exclusis interdictis (Cit. CC., et C. 11, *De Poenit.*), et ita ut ab his, qui foris sunt, nihil exaudiri possit (Cit. C. 113), videri nihil (Clem. I, *De S. E.*).

8 Exceptis confirmatione, Poenitentia, et Viatico (C. 13, *De S. E.* C. 19, *Eod. tit.* in 6°; C. 11, *De Poenit.*

9 Suar., 37, 1, 5.

10 Suar., Filiuc., Avil., ap. Bonac, l. cit. n. 5.

11 Suar., et Bonac., ll. cc.

12 Ex C. 47, *De S. E.*

13 V. C. 8, *De Priv.* in 6°. Ibi « *Praeter alias poenas* interdictum... incurrant ». Cum nostra Constitutio de *aliis poenis* mentionem non fecerit, eas sustulisse credendum est, quod et Avanzin., observat pag. 142.

14 Clem. I, *De Sent. Excomm.*

Absolutio hujus interdicti ad eum pertinet qui locum interdixit, vel nominatim excommunicavit eum, qui admissus fuit ad divina officia, vel sacramenta, vel sepulturam ecclesiasticam.

222. « Denique quoscumque alios Sacrosantum Concilium Tridentinum suspensos aut in-« terdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios « esse volumus et declaramus (1). »

Art. IV. *Excommunicationes, Suspensiones Interdicta circa R. Pontificis electione, et pro interno regimine Ordinum etc.*

223. « Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, Nostris « aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas « recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro R. Pontificis

1 Juverit suspensiones hujusmodi; et interdicta heic recensere. Interdictum (ab ingressu Ecclesiae) unum est: quod nempe latum fuit in Metropolitanum, qui Episcopos suffraganeos absentes; et in Episcopum suffraganeum antiquiorem, qui Metropolitanum illegitime absentem non denunciat R. P. (Sess. V, De Ref., Cap. 1). Suspensiones. I Quando quis ordinatur, vel in minoribus, 1° ab alieno Episcopo sine testimonialibus (XXIII, R. 8), vel dimissoriis (XIV, R. 2) Episcopi sui; vel 2° in majoribus cum dimissoriis Vic. Capitularis, si non est arctatus infra annum (VII, 10, XXIII, R. 10); vel 3° a suo in aliena Dioecesi (VI, 5), ordinatus et ordinans incurrunt suspensionem: nempe ordinatus ab ordine suscepto in 1° et 2° casu ad beneplacitum proprii Ordinarii, in 3° simpliciter: Ordinans vero in 2° a collatione ordinum per annum; in 1° et 3° ab exercitio Pontificalium. Ad haec ordinati per saltum suspensi sunt ab exercitio Ordinis suscepti quoad proprio Episcopo videbitur expedire (XXIII, R. XIV). Demum in *Ordinatos* sine titulo, si deceperint ordinantem, suspensionis ab ordine suscepto (non irregularitatem ut alias dixeram) poenam, latam in CC. 1, 2. *Dist.* 70; sin minus, poenam eos alendi, latam in C. 16. *De Praebend.* innovavit Trid. XXI, R. 2, uti S. C. C. die 27 Nov. 1610, *omnium suffragiis* censuit (Fagn., et Bened. XIV, Notif. 26, 16). Cumque hodie haec suspensio abrogata fuerit (V. § 18), nulla poena tenet Clericum ordinatum sine titulo, vel cum titulo ficto; nec eum qui post ordinationem titulum amisit; adeoque, nullam, si celebret, irregularitatem incurrit, secus ac vulgo existimatur. II° Episcopi praeterea incurrunt suspensionem a Pontificalibus si ea exercent in aliena Dioecesi sine Ordinarii ejus loci expressa licentia (Sess. V, 10, V. Sess. VI, Cap. 5, R. XIV, Cap. 2); suspensionem vero simpliciter Episcopi concubinarii, si admoniti a Synodo Provinciali se non emendaverint (Sess. XXV, *De Ref.*, 14). *Ubi* autem viget Trident. suspensionem incurrunt *Parochi*, aliique Sacerdotes, seu Regulares seu Saeculares, qui alterius Parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonia conjungere, aut benedicere ausi fuerint, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvantur (Sess. XXIV, *De Ref. Matr.*, C. 1). Sed et Praefectae Monasteriorum, si professionum suarum Novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem (latissimo sensu acceptam V. Reiff., *De S. E.*, n. 164) ab officio quamdiu Episcopo videbitur (Sess. XXV, *De Reg.*, 17).

« electione sive pro *interno regimine* quorumcumque ordinum et institutorum regularium, « ac non quorumcumque collegiorum, congregationum, coetuum loorumque piorum cujus- « cumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere « volumus et declaramus (2). »

APPENDIX

HIS QUAS HUCUSQUE RECENSUIMUS ALIAE TRES CENSURAE NUNC ADDENDAE SUPERSUNT – NEMPE.

I.

In Canonicos ac Dignitates qui *curam regimen et administrationem* Ecclesiae Cathedralis vacantis, remoto *Vic. Capitulari, concedere et transferre praesumunt in nominatum ac presentatum a Saeculari potestate ante exhibitionem literarum Apostolicarum.* Nec non in ipsos *nominatos et presentatos qui eam suscipere praesumunt :* ac demum in eos qui *praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, favorem praestiterint, cujusvis status praeminentiae ac dignitatis fuerint* (1).

Haec censura proxime accedit ei de qua in § 187., et eam complet. Pertinet ad tuendam Ecclesiae disciplinam quoad electionem et potestatem Vicarii Capitularis (2), et exinde ad intruses Episcopos removendos pertinet. Videamus 1° quaenam actiones – 2 quaenam personae - 3° quibus censuris coercentur. I Actiones PRINCIPALES quae coercentur hoc loco sunt Ecclesiam vacantem

2 *Pro R. Pontificis electione* (V. infra Appendix, III). *Pro interno regimine.* Ut ecce excomm. lata adversus eos, qui violant clausuram (Greg. XIII. C. *Inscrutabili* - C. *Ubi gratia :* S. Pius V. C. *Decori* : qui mutant habitum C. 2. *Ne Cler. vel Monach.*) : qui retinent arma intra septa monasterii sine licentia Praelati (Clem. I, § 2. in fin. *De Stat. Monach.* : qui non denunciat suos subditos haereticos vel suspectos de haeresi Paulus V. C. *Romanus* Pontifex) : qui habitum dimittunt (C. 2, *De Cler. vel Monac.*), licet apostatae, vel fugitivi, quia lex non distinguit, et ne commodum ex iniquitate reportent ; qui adeunt Curias Principum, ut suis Praelatis, vel Monasteriis damnum aliquod inferant (Clem. I, *De Statu Monach.*). Non item suspensio ab exercitio Pontificalium lata in eos, qui, evecti ad dignitatem Episcopalem, non servant sui Instituti Regulas, *quae Pontificale officium* non impediunt (Ben. XIII. C. *Custodes* : nec, ut puto, quae pertinent ad rerum administrationem, vel ad tuenda aliorum jura ut ecce excommunicatio lata adversus eos, qui concedunt laicis reditus Monasterii (Clem. I. *De Reb. Eccl. non alien.*), vel usurpant decimas Ecclesiarum (Clem I. *De Decim.*), vel aliis persuadent, ut sepulturam eligant in suis Ecclesiis, vete aut juramento interposito, vel ne mutent electam (Clem. 3, § ult. *De Poenis*).

1 Pius IX, C. *Romanus Pontifex,* V. Cal. Sept. 1873 ; C. *Avaritiae* 5, *De Elect.* in 6° ; Extr. 1, *Injunctae De Extr.* int. *Comm.*

2 C. 48, Can. 12, 2 ; Trid., XXIV, R. 16.

concedere et transferre, eamque *suscipere*; ACCESSORIAE, quemcumque eis favorem praebere (3). Verum ad censuram incurrendam opus est 1° ut in possessionem Ecclesiae vacantis missus fuerit NOMINATUS seu PRAESENTATUS *a potestate laica*, idest a *supremis publicarum rerum moderatoribus quomodocumque nuncupentur* (4): 2° ut, loco Vic. Capitularis, vel constituti ab eo, qui, deficiente Capitulo, Vicarii constituendi jus habet (5): *loco* idest, eo non electo, vel remoto, vel (si forte mortem obierat, aut renunciaverat, aut jure motus fuerat) non subrogato: 3° ut ea quae censuris coercentur *temere* praestita sint. Illud non inquiritur quo *quaesito colore*, *quo titulo*, *quove nomine*, *v. c. Provisoris*, *Vic. Generalis*, etc., quis Ecclesiam occupet: nec proderit quod nominatus et praesentatus fuerit ab his qui hoc jure canonice gaudent (6). II Sunt autem obnoxii censuris 1° Canonici et Dignitates qui *concedunt*, *transferunt*, etc. *Dignitatum* autem nomine contineri puto eos qui, deficiente Capitulo, Vicarii deputandi jus habent; alias hi eximerentur, quod a mente legislatoris, et a sententia omnium pene Commentatorum (7) alienum est; 2° praesentati et nominati qui *suscipiunt* etc. sive per se sive per alium (8); 3° qui eis parent, aut favent quoquo modo, *cujusvis dignitatis* adeoque etiam Regalis, vel Imperialis (9). III Censura, qua Canonici etc. coercentur, est excomm. R. P. specialiter reservata. *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae incidunt S. S. pariter reservatam* (10). Hi igitur excommunicationi eximuntur (11).

3 Cit. C. R. P., § *Confidimus*, et § *In easdem*. Comment. Pat. I, 158, principalibus actionibus accensent *Vicarii Capitularis, rite constituti, auctoritatem minuere, aut limitare, vel eum ab officio removere* - Sed ob hoc solum, non incurri excomm. ex § *Confidimus* evidens est.

4 Cit. C. § *Hac autem*. Ergo huc non pertinent si populi suffragio delecti fuerint (Contr. cl. A. Varceno, *h. t.*, § XIII, n. 3), nisi forte in Republica in qua negocia populi suffragio expediuntur; nec electi ab ipsis Capitulis Ecclesiarum Cathedralium (Contr. cl. Ciolli, § 99, et Del Vecchio, To. I, § 590): cujus est et alia ratio, quia hi non *praesentari*, seu *nominari*, sed *eligi* dicuntur; quae duo jure canonico longissime distant, et ipsa Const. R. P. ea distinguit (§ *Hac autem*), et iterum et tertio, ait, *nominatos*, seu *praesentatos*.

5 Ex Cit. Const., cit. § *Hac autem*.

6 C. 5, § 2, *De Elect.* in 6°; Cit. C. R. P., § *Hac*.

7 Cl. Baller., Ad Gury, II, 973; Ciolli, § 99; A. Varce., cit. n. 6.

8 C. 5, § 2, *De Elect.* in 6°.

9 Cl. A. Verceno post n. 6. *Nota*.

10 Cit. C. 5.

11 Comm. Patav., l. c. Et jure prorsus (§ 23). Contra cl. Ciolli l. c., qui hac quoque teneri putat. Ad haec Canonici et dignitates privantur ipso jure fructibus beneficiorum, aliisque ecclesiasticis redditibus, quae *singulariter* (V. § 187), possident (Cit. C. R. P., § *Confidimus*.

II.

« Excommunicatio adversus ecclesiasticos, et Missionarios mer-
« caturam in Indiis Orientalibus exercentes, juxta Const. Urb. VIII
« *Ex debito*, 22 Febr. 1633, et Clem. IX *Sollicitudo*, 6 Jul. 1669 (1). »

Haec censura tenet penes Indos Orientales tantum, et in partibus Americae tam australibus quam septemtrionalibus (2); ideo de ea paucis. Videamus quodnam sit ejus objectum, quos teneat. Objectum hujus excomm. est *omnis et quaecumque negotiatio*, seu *mercatura* (3). Negotiatio propria significatione est - *aliquid emere ut* IMMUTATUM *carius vendas* (4). Mercatura latius patet, et ea quoque attingit quae MUTATA naturaliter revendi solent (5): *naturaliter* inquam, nam si revendantur mutata labore hominum, vel industria, magis *artificium* intelligitur (6): quod proinde (§ 10. 38) huc non pertinet.

Huic excommunicationi sunt obnoxii I *omnes* ECCLESIASTICI *tam saeculares quam regulares cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis*, etc., qui in eas regiones ab his, quorum est (7), *missi fuerint* (8), aut in illis *quomodolibet morabuntur* (9), qui ibi mercaturas negotiationes exercent, vel eis *quovis modo vel qualitercumque se ingerunt, vel immiscent* (10). Nec refert 1° quo *praetextu, causa, occasione, forma* haec exerceant; nec 2° utrum *proprio an suae Religionis, Congregationis, Societatis nomine;* nec 3° utrum *directe an indirecte, per se an per alios* (11), vel pro aliis, nam negotiantur, mercantur, se immiscent. II *Superiores immediati ac Generales, et Provinciales praedictorum Ordinum,*

1 S. U. I., 4 Dec. 1872. Quae auctoritate Summi Pontificis declaravit praedictas Constitutiones non fuisse revocatas per Const. A. S.

2 Ex B. Urb. VIII, § 8, Clem. IX, § 3; Ciolli, § 135.

3 Cit. BB., cit. §§ 8 et 3.

4 Less., *De Iustit.* II, 21, 4; S. Alph., H. A., X, 192. Velut oleum, frumentum.

5 Ex L. 9, § ult. *De publican.* ibiq. Glos. Ut puta si quis mustum emat, ut vinum; vitulos, ut boves factos; sues, ut saginatos, revendat. (Less., n. 5; Lugo, *De Just.* 26, 29).

6 Ben. XIV, *De Syn.* X, VI, 2. Ut ecce si ex empto ferro ligno lana, arma, vasa, vestes conficias. Nihilominus si haec fiant conductis operariis, quaestuosum aliquod sunt, cum a negotiatione parum distent (S. Alph., III, 836), et regulariter letali non carent.

7 Idest *a S. S.*, vel *a Congregat. Propagandae Fidei*, vel a *Superioribus earum* (Clem. IX, § 3).

8 Urb. VIII, § 8; Clem. IX, § 3. - *Omnes:* ergo et Episcopi (§ 21, 9).

9 Clem. IX, cit. § 3. - Atque ideo etiamsi ab aliis, vel a nemine missi fuerint; soli igitur indigenae (Acta etc. Vol. VII, p. 323), vel qui eo nati fuerint, excommunicationi eximuntur.

10 Urb. VIII, § 8; Clem. IX, § 3.

11 Cit. CC., § 8, § 3. Per alios nempe laicos; tametsi laici solum negociis supersint, ipsi vero parum, vel nullo modo (Ex Ben. XIV, C. *Apostolicae servitutis*, § 1).

Congregationum etc., *qui in suos subditos, etiam pro una vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem a locis commissi delicti,* non animadverterint (12).

Haec excomm. nulli est reservata (13); nihilominus ab ea *nemo* ex PRAEDICTIS DELINQUENTIBUS *absolvi potest, praeterquam in mortis articulo, nisi lucris hujusmodi prius restitutis* (14). *Ex praedictis delinquentibus;* idest ex his qui negotiationibus, aut mercaturis dant operam, vel eis se immiscent, ingerunt: ergo Superiores, etiam lucris non restitutis, ceteris paribus, absolvi possunt, nec mora delinquentium eis nocet. Restitutio autem *locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis in spiritalibus generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis seu pro Vicariis est facienda,* qui restituta in pias causas (non tamen religionum, congregationum, societatum, quorum individui deliquerint) erogari necesse habent (15).

III.

« Ipso facto incurrunt excommunicationem speciali modo R.no P. « reservatam omnes et singuli *societati catholicae pro vindicatione ju-* « *rium populi christiani, et in primis romani,* in electione R.ni P. no- « men dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, « vel adhaerentes (1). »

Promoventes, nempe qui fideles quoquo modo sollicitant ut praedictae societati adhaereant. *Faventes* (favere quid sit, V. § 12), etsi non adhaereant. *Adhaerentes,* idest doctrinam sectantes, profitentes etc., quamvis non adscribantur. *Nomen dantes,* licet non promoveant, nec adhaereant, neque faveant; modo tamen nomen dederint, non *simpliciter* tantum, ut (forsan ex verbis dubiorum S. Poenitentiariae propositorum) ait cl. Gonella (2), sed expresse declarantes se assentire doctrinis in programmate contentis, et coram duobus testibus obligationem contrahentes se operam daturos ut tales doctrinae propugnentur, et societas ipsa dilatetur (licet non essentiant, nec quidquam faciant). Haec enim verba exposita fuerunt, quoad nomen dantes, S. Poenitentiariae, quae nonnisi *attentis omnibus expositis* respondit. Ergo juxta exposita intelligenda sunt quae continentur in propositis dubiis, praecipue quia versamur in odiosis.

12 Clem. IX, cit. § 3,: secus ex Urb. VIII.

13 Cl. Balleri. ad Gury, II, § 977, n 5; Comm. Pat. III, 424. Et re quidem vera de reservatione in Const. Urbani et Clementis ne verbum quidem.

14 Clem. IX, cit. § 3.

15 Cit. § 3, Contr. Const. Urb. VIII.

1 S. Poenit., probante Pio IX, 4 Aug. 1876; Acta, XVI, p. 148.

2 Gon., edit. Taur. 1893, p. 81.

224. Explicit recensio censurarum, quae nunc vigent, l. s. Quando autem non omnes (demptis excommunicationibus) dici possunt censurae stricta significatione, sed quaedam mere *poenae* sunt, quaedam *privationes* tantum, cum harum violatio secum irregularitatem non trahat (§ 16, 75), consultissimum duxi quaenam illae sint paucis ostendere. Sunt igitur quae latae sunt I in insontes (§ 204): vel II in personas morales, idest Capitula, monasteria (§ 187), Universitates, Collegia (§ 215): vel III in singulos quidem, sed aut in perpetuum (§ 202), aut ad beneplacitum (§ 207). De his tantum non satis convenit, quae latae sunt in diem certum, puta ad annum (§ 196, 197), vel triennium (§ 195): nonnulli enim existimant, violantem censuras hujusmodi non fieri irregularem, quia magis poenae sunt quam censurae, cum recedant a ratione poenae medicinalis (3). Alii contra putant ex C. 1, *De Sent. et re Judic.* in 6° (4). Alii demum si latae fuerint *ab homine* illis, sin *a jure* his adhaerent (5). Haec sententia videtur verior; dummodo censura lata sit a jure *canonico*, a quo tantum irregularitates constitui possunt (6): nihilominus prima, si non verbis legis, at certe regulis juris melius cohaeret; et probabilis est vel ipsis contrariae sententiae patronis (7). Quamobrem, cum in odiosis versemur, non puto esse inquietandos eos, quibus arridet, nisi cum aliud in jure canonico fuerit expressum.

3 Villalob., Gabr., Avil., apud Salm., 10, 5, 13.

4 Suar., 25, 2, 4; Bonac., *De Susp.* Disp. 3, Quae. 4, Prop. 1, n. 6; Salm., l. cit.; Diana, Pal., Filiucc., etc. Verum Suar., ex cit. C. I, et Bonac. ex eo, et ex C. 1. De *S. E.* in 6. (in quo manifeste decipitur) tenent, ex violatione cujusvis suspensionis, etsi habeat vim solius poenae, irregularitatem oriri, quod aut falsum est, aut oppido incertum.

5 Ronc., et S. Alph. VII, 314.

6 Suar., 40, 4, 12; Salm., 10, 7, 3.

7 Diana, Salm., 10, 5, 3; S. Alph., l. c.

CAPUT III.

DE ABSOLVENDIS CENSURIS QUAE CONTINENTUR IN CONSTITUTIONE APOSTOLICAE SEDIS (1).

225. « Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab « Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, « aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano « Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit: quae vero « privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, « Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo pecu- « liari praedito, atque etiam speciali mentione digno a quovis umquam tempore huc usque « concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, « et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus; minime « refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, « vel non, in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apo- « stolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, qui- « buslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et « insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus (2).»

226. « Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentino Synodo Episcopis « concessam Sess. XXIV, C. VI, De Reformat. in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi « hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi « speciali modo reservatas declaravimus.

« Decernentes etc. *(sequuntur clausulae consuetae)* Dat. Romae an. 1869 - IV Id. Octobr.»

ART. I. *Generalia de absolutione a censuris.*

227. Censura, cum semel fuerit contracta, tolli, nisi absolutione, non potest (1). Absolutio autem datur nedum in externo foro, sed regulariter in foro quoque interno; et sive in confessione Sacra-

1 Privil. absolvendi a reservatis in B. C. et ab aliis quibusdam; et a reservatis locorum Ordinariis sive a locorum Ordinariis jamdiu a S. C. Epp., 9 Jan. 1601 jussu Clem. VIII, et 26 Nov. 1602, concessum et confirmatum a Paulo V, 7 Jan. 1617, ademptum fuit omnibus prorsus. Et nuper, mota quaestione: an Praelati Regulares post Constit. *Ap. Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus ante, idest, an possint suos Sacerdotes absolvere a casibus Papalibus in dicta Const. simpliciter reservatis, S. Poenit. 5 Decem. 1873 respondit *Negative; salvis aliis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis - Aliis,* idest, antea concessis, *cujuscumque indolis,* etiam *extraordinariis* (S. U. I. 15 Jul. 1870).

2 Ad haec in Decreto Pauli V, 7 Jan. 1617, lata erat excommunicatio ipso facto R. P. r. adversus eos qui intra Italiam extra urbem absolvere praesumerent praeterquam in mortis articulo.

1 Suar., *De Cens.,* 7, 1, 2. Nec cessat, etsi cessaverit contumacia (Ex C. 37, *De Sent. Excomm.*), reoque correcto

mentali, sive extra eam (2) dari potest. Nobis de ea cum primis agendum est, quae datur in confessione Sacramentali. Principio igitur, cum censura sine peccato ne intelligi quidem possit, absolutio in foro Sacramentali et a censuris, et a peccatis danda est (3): nempe ab eo qui in hoc foro jurisdictionem habet, seu ordinariam seu delegatam. Sed duae hae absolutiones pluribus distant. Etenim absolutio a peccatis ad Deum nobis reconciliandum, absolutio a censuris ad restituendum ea, quae propria sunt civium Ecclesiae militantis, pertinet. Illa ab omnibus danda est, haec vel ab una dumtaxat recte datur. Illa nonnisi contritis et volentibus dari potest, haec valide datur etiam contumacibus, et invitis (4). Illa pure danda est; haec dari potest sub conditione, et ex die, vel in diem (5): illa, quia est pars sacramenti, praesentibus tantum; haec et absentibus recte datur (6): illa metu extorta valet, haec non item (7): illa reservatis nedum directe, sed et indirecte ex justa causa dari potest (8); haec nonnisi directe. Coeterum altera seorsim ab altera datur valide: nempe absolutio a censuris sine absolutione a peccatis semper, et directe datur; absolutio a peccatis, non absolutis censuris, solum indirecte, et cum poenitens eam recipit in bona fide et ceteris paribus.

228. Praeterea quoties censura reservata est, peccatum quoque reservationi est obnoxium: unde duplex reservatio (9). Quaesitum est, num utraque sit principalis? Et in casibus a R. P. sibi vel Ordinariis reservatis convenit reservationem censurae esse princi-

(Prop. 44, damn. ab Alex. VII): exceptis censuris in tempus definitum latis, quippe eo finiuntur.

2 S. Alph., VII, 70, 126. Etiam in articulo mortis (Suar., 7, 6, 7; Laym. Cap. II, n. 2). Et data extra sacramentum poenitentiae a casibus a R. P. reservatis, omnis reservatio cessat; data a casibus reservatis ab ordinario non item, superest enim reservatio a peccato (V. S. Alph., VI, 580, 582).

3 Ex Rit. Rom., *De Sacram. Poenit.*, § III. Et absolutio a censuris, quasi removens prohibens, prius danda est sub gravi.

4 V. S. Alph., VII, 131.

5 Laym., Cap. VIII, 1; Suar., 7, 8, 7; Schmalz., V, 39, 103.

6 Schmalz., III, 16, 247. Nisi alicui mandatum sit, ut absolvat *in forma Ecclesiae consueta*; is enim uti debet forma praescripta in Rit. Rom.

7 C. 1, De iis quae vi.

8 S. Alph., VI, 265. Velut in Paschate, poenitente impedito Superiorem adire sine incommodo gravi. Directe peccatum absolvitur quod quis confitetur, et ei confitetur, qui illius absolvendi potestatem habet; indirecte quod, vel non confitetur impune (ut ecce oblitus, vel in morbo contagioso, aut naufragio); vel ei confitetur, qui ejus absolvendi potestate caret. Scilicet, si is alia peccata confessus fuerit (et ceteris paribus), his remissis, illa quoque per consequens remitti necesse est.

9 Suar., *De Poenit.*, 29, 2, 8; S. Alph., VI, 580.

palem, peccati accessoriam; unde si quid excusat a censuris (§§ 7, 8), reservatio penitus cessat (10). In reservatis ab Ordinariis sententia minus communis, sed mihi verior, idem juris esse tenet (11); communior autem tenet utramque reservationem aeque principalem esse; ac proinde, licet censura exulet, peccati reservationem manere (12). Sed utrum a reservatione excuset ipsius reservationis ignorantia ex parte poenitentis (nam si inferior absolvit ignarus reservationis, procul dubio nihil agit)? Quaestio in eo est, utrum reservatio sit poena peccantium. Affirmavit omnium primus Graffius, quem plures ex veteribus sequuti sunt (13), existimantes, reservationes eo spectare, ut fideles metu earum a peccando deterreantur (14). Plures et longe graviores negant, quia reservatio, ajunt, eo spectat, ut reservatio judicium prudentiorum subeant (15). Horum sententia, regulariter, ex ipsa reservationis natura, mihi verissima est, nec intelligo quomodo reservatio, quae ex tempore et loco dandae absolutionis aestimari debet (§ 229), sit poena, qua in poenitentes animadvertitur (16). *Regulariter*, nam si qua decreta sit in odium alicujus criminis, Graffi sententia aut vera est, aut certe probabilis (17).

10 Ex C. 42, *De R. J.*, in 6°; Croix, VI, 11, 1614; S. Alph., VI, 580.

11 Vigand., Bonac., Fagund., Aversa, Ciera ap. S. Alph., loc. cit.; Quarti ap. Mazzotta; Gobat, Tr. VII, n. 360; Diana, Par. X, Tr. IV, Resol. 63; Sporer, *De Poenit*, n. 735; Salm., 18, 4, 9. Alias absolutus in foro externo a censura, in foro sacramentali ab inferioribus confessariis absolvi nequiret; quod perdurum videtur.

12 Suar., Laym., S. Alph., VI, 582.

13 Graff., II, 40, 20.

14 V. Baller., ad Gury, II, 571, qui hanc sententiam jam pene sepultam suscitavit. Ipsa licet initio novitatis notata, dein multi, qui contrarium tuentur, eam probabilem putant, et plures sectantur: in his Salm., 18, 6, 13; Regin., et Rong., ap. S. Alph., VI, 581, qui olim et ipse probabilem dixit, sed postea negavit (QQ. RR., I, 83), et rectius.

15 S. Alph., loc. cit., qui hanc sententiam *communissimam* vocat (Vindic., Ligorianae, p. 319, etc.).

16 Et licet esset poena, et poena medicinalis, ut censent Salmanticenses, negari haud potest, alterum reservationis finem esse, ut peccata judicio superioris subjiciantur; unde cum *non cesset adaequate finis reservationis, reservatio non cessat* (Suar., Laym., S. Alph., VI, 581 in fi.). Si reservatio insuper poena est, dicendum erit 1° reservationi non subesse, ubi ea viget, qui peccavit vel ibi quando nondum vigebat vel alibi ubi non viget; quod inauditum puto: 2° nedum ignorantiam, sed et inadvertentiam excusare (§ 7, n. 6); 3° eam poenam in casibus ab Ordinariis sine censura reservatis numquam incurri ex defectu promulgationis. Ordinarii enim casus plerumque sibi reservant, quin, praeter confessarios, aliquid fideles de reservatione sciant: nec loco promulgationis haberi potest monitio confessarii, qui legislator non est.

17 Sanch., M., VIII, 32, 18. Haec sententia Dianae verissima visa est; Lugoni, *De Poenit.*, 20, 21, aliisque

229. Quoad absolutionem a reservatis inspiciendum est tempus et locum dandae absolutionis. *Tempus;* ideoque si eo tempore sint reservata, nihil proderit, quod peccata ante reservationem fuerint admissa, et nequeunt ab inferiore absolvi: e converso si eo tempore reservatio cessavit, nihil oberit quod admissa fuerint reservationis tempore, et absolvi possunt a quovis confessario (18). *Locum:* et *in peccatis* inspicitur locus in quo absolutio datur, *in censuris* autem locus ubi fuerint contractae: atque ideo in priori casu peccata absolvi nequeunt ubi reservata sunt, licet admissa ubi non erant reservata, et contra: in altero censura contracta in una, absolvi non poterit in alia dioecesi, tametsi nulla in hac vigeat censurae hujusmodi reservatio (19). Diversitatis ea est ratio, quod jurisdictio ad peccata absolvenda datur ab ordinario in quo confessiones excipiuntur, ad absolvendas censuras datur ab ordinario qui eas irrogavit (20).

230. Dixi absolutionem a censuris dari posse sub conditione (§ 227): porro species absolutionis conditionalis ea est, quae dicitur *ad reincidentiam;* idest ut absolutus, nisi intra certum tempus aliquid praestiterit (puta nisi infra mensem restituerit), reincidat in eamdem censuram ipso jure. Reincidentia vel a jure est, vel ab homine. *A jure* olim in duobus casibus tantum locum habebat; scilicet cum quis non perpetuo impedimento detentus, vel in articulo mortis, absolvebatur a censuris (21) ab eo, cui super reservatis nulla neque ordinaria, neque delegata jurisdictio inerat. Scilicet, is cessante impedimento, vel si convaluerat, debebat Superiorem, idest eum qui absolvendi ordinaria vel delegata potestate pollebat, adire (22) *quam cito commode poterat,* alias in eamdem censuram recasurus ipso jure (23).

probabilis. Imposita autem in poenam videtur, ait Palaus, Tr. II, Disp. I, V, 17, n. 5, qui Sancium sequitur, *quando reservatur constitutione aliqua specialiter prohibitiva et punitiva delicti; ut fecit Sixtus V contra male promotos ad ordines, et Greg. XIII contra dantes et recipienter pecunias pro gratia a Sede Ap. obtenta.*

18 Graff., Lib. I, Cap. IV, n. 47; Lugo, Par. I, Dist. II, Art. I, Diff. I, n. 5.

19 Cf. Laym., *h. t.,* VII, 1, v. Asser. IV, qui eas comparat (Asser. II) censuris latis officio judicis. Ex quo patet, a censuris non reservatis incurris in aliena dioecesi, posse proprium Ordinarium, et ab incurris in propria dioecesi posse Ordinarium alienae dioecesis, in qua quis confitetur, absolvere (Tolet., I, 17, nn. 6, 7).

20 Ex C. *Nuper,* 29, § 2. Ejus enim est solvere cujus est ligare.

21 Nam si peccato reservato nulla inerat censura, communissima sententia fuit cessare obligationem hujusmodi cum nullo jure praescriberetur.

22 CC. 13, 58. *De Sent. Excom.*

23 Cit. C. 22. *Adire,* idest sive per se, sive per alium (S. Alph., VII, 86); licet emendatus fuerit, et satisfecerit parti lesae (Salm., X, 11, 66; S. Alph., n. 87). Et non ut iterum absolvatur, sed *mandatum ab eo humiliter suscepturus* (Cit. C. 22 et CC. 13, 28).

Hodie in duobus pariter casibus locum habet (V. §§ 237, 238). *Reincidentia ab homine* est, quoties adjicitur voluntate absolventis. Porro censura in quam absolutus est recasurus, nova, licet ejusdem speciei, censura est (24): ex quo sequitur 1° reincidentiam adjici non posse, nisi ab eo qui habet potestatem ferendi censuras (25); 2° novam hanc censuram non incurri sine nova culpa, et contumacia (26).

231. At vero Const. nostra, post recensitas excomm. R. P. reserv. speciali modo, ab eis absolvere vetat « *dummodo non agatur de mortis articulo,* IN QUO *tamen* (ait) *firma sit quoad absolutos obligatio standi* MANDATIS *Ecclesiae si convaluerint* (§ 103). » Ex his verbis dubitari potest, utrum haec *obligatio* 1° teneat absolutos dumtaxat a censuris R. P. res. speciali modo, 2° utrum teneat absolutos extra artic. mortis, et 3° adhuc sub reincidentia hos teneat. *Primum* indubium est, quia *exceptio legis firmat regulam in contrarium pro casibus non exceptis* (27). Item et *alterum,* tum quia C. Ap. Sedis *solas censuras* coercuit, tum quia incongruum videtur, obligationem stare, cum per se (in articulo mortis), et cessare, cum per accidens (in casibus urgentioribus V. § 237), et forte interdum tantum, cessat reservatio. Nec obest, quod Const. nostra mortis tantum *articuli* mentionem fecerit; translatitium quippe est in reservationibus Pontificiis de eo *dumtaxat* fieri mentionem: utcumque *certum* jus vetus possidet (28). Immo hujusmodi obligatio extra mortis articulum tenet etiam si agatur de casibus R. P. simpliciter reservatis (29). Quoad *tertium*, hodie definiti juris est, reincidentiae in eamdem censuram locum fore, nisi absolutus ad S. Sedem recurrat per se aut per confessarium saltem per epistolas; scilicet in mortis articulo postquam convaluerit (30), in aliis casibus, (V. § 237) infra mensem. (31).

24 Sanch., Matr., 11, 13, 28.

25 Suar., 7, 6, 24; Crojx, VII, 158. Et expresse adjicienda est. Absolutus sub hac *sola* conditione - *si intra mensem restitueris* - nec restituerit, non reincidit in censuram (Salm. 10, 2, 22; S. Alph., VI, 537, q. 7, in fi.).

26 Salm., 10, 2, 6; S. Alph., VII, 87. Illud distat inter utramque, quod reincidentia ab homine non incurritur, si ab absolvente expressa non fuerit (Ex C. 8, *De Offic. Ordin.*); reincidentia a jure tacite inest (S. Alph., VII, 86).

27 Ex L. 18, *De Testib.;* L. 12, *De Judic.;* S. U. I. 28 Jun. 1882, 17 Jun. 1891 et 30 Mar. 1892; Comm. Pat. I, 164; Pennac. I, p. 453; Ciolli, § 67. Et ita vetus lis, utrum haec obligatio, post Trid. XIV, Cap. 7 (quod eam praeterit), et maxime post editum Rit. Rom. (quod eam innuit quidem, sed quasi extraordinarium aliquid), superfuerit quoad censuras non comprehensas in Bulla Coenae, finita est.

28 Pennac., I, p. 445; Comm. Patav., I, 165.

29 S. U. I., 17 Jun. 1891. Comm. Patav., et Pennacchi ll. cc.

30 S. U. I. 30 Mar. 1892 ad primum. Nihilominus novam absolutionem petere potest ab habente facultatem absolvendi a censuris R. P. speciali modo reservatis, quin ad S. Sedem recurrat (S. U. I. ibid.).

31 S. U. I., 23 Jun. 1886; et 17 Jun. 1891 ad secundum.

232. Transeamus nunc ad eos, qui possunt absolvere a censuris in Const. nostra reservatis. Sed prius admonendi sumus, non esse reservationi censurae locum, nisi et peccatum certum sit (32), et censura (33), et reservatio (34): quamdiu igitur unum ex his incertum est, quilibet Confessarius absolvere poterit. Quin plerique putant, hoc in casu nec absolutione opus esse (35), quod in dubio juris semper, in dubio facti, excepta excommunicatione, verum est (36). Sed consultissimum erit semper dari absolutionem *ad cautelam*: nam ea data cessat (si postea certa apparuerit) seu censura (37), seu reservatio (38). Quid si a reservatis absolverit is, cujus dubia fuit jurisdictio? Et si dubium erat non facti, sed juris, et sententia, quae pro jurisdictione tenet, *vere probabilis*, valet, quia Ecclesia jurisdictionem supplet (39). Secus, verius, sin facti, v. c. si apparuerit absolvisse post expiratam sibi jurisdictionem (40).

Art. II. *Quinam absolvere possint a censuris reservatis in Constitutione Apostolicae Sedis.*

233. Nunc videamus quinam absolvere possint a censuris reservatis in Const. A. S. Praetereo S. Poenitentiariam. Et *potestate ordinaria* Episcopi absolvunt ex jure Decretalium (sive casus occulti, sive publici fuerint) constitutos in sacris, et Regulares ac Moniales matrimonium contrahentes (§ 155); procurantes abortum (§ 158); utentes scienter falsis literis Apostolicis, eisque cooperantes(§ 162) (1); demum percussores Clericorum (§ 107): sed hos non semper. Scilicet interest, utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis: levem heic accipimus, quae gravem quidem injuriam continet, sed caeteris minus gravem; cujusmodi ea est quae fit pugno, pede, lapide, fuste, citra damnum grave; gravem, quae contusionem affert, vel deformitatem, ut ecce si percusso dentem excusserit, vel is copiam san-

32 L. 5, *De Poenis*; Suar., 40, 6, 6.

33 S. Alph., VII, 67. Eaque sit l. sent. (Salm., 10, 1, 210).

34 S. Alph., VI, 600. Ex C. 48, *h. t.*

35 Sanch., Dec., 1, 10, 55.

36 In dubio facti de excommunicatione, puto, absolutionem petendam esse *ad cautelam*, ne forte (si quis revera eam contraxit) extra Ecclesiam maneat, bonorumque Ejus expers sit; nam falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat: in dubio juris hoc metuendum non est, quia lex dubia non obligat.

37 Lugo, nn. 22, 23.

38 S. Alph., VI, 600, q. 2.

39 Suar., *De Poenit.*, 26, 6, 7; Lugo, *De Poenit.*, 19, 28; S. Alph., 1, 31; VI, 573.

40 Croix, VI, 1, 118.

1 Ab his absolvunt ex consuetudine etiam Confessarii Almae Urbis (S. U. I., 1 Dec. 1875).

guinis fuderit: denique enormem, si mutilavit, si oculum exclusit, si membrum rupit (2), etc. Itaque si percussio fuerit levis, Episcopus poterit absolvere percussorem quisquis ille sit (3); si gravis, eos tantum qui collegialiter vivunt (4), si enormis, impuberes dumtaxat, sive ante, sive post pubertatem petant absolvi (5). In dubio utrum percussio fuerit levis an gravis, gravis an enormis, id sequi debet quod majus est (6).

234. Jurisdictione autem decreta a Conc. Trid. *licet Episcopis absolvere a quibuscumque casibus occultis delinquentes sibi subditos, in Dioecesi* cuique *sua in foro conscientiae* (7), exceptis censuris, olim in B. C., hodie speciali modo R. P. reservatis (8). Porro occultum accipimus *quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit* (9); si modo adhuc latere queat (10). Et duobus modis dicitur; *materialiter*, quando latet factum; et *formaliter* quando factum quidem non latet, sed ignoratur censuram huic facto esse adnexam (11). *In foro conscientiae;* adeoque sive in

2 Joan. XXII, Extr. *Perlectis* ap. S. Alph., VII, 277. Amplius: percussio aestimari debet etiam ex circumstantiis loci, personae, et aliis (cit. Extrav.).

3 C. 3, *De S. E.*

4 C. 9, *De Vita et hon. Cler.;* ex C. 50, *Eod.;* S. Alph., VII, 88, 229.

5 C. 60, *De S. E.*

6 Cit. Extr. *Perlectis.* Caeterum, si percussio fuerit occulta, poterit absolvi ab Episcopo (§ 234), etsi fuerit enormis: et Poenitente impedito Superiorem adire, in casibus urgentioribus (§ 236), vel in periculo mortis (§ 237), a quovis Confessario potest absolvi (C. I, § 3, *De S. E.;* Bonac., *De Censur.*, Disp. 1, Quae. 3; Lugo, *De Poenit.*, XX, 202). Praeterea, ex *privilegio,* ab hac excommunicatione absolvere possunt Legati a Latere (C. 20, *Eod.*), Legati missi, sed in provincia quisque sua tantum (C. 9, *De Off. Leg.*); et Regulares, non secus ac Episcopi, sed dumtaxat intra urbem et extra Italiam (Ex Decr. Clem. VIII, 26 Nov. 1602, et Urb. VIII, 17 Nov. 1627. V. cit. Extrav. *Perlectis,* et supra § 107).

7 Conc. Trid., Sess. XXIV, *De Ref.* C. *Licet* 6.

8 Ergo hodie absolvere possunt excomm. ob violatam clausuram monialium etiam *ad malum finem,* R. P. reservatam speciali modo in C. *Decori* S. Pii V (Pennacchi, I, p. 442). *Occultis:* ergo ab haeresi publica adhuc absolvere possunt jure Inquisitorum in foro externo, idest causa cognita (Duard., III, § 2, Quaest. 12, n. 1): in solo conscientiae foro absolvere non posse verior, et omnino tenenda sententia est (Cf. Albit., *De Inconst.* in f. XXV, 16 etc.).

9 S. Alph., VI, 593. Quod in aestimatione boni viri esse debet.

10 Salmat., XIII, IV, 53; S. Alph., VII, 78.

11 Vide Bened. XIV, Not. 87, nn. 47, 48. Veluti si Sejus Monalium septa sine licentia fuerit ingressus: siquidem ignoratur ingressum fuisse, factum *materialiter* occultum dicitur; sin autem id scitur, sed creditur non sine licentia ingressum fuisse (error facti); vel sine licentia quidem, si nescitur ingredientes excommunicationem contrahere (error juris), factum *formaliter* occultum intelligitur. Itaque Episcopus absolvere poterit, nedum si peccatum fuerit occultum materialiter, sed et si formaliter tantum:

confessione sacramentali, sive extra illam (12). *Suos subditos tantum, et in propria Dioecesi.* At vero subditos accipimus nedum eos qui in ea domicilium, sed et eos qui quasi domicilium habent (13); immo et peregrinos; verum hos in foro dumtaxat sacramentali, in quo subditi fieri intelliguntur (14). Illa autem verba *in propria Dioecesi,* utrum ad absolvendum referenda sint, an ad absolventem, non satis convenit; adeoque sufficit si alteruter in ea versetur (15).

235. Porro Episcoporum appellatione in hoc, et superioribus §§, usu juris, veniunt quotquot jurisdictione Episcopali praediti sunt: idest Vicarii Generales, Vicarii Capitulares, et Abbates vere nullius (16), immo et Praelati ordinum Regularium, sed tantum quoad subditos suos (17), et quoad casus vel 1° Episcopis in Const. Ap. Sedis reservatos, vel 2° ad internum suorum ordinem regimen pertinentes, quamvis R. P. reservati sint, dummodo in Constitutione praedicta non contineantur (18).

236. Deinde haec potestas competit his, quibus mandata est nominatim. Et mandari potest nedum a R. P., sed et ab Episcopis quod ea quae hi absolvere possunt (§ 233), quippe potestas absolvendi eis a jure constituta vere ordinaria est (19); ea solum juris-

seu error facti versetur, quod nemo dubitat; seu juris, quod est communius (V. De Just., *De Dispens.*, I, VIII, 169; Sanch., Matr. VIII, 34, 56; Reginald., XXVIII, 219; Navar. et P. Leo ap. Bened. XIV l. c.).

12 Salm., 10, 21, 34. *Et est sententia communis et fere omnium,* ait Lugo, *De Fide.* XXIII, 64.

13 Sanch., Suar., Bonac., Salm., ap. S. Alph., VII, 81; qui contra putat ex Declar. Gregorii XIII, de qua Fagnan. in C. *Dilectus* - De Temp. Ordin. - Verum de hac declaratione non constat autentice (Mazzot., De Legib., q. 1, c. 5, q. 2); et ipsemet S. Doctor alibi de ea subdubitat, vel non receptam fuisse putat (Lib. 1, n. 148): et si probe expendatur, ad rem fortasse non pertinet. Quid quod ea verba - *in foro conscientiae* - nihil aliud significat, quam *in foro animae* (S. Pius V, C. *Circumspecta*), idest *pro* foro conscientiae? (Lugo, cit. n. 64).

14 Suar., 41, 2, 12; S. Alph., VI, 593.

15 Cf. Sanch., Dec., II, XI, 15, etc.

16 Suar., 30, 2, 4; Sanch., Matr., VIII, 2, 12; S. Alph., VI, 593, v. *Eamdem;* ibique Barbos., Fagnan. etc. Nihilominus S. Doctor ibi, n. 394, D. 9, haec habet: hinc recte, ait Sanch. cum Navar., *Vicarium Episcopi* non habere potestatem absolvendi ab his casibus (de quibus in C. *Liceat*) ex generali commissione Vicariatus, nisi *specialiter* ab Episcopo committatur.

17 Sanch., M. VIII, 90; S. U. I., 22 Mar. 1881 ad secundum.

18 Cit. S. U. I., ad quartum et quintum. Ideoque absolvere nequeunt a censuris *speciali modo,* vel *simpliciter* in Const. Ap. Sedis Romano Pontifici reservatis (Cit. S. U. I. ibid.), ne ab occultis quidem, prout Episcopi ex C. *Liceat,* quippe dioecesim non habent (Croix, VII, 141), et privilegium eis quoad haec a S. Pio V concessum (S. Alph., VII, 100, II), prout cetera privilegia (§ 225), si illud excipias quoad personas et casus circa clericorum percussionem (§ 98, V. supra § 221, n. 6), sublatum fuit.

19 Suar., 41, 2, 8; S. Alph., VI, 594, D. 9.

dictio, quae eis competit ex Conc. Trid. (§ 234), deleganda est *specialiter* (20): verum *specialiter*, non ad casus, sed ad personas refertur (21). Quorsum autem pateat haec facultas, in facto, non in jure, positum est. Nihilominus quaeri potest, quid juris sit, si verba, quibus haec jurisdictio mandata fuit, generalia sint, vel obscura. Si *generalia*, siquidem mandatum prodit a R. P., ea non veniunt casus eidem R. P. speciali modo reservati (§ 103); et si pro his quoque generaliter data sit, ea non continetur absolutio falso sollicitationis sacerdotem accusantis, nec complicis in peccato turpi (22). Sin *obscura*, si jurisdictio mandata fuit generaliter, *latam;* si specialiter, idest pro absolvendo Titio vel Cajo, *strictam* interpretationem recipit (23).

237. Praeterea, quia legum humanarum nulla est obligatio cum incommodo gravi, qui in impossibilitate versatur personaliter adeundi S. Sedem, in casibus urgentioribus in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, a quovis confessario (24) absolvi poterit, et quidem directe (25), a censuris etiam speciali modo R. P. reservatis; sed nonnisi injunctis de jure injungendis, et sub poena reincidentiae in easdem censuras, si saltem infra mensem per se vel per confessarium saltem per epistolam absolutus non recurrat ad S. Sedem, vel novam absolutionem non petat ab habente facultatem absolvendi a praedictis censuris (26). Idque licet poenitens sit *perpetuo* impeditus adire *per se* Romanum Pontificem (27); vel agatur de absolutione a censuris et casibus simpliciter eidem Romano Pontifici reservatis (28).

20 Trid., XXIV, *De Ref.*, Cap. *Licet*, 6.

21 S. Alph. VI, 549, idest deleganda est non *universis*, sed *singulis*.

22 S. U. I. 17 Junii 1866; 4 April. 1871. Ante Const. Ap. S. data licentia absolvendi a reservatis R. P., non veniebant casus reservati in B. C.; dataque ab his non veniebat haeresis, ne in Jubilaeo quidem (Cf. Giral., *E. I. P.*, To. 2, Part. 1, Tit. VII, Sect. 809): hodie haeresim contineri puto (Arg. ex citt. DD. 1866, 1871; Pennacchi, I, p. 450).

23 Sanch., Matr., VIII, 2, 6.

24 S. U. I., 19 Aug. 1891 ad tertium.

25 S. U. I., 23 Jun. 1886 ad secundum.

26 S. U. I., 23 Jun. 1886, et 19 Aug. 1891 ad secundum.

27 S. U. I., 19 Jun. 1891 ad primum. Perpetuum impedimentum accipimus quod 1° vita finitur (S. Alph. VII, 88), vel 2° in tempus indefinitum protrahitur (C. 13 eod. et C. 22 *eod. tit.* in 6°), vel 3° ad quinquennium durat (S. Alph. ib.). Primo detinentur Regulares (CC. 22, 32, 33. De S. E.), mulieres (C. 6 Eod.), senes (C. 13 eod.), nempe sexagenarii (S. Alph., VII, 88), *valetudinarii*, et *membrorum destitutionibus impediti* Cit. C. 13); altero filii familias (cit. C. 13), famuli (C. 37 Eod.), qui longa et gravi (etsi non mortali) aegritudine laborant, velut quartana (S. Alph., VII, 88), inopes (C. 43 Eod. etc.); tertio regulariter milites, ephoebi, qui in Collegiis morantur, inclusi carceribus, etc.

28 S. U. I. 17 Jun. 1891 ad secundum.

238. Demum ne occasione reservationis aliquis pereat, omnis reservatio cessat in articulo mortis (29). Mortis articulum, seu periculum, nam duo haec promiscue accipiuntur (30), significat illud rerum discrimen, in quo, et superesse et occumbere posse, utrumque est vere graviterque probabile (31); sive illud sit ab intrinseco, ut puta morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta, etc.; sive ab extrinseco, velut ex bello, navigatione periculosa, et id genus ceteris (32). Itaque in eo periculo omnis Sacerdos qui potest absolvere a peccatis, a censuris in Const. nostra reservatis absolvere potest. Idest quivis approbatus (33); et si approbatus desit (34), et sine periculo expectari nequeat (35), *omnis Sacerdos*. Immo et si non desit, si is supervenerit post coeptam confessionem (36), vel si praesens nolit confessionem excipere, aut non possit; puta quia est suspensus, vel complex in peccato turpi, aut surdus; immo etsi possit et velit, sed poenitens abhorreat ab ipso, forte inimico, vel consanguineo, vel familiari, vel minus idoneo; vel si repetenda sit confessio, fortassis invalida, facta Confessario non approbato (37). Et quia in periculis hujusmodi cessat omnis reservatio, potest absolvere etiam praesente eo, qui habet jurisdictionem, seu ordinariam seu delegatam, absolvendi a reservatis (38). Verum haec absolutio si agatur *de reservatis Romano Pontifici*, non *simpliciter* tantum, sed *speciali modo* (39), danda est infirmo cum obligatione *standi*, postquam convaluerit (§ 231), et quidem sub poena reincidentiae in easdem censuras (40), mandatis Ecclesiae, scilicet vel *adeundi* S. Sedem, saltem per epistolam, per se aut per confessarium (41), hoc enim sonat obligatio standi mandatis Ecclesiae (42), vel *petendi* novam absolutionem ab eo qui facultatem habet absolvendi a censuris R. P. speciali modo reservatis (43).

29 Trid., Sess. XIV, *De Poenit.* 7; Rit. Rom. *De Poenit.*, § II.

30 C. 29, Cau. 17, 4; C. 5, *De S. E.*; C. 22, *Eod. tit. in* 6°; Rit. Rom., *De Sacram. Poenit.*, Sanch., Dec., II, 13, 1; Lugo, *De Poenit.*, XVIII, 24; S. Alph., VI, 561.

31 S. Alph., VI, 561.

32 Rit. Rom., *De Extr. Unct.*

33 Trid., cit. C. 14.

34 Rit. Rom., *De Poenit.*, § 1.

35 Sanch., *Decal.*, II, 13, 3.

36 Lugo, *De Poenit.*, XVIII, 33. Et jure: nedum quia *ubi semel coeptum est judicium, ibi et finem accipere debet* (L. *Ubi 30 De Judic.*); sed quia aliter salvo sigillo fieri nequiret.

37 S. Alph., VI, 563.

38 V. S. Alph., VI, 563; VII, 92.

39 S. U. I. 28 Jun. 1882, 17 Jun. 1891 ad tertium, et 30 Mar. 1892 ad quartum.

40 S. U. I. 30 Mar. 1892 ad tertium.

41 S. U. I. 23 Jun. 1886 ad secundum, 19 Aug. 1891 ad secundum, et 30 Mar. 1892 ad primum.

42 S. U. I. ibid.

43 S. U. I. ibid., nempe 19 Aug. 1891, et 30 Mar. 1892.

239. Quinam existimant censuras quoque non reservatas (§§ 164, 168, 170, 178), si ad R. P. pro earum absolutione recurreris, ipso jure ei reservari (44). Quod, si is ad se negocium avocaverit, verum est (45); secus non puto, quia *adire* Principem, nullum *praeventionis effectum operatur* (46): nec intelligere valeo, quomodo quis, Piae Matris Ecclesiae veniam implorando, conditionem suam deteriorem faciat (47).

Sed satis haec, nam coepit urceus et, currente rota, exiit amphora.

44 Ex Corr., Prax. Disp., VIII, 1, 12; ex C. *Ut nostrum* 56, de Appellat., et ex CC. 1, et 2, *De Confirm. utili vel inutili;* Gonzal., ad Reg. VIII Canc.; Gl., 52, nn. 22, 23; De Just., I, VII, 224; ex C. *In distribuendis* de Temp. Ordin., quod in Decretal. non invenitur, et ex C. Cum in distribuendis 12, quod heic non pertinet.

45 Sanch., M. VIII, XIV, 3, 8, 9.

46 Ex C. 56, *De Appellat. Manus appositio Papae, non ligat manus Ordinariorum quoad forum conscientiae* (Thesaur., I, 20, v. *An autem*, ibique Gonzal., Gl. n. 60; V. Garz., Par. II, Cap. 10, n. 139). Et qui a sententia Ordinarii sui appellavit, nihilominus ab eo potest absolvi, licet ille appellationem admiserit (Sayr., II, 20, 3).

47 V. L. *Nemo*, 88, De R. I.

FINIS.

IMPRIMATUR.

P. Raphael Pierotti O. PP. Magister S. Palatii Apostolici.
Julius Lenti Vicesgerens Patriarca Constantinopolitanus.

Prati, Can. Archid. Ioachim Gori, Vic. Gen.

INDEX

Constitutio *Ap. Sedis* . . . . . Pag. 3

CAP. I.

PRAENOTANDA.

Art. 1. Generalia de Censuris. . . . . » 5
Art. 2. Generalia de Const. *Ap. Sedis*. . . . . » 16

CAP. II.

CENSURAE IN CONST. APOSTOLICAE SEDIS RESERVATAE

Art. I. Excommunicationes.

Praenotanda de excommunicatione in genere . . . . . » 21

SECTIO I.

Excommunicatione speciali modo R. P. reservatae adversus

1. Apostatas et haereticos; eis credentes, et eorum receptores, fautores, defensores . . . . . » 22
2. Legentes Apostatarum, et haereticorum libros haeresim propugnantes, et libros cujusvis auctoris per Apostolicas literas nominatim prohibitos, eosque retinentes, imprimentes, defendentes. . . . . » 25
3. Schismaticos, seque subtrahentes vel recedentes a R.ni P. obedientia. » 33
4. Appellantes a R. P. ad futurum Concilium, et eos quorum auxilio, consilio, favore appellatum fuerit. . . . . » 34
5. Injuriis afficientes S. R. E. Cardinales, Legatos, Episcopos etc., easque mandantes, vel ratas habentes, ac in eis auxilium vel favorem praestantes. . . . . » 35
6. Impedientes, vel impedire facientes Ecclesiasticae jurisdictionis exercitium, et auxilium, consilium vel favorem praestantes. . . . . » 37
7. Cogentes Judices laicos ad trahendum personas Ecclesiasticas ad suum tribunal, et edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae. . . . . » 44
8. Impedientes ope laicae Potestatis literas, vel Acta Sedis Apostolicae, eorumque promulgationem vel executionem prohibentes, aut eorum causa aliquem laedentes vel perterrefacientes . . . . . » 47

9. Falsarios literarum Apostolicarum, hasque falso publicantes, vel supplicationes falso signantes nomine R. P. . . . . Pag. 51
10. Absolventes complicem in peccato turpi. . . . . » 54
11. Usurpantes, sequestrantes bona, jura, reditus ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum pertinentes (ibiq. de Parochis intrusis). . . . . » 58
12. Invadentes, destruentes, detinentes, usurpantes loca, vel supremam jurisdictionem ad Ecclesiam Romanam in eis pertinentem, et ad singula auxilium, consilium, favorem praebentes. . . . . » 67
13. Concedentes et transferentes Ecclesias Cathedrales vacantes, remoto Vicario Capitulari, in nominatos et praesentatos a saeculari potestate ante exhibitionem literarum Apostolicarum; eosdem nominatos et praesentatos; eos qui paruerint, vel auxilium, consilium favorem praestiterint. . . . . » 138
14. Nomen dantes sectae catholicae pro vindicatione jurium populi christiani in electione R. P., eam promoventes, eique faventes vel adhaerentes . . . . . » 141

Sectio II.

Excommunicationes R. P. simpliciter reservatae contra

1. Docentes vel defendentes 1° propositiones ab Ap. Sede damnatas sub excom. l. s., aut 2° praxim (tamquam licitam) inquirendi a poenitentibus nomen complicis . . . . . » 70
2. Percutientes Clericos, vel utriusque sexus monachos . . . . . » 73
3. Duellum perpetrantes, complices. acceptantes, ad illud provocantes, operam aut favorem praebentes, illudque spectantes, permittentes, non prohibentes. . . . . » 76
4. Nomen dantes Sectae Massonicae, aliisve, iisdemque favorem praestantes. eorumque occultos corypheos ac duces non denunciantes. » 79
5. Violare jubentes aut violantes immunitatem asyli ecclesiastici. . » 81
6. Violantes Clausuram Monialium, eosque introducentes vel admittentes, et moniales ab illa exeuntes . . . . . » 82
7. Mulieres violantes clausuram virorum Regularium, easque admittentes . . . . . » 85
8. 9. 10. Reos simoniae, scilicet in beneficiis *realis* eorumque complices et *confidentialis:* ob ingressum in Religionem *realis* tantum . . » 86
11. Quaestum facientes ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus. » 91
12. Exercentes mercimonium quoad Missas. . . . . » 92
13. Agentes penes R. P. de alienatione, vel infeudatione Civitatum, Oppidorum, locorum, etc. ad S. Sedem pertinentium . . . . . » 94
14. Religiosos Extr. Unction. aut Viaticum laicis ministrare praesumentes absque Parochi licentia. . . . . » 95
15. Extrahentes absque venia reliquias ex Sacris Urbis ejusque territorii coemeteriis, vel Catacumbis, et auxilium vel favorem eis praebentes. » 97
16. 17. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa, sive in crimine criminoso impendendo auxilium vel favorem, sive in divinis. ipsum in officiis recipiende . . . . . » 98
18. Absolventes ab excomm. R. P. reservatis speciali modo. . . . . » 100

SECTIO III.

Excommunicationes locorum Ordinariis reservatae adversus

1. Clericos in Sacris, vel Regulares utriusque sexus solemniter professos, aliosque cum eis matrimonium contrahere praesumentes. Pag. 101
2. Procurantes abortum effectu sequuto. . . . . » 102
3. Utentes falsis literis Apostolicis et crimini cooperantes . . . . . » 103

SECTIO IV.

Excommunicationes nemini reservatae adversus

1. Cogentes tradere sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos . . . . . » 104
2. Laedentes, vel perterrefacientes Inquisitores, denunciantes, testes, aut ministros S. Officii, hujusque scripta diripientes, vel comburentes, et praedictis auxilium, consilium, favorem praestantes . . . . . » 106
3. Alienantes, et acquirentes bona Ecclesiae contra formam Extr. *Ambitiosae*. . . . . » 107
4. Negligentes denunciare infra mensem Sacerdotes a quibus fuerint sollicitati . . . . . » 114
5. Omnes alios quos Tridentinum excommunicationi subjecit. . . . » 118
6. Missionarios etc. exercentes mercaturam in Indiis Orientalibus . » 140

Art. II. Suspensiones.

Generalia de suspensionibus. . . . . » 119

Suspensiones reservatae adversus

1. Capitula, et Monasteria recipientia novos Episcopos, aut Praelatos antequam exhibuerint suae promotionis literas Apostolicas. » . » 120
2. 3. 4. Ordinantes Clericos (praeterquam solemniter professos) absque titulo cum pacto ut ordinatus non petat alimenta, aut subditum alienum, vel suum absque necessariis dimissorialibus, vel testimonialibus, licentiis, etc. . . . . » 121-125-129
5. Religiosos ejectos extra Religionem degentes . . . . . » 128
6. Ordinatos ab excommunicato, vel interdicto vel suspenso nominatim denunciatis, vel ab haeretico, aut schismatico notorio. . . . . » ibi
7. Clericos exteros ultra quatuor menses commorantes in Urbe, nec non suburbicarios recipientes ordines contra Edicta Card. Urbis Vicarii. . . . . » 129
8. Reos mercimonii quoad missos. . . . . » 94 n. 17
9. Omnes alios a Tridentino suspensos . . . . . » 137

Art. III. Interdicta.

Generalia de Interdictis . . . . . » 132

Interdicta reservata contra

1. Universitates, Collegia, et Capitula a R. P. ad futurum Concilium appellantia . . . . . » 134

2. Celebrantes, vel celebrare facientes in locis interdictis, et admittentes nominatim excommunicatos ad Sacramenta, vel sepulturam ecclesiasticam. . . . . Pag. 135
3. Quos Tridentinum interdictos decrevit . . . . . » 137

Art. IV. Excommunicationes, Suspensiones, Interdicta.

1. Circa electionem R.ni Pontificis . . . . . » 137, 141
2. Pro interno regimine Ordinum etc. . . . . » 137

CAP. III.

De Censuris quae continentur in Const. *Ap. Sedis* absolvendis . . . . » 143
Art. 1. Generalia de absolutione a Censuris . . . . . » ibi
Art. 2. Quinam absolvere possint a censuris reservatis in C. *Ap. Sedis.* » 148

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICÆ SEDIS

QUA CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ LIMITANTUR

COMMENTARII

EDITI JUSSU ILLMI AC REVMI

FR. ÆGIDII MAURI O. P.

EPISCOPI REATINI

AD USUM

SACERDOTUM SUÆ DIŒCESIS

INTERAMNÆ
EX TYPIS JOAN. PACELLI TOMASSINI
MDCCCLXXIII.

Proprietas Literaria.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

1. « Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae
« salubriter veterum canonum auctoritate con-
« stituta sunt, sic retinere, ut, si temporum re-
« rumque mutatio quidpiam esse temperandum
« prudenti dispensatione suadeat, EADEM APO-
« STOLICA SEDES congruum supremae suae pote-
« statis remedium ac providentiam impendat.
« Quamobrem cum animo Nostro jampridem re-
« volveremus, ecclesiasticas censuras, quae per
« modum latae sententiae, ipsoque facto incur-
« rendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius
« Ecclesiae tutandam, effraenemque improbo-
« rum licentiam coercendam et emendandam
« sancte per singulas aetates indictae ac pro-
2. « mulgatae sunt, magnum ad numerum sen-
« sim excrevisse; quasdam etiam, temporibus
« moribusque mutatis, a fine atque causis, ob

« quas impositae fuerant, vel a pristina utili-
« tate, atque opportunitate excidisse; eamque
« ob rem non infrequentes oriri sive in iis, qui-
« bus animarum cura commissa est, sive in
« ipsis fidelibus *dubietates, anxietates, angores-*
« *que conscientiae;* Nos ejusmodi incommodis
« occurrere volentes, plenam earumdem recen-
« sionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut
« diligenti adhibita consideratione, statueremus,
« quasnam ex illis servare ac retinere oporte-
« ret, quas vero moderari, aut abrogare con-
« gruceret. Ea igitur recensione peracta, ac
« Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Car-
« dinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inqui-
« sitoribus per universam Christianam Rempu-
« blicam deputatis in consilium adscitis, reque
« diu ac mature perpensa, motu proprio, certa
« scientia, matura deliberatione Nostra, deque
« Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac
« perpetuo valitura Constitutione decernimus,
3. « ut ex quibuscumque censuris sive excommu-
« nicationis, sive suspensionis, sive interdicti,
« quae per modum latae sententiae ipsoque
« facto incurrendae hactenus impositae sunt,
« *nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione*
« *inserimus, eoque modo, quo inserimus,* robur
« exinde habeant; simul declarantes, easdem non
« modo *ex veterum canonum auctoritate,* quate-
« nus cum hac Nostra Constitutione conveniunt,
« verum etiam *ex hac ipsa Constitutione Nostra,*
« *non secus ac si primum editae ab ea fuerint,*
« *vim suam prorsus accipere debere.* »

CAPUT PRIMUM.

Praenotanda.

4. Facturus, jussu Ejus cui non parere nefas est, interpretationem Const. *Apostolicae Sedis*, qua sapientissimo consilio ac prope divino ecclesiasticae censurae latae sententiae limitantur, prius de ipsis Censuris, et de ratione hujus Constit. interpretandae nonnulla paucis animadvertere existimavi; nec illotis, ut Caji verbis utar (1), manibus protinus materiam interpretationis tractare. Sane haec libentius ad lectionem propositae materiae perducunt, et cum ibi venerimus, evidentiorem praestant intellectum.

ARTICULUS PRIMUS.

GENERALIA DE CENSURIS.

5. Censura est — *Poena spiritualis et medicinalis privans usu aliquorum spiritualium bonorum per ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eamdem ordinarie tolli possit* (1). Est autem vel *sententiae ferendae*, vel *latae sententiae*. Ferendae sententiae ea dicitur, quae irrogatur officio judicis; latae quae, delicto admisso, sine judice, illico reum tenet.

6. Uti patet ex definitione, censura est poena medicinalis; proinde ad eam incurrendam qua *poena* delictum, qua *medicina* est contumacia requiritur.

---

(1) L. I. D. De Orig. Jur.
(1) Suar. De Censur. Disp. I. Sect. I. n. 5.

Et primo delictum. Delictum proprie est — *Externa legis poenalis violatio dolo malo facta.* — Ideo ex actu interno et externo necessario consistit. Quoad actum internum necesse est, ut quis delinquat sciens volens (2), non casu, non culpa civili (3): quoad externum delictum consummatum exigitur (4); nisi aliud in lege fuerit expressum (5). Hac re non sufficit ad incurrendam censuram actus internus, si externus desit (6), veluti si quis haeresim suam animo et cogitatione premat (7); nec externus si desit internus (8), utputa si aliquem fidei articulum neget ore tenus (9); nec uterque nisi effectus sequutus fuerit (10), puta si manus in clericum levaverit, et is ictum declinaverit, vel se defenderit (11). Ex hoc capite quotics res est de his actibus, qui, nisi validi sint, infecti sunt (velut administratio Sacramentorum, contractus, etc.), poena non tenet illos facientes si actus non valet; ut ecce si Sacerdos baptizet in vino, vel (si lex, quae poenis in hujusmodi actum animadvertit, illum irritum esse jubeat) si qua alia ratione irritus foret (12), veluti si Sacerdos ducat infidelem, vel consan-

---

(2) Ex L. 3. § 1. D. De Injur. C. 2. De Constit.

(3) Ex C. 23. *De Reg. Jur. in 6.°* De casu expedita res est; culpa civilis in casum recidit (*Lugo De Justit. VIII. 107.*).

(4) L. 1. § *Haec autem* D. *Quod quisq. jur.* C. 4. § 1. De Cler. non resid. *Communissima.*

(5) Ut in C. 1. *De Homic. in 6.°* L. 16. D. *De Poen.*

(6) Cit. L. 2. § 1. *Quod quisq. jur. S. Alph. Theol. Moral.* Lib. VII. n. 34.

(7) Suar. *de Fide* 21. 2. 4.

(8) Ex C. 54 De S. E. (*Sentent. Excommun.*).

(9) Salmatic. Theol. Moral. Tract. X. Cap. I. n. 13.

(10) Ex L. 1. § 1. D. *Quod quisq. jur.* C. 4. § 1. *De Cler. non resid.* Ut ecce si indigno suffragium tulerit, et ille non fuerit electus (*C. 7. De Elect. in 6.°*); si quem letaliter vulneraverit, et is deinde incendio, naufragio, vel quo alio ictu, maturius perierit (L. 15 D. *Ad L. Aquil.*); vel ex miraculo convaluerit (*Suar. De Censur. 4. 3. 4.*). Nec obstat L. 14. D. *Ad L. Corn. De Sicar.* (*V. De Simoni — Delitti di mero affetto — Par. I. Cap. II. § 6.*).

(11) *Suar.* l. c. 22. 1. 23. *Salm.* X. 1. 144.

(12) Ex L. 6. D. *Ad L. Corn. de Fals.* Salmat. IX. III. 73. Quia quod nullum est, nullum parit effectum (C. 52. De Reg. Jur. in 6.°).

guineam (13). Sed neque effectum sequutum fuisse nocet si actio non fuerit mala in ipso opere externo (14): et graviter mala (15); graviter, inquam materialiter, et per se, non formaliter et per accidens tantum (16).

7. Deinde censura non incurritur sine contumacia (17). Contumacia hoc loco est *Contemptus censurae* (18). Ideo 1.° censura non contrahitur ob delictum, quod sub nulla censura vetitum est; nec potest irrogari in delictum hujusmodi (19), nisi habeat *tractum*, uti ajunt, *successivum* (20). 2.° Ignorantia excusat a censuris; *non* enim *contemnit qui ignorat* (21); adeoque nedum facti, jurisve, sed et censurae (22). Scilicet voluntaria (nam involuntaria excusat a culpa); et ea, quae dicitur *vincibilis* simpliciter, excusat semper, adeoque etsi gravi non vacet (23): *crassa* et *supina* si censura lata sit in eos, qui *temere aliquid faciunt*, vel in eos, qui *facere praesumunt* (24); demum *affectata* si

---

(13) Suar. 11. 3. 14. Sanch. Matr. VIII. 48. 10.

(14) Suar. *De Fide* 21. 2. 12. Veluti si quis haeresim suam proferat quasi librum legens, vel audita referens, vel in somno (Croix Lib. VI. Par. II. n. 1650.).

(15) Lugo *De Poenit.* Disp. XX. n. 5. Croix VII. 51. S. Alph. VII. 273: puta si quis Clericum, quem confossurus telo petiit, forte scarificat (S. Alph. VII. 34.).

(16) *Ex L. Qui injuria 55. pr. De Furt.* Croix n. 51. Quamobrem si excommunicatio lata esset in fures, eam non incurreret qui surriperet acum sarcitori grave exinde damnum passo (Mazzot. *De Cens.* Disp. I. Q. I. Cap. I. § 3.).

(17) C. 11. *De Constit.* CC. 3. 9. 13. De S. E. in 6.°

(18) Laym. *De Cens.* V. 4. S. Alph. VII. 43.

(19) Pirhin. V. 39. 32. Schmalz. V. 39. 67. S. Alph. VII. 54. tametsi gravissimum sit (Suar. 2. 12. 3.): ut blasphemia.

(20) Ex C. 23. De *Verb. Sign.* C. 5. De S. E. ut furtum, detractio, damnum injuria datum etc.

(21) L. *Si ignorans* 52. D. *De Locat.*

(22) S. Alph. I. 174. Est et alia ratio; quia Censura est poena extraordinaria (S. Alph. VI. 1074. - VII. 351.).

(23) Sanch. *Matrim. IX. 32. 31.* Pala: Avil. Dian. Henriquez. etc. ap. Salm. X. I. 196. Nam si vacet gravi, censura cessat ex alio capite (V. § 6.). Et ideo haec sententia vel ipsi Suaresio (De Virt. Fid. 24. 1. 13.), qui contrariam tuetur, probabilis visa est.

(24) Navarr. *Man. XXVII. 74.* Suar. *De Censur.* 4. 10. 2. Laym.

censura in eos lata sit, qui aliquid faciunt *consulto-scienter*; quae plurium sententia est (25). 3.° Si quis post delictum admissum, ante effectum sequutum recedat a contumacia, idest si ipsum delicti poenituit, si studuit effectum impedire, effugit censuram, quae probabilis, propter auctoritatem S. Alphonsi, sententia est (26).

8. Praeterea a poenis ecclesiasticis, et maxime a censuris excusat metus, nempe gravis et injustus; quamvis non excuset a culpa, forte quia delictum quod perpetratur jure quoque naturali vetitum est: veluti si quis Clericum occidat jussus, alias ipse occidendus (27); ratio est, quia censura cohaeret legi a qua sancita ea fuit, idest humanae (28); cujus nulla regulariter est obligatio cum incommodo gravi.

9. At vero et delictum, et contumacia ex ejus legis, quae sub censura aliquid vetat, transgressione consistunt; ideo necesse praeterea est, ut quis hujusmodi legem reipsa violaverit, et non tantum opinione sua (29): quamobrem si falso putet

---

De Censur. V. 8: *praesumere* enim dolum importat (Bonac. *De Censur* Disp. 1. Q. 2. P. 3. n. 4. - Sanchez. *De Matr. II. 40. 4.*).

(25) Sanch. *De Praecept. Dec.* Lib. 2. Cap. 10. n. 38. - Bonac. l. c. P. 1. n. 11. - Salm. X. I. 199.: ibique Diana, Roncag. etc. Porro affectata ignorantia ejus dicitur, qui eo consilio scire negligit, ne ab agendo prohibeatur. Contraria sententia est communior, sed nostra *reapse improbabilis dici nequit*, ait S. Alph. H. A. Tr. XIX. n. 8. Et quidni sit vere probabilis, et fortassis verior? Nam ignorantia ex quacumque causa profluat (quae naturam ignorantiae non mutat) differt a scientia, et *reipsa*, quod planum est; et *moraliter*, ut ita dixerim; nam qui transgreditur legem sciens prudens legem aperte contemnit; qui causat ignorantiam, eam adhuc aliquatenus vereri videtur (Salm. cit. n. 199.). Ad haec excusat et inadvertentia, quae velut brevis ignorantia est; ut ecce si quis, dum Clericum percutit, non meminit excommunicationis (Suar. *De Cens.* 4. 8. 5. Salm. X. I. 189. 191. Croix VI. II. 1614.).

(26) Ex CC. 23. 31. *De Sponsal.* Salm. XI. I. 153. - S. Alph. VII 40. - Veluti si quis abortivum dederit puellae praegnanti, et incontinenti id doluit, vel antitodum praebuit.

(27) Ex CC. 15. 28. *De Sponsal.* - Suar. *De Cens.* 4. 13. 4. - S. Alph. VII. 46. 350. Et immerito ex recentioribus id negat Panzuti, et subdubitat Grassi. Nisi forte extorqueri velit in contemptum Religionis, vel Ecclesiae (Ex C. 5. *De his quae vi*).

(28) Ex C. 2. Dist. 82. Suar. *De Cens.* 4. 8. 20. - Laym. *De Cens.* V. 20. - S. Alph. VI. 1072.

(29) Ex L. *Falsus* 44. § *Si quis sponte*, D. *De Furt.*

se legem violare, v. c. Clericum caedere, dum caedit laicum, licet *quoad animi cogitationem nocens sit* (30), nihilominus excommunicationem non subit (31), non enim contra jus canonicum, sed contra conscientiam peccat. Demum, quia in odiosis versamur, in dubiis semper id quod reo est favorabilius tenendum est (32); seu dubium sit juris, quia lex dubia non obligat (33); seu facti, quia iniquum foret propter delictum incertum certa poena coerceri (34). Adeoque strictius semper interpretandum est (35): et numquam omnino censurae ad alias res, vel ad alias personas trahendae sunt, nisi alias absurdum aliquod sequeretur (36).

10. Restat ut videamus quinam sint obnoxii censuris a jure latis. Et infantes profecto eis obnoxii non sunt, cum sint expertes doli et peccati. Sed nec impuberes, idest mares ante 14, foeminae ante 12 annum expletum (37), nisi aliud in jure sit expressum (38). Sed nec Episcopi eas incurrunt, excepta excommunicatione, nisi lex eos nominatim comprehendat (39). Et quando in odiosis semper strictius interpretamur (§ 9.), latae in Clericos non tenent Regulares (40), latae in Regulares, seu Moniales, non tenent

---

(30) L. 22. § *Et si ei* D. *Ad L. Corn. De fals.*

(31) Suar. *De Cens.* Disp. 44. Sect. 3. n. 29.

(32) L. *Favorabiliores* 168. L. *In poenalibus* 198. § ult. D. *De Reg. Jur.* C. 49. Eod. tit. in 6.º

(33) Ex L. 11. *De Transact.*

(34) Ex CC. 1. 14. *Qui filii sint legit*: Scilicet *satius est impunitum relinqui facinus nocenti, quam innocentem damnari* (L. 5. D. *De Poen*).

(35) C. 15. De R. J. in 6.º - *Interpretatione legum poenae molliendae potius sunt quam exasperandae* (L. 42. D. De Poen.).

(36) Ex L. 1. § 4. D. *Ad S. C. Turpil.* Salm. XI. IV. 39. Dixi *nisi alias* etc. Ut in *contentis* (Suar. *De legib.* VI. IV. 2.). Quis enim dixerit, v. c. cogentem tradi *haereticum* ecclesiasticae sepulturae excommunicationem incurrere (§ 132); cogentem sepeliri *apostatam* in loco sacro eam effugere?

(37) L. 3. C. *Quand. tutor. vel curator.*

(38) Ex CC. 1. 60. De S. E. - Salm. X. I. 168. S. Alph. VII. 14. Ut in percussores Clericorum (C. 6. Eod.), et violantes clausuram Monialium Trid. XXV. Ref. 5.).

(39) C. 4. De S. E. in 6.º licet tantum electi et confirmati, necdum consecrati (Suar. 28. 2. 7. Salm. X. V. 46.).

(40) Salm. X. VI. 17. - S. Alph. VII. 331. Reiff. III. I. 12.: nempe

Religiosarum Congregationum viros seu mulieres, qui simplicia nuncupant vota. Hoc amplius; censurae latae adversus facientes non tenent mandantes: nec, ex adverso, latae adversus mandantes, facientes tenent (41); nec adversus utrosque latae, tenent qui eos recipiunt, vel eis auxilium, consilium, favorem praestant (42). Quod si et in hos latae sint procul dubio et hos tenent. Horum autem duplex genus constitui potest, nam vel in animum, vel in opus externum agunt.

11. Qui in animum, seu actum internum, agunt, sunt mandantes, et consulentes. Mandantem accipimus qui rogat *suo nomine*, vel jubet, aliquid fieri (43). Consilium dare intelligitur *qui persuadet et impellit* alium ad aliquid faciendum (44): *persuadet*, ideo non tenetur qui consilium praestat doctrinale uti vocant (45): *impellit*, proinde nec is tenetur qui id alii suadet quod huic jam certum erat admittere (46). In opus seu actum externum agunt defensores, receptatores, seu receptores; quique auxilium vel favorem praestant. Hi non differunt specie *sed ut magis, aut minus* (47); unum enim praestant omnes; *opem*. Porro defendere est protegere aliquem ut tuto et libere aliquid facere possit (48). Modus defensionis est aliquem recipere. *Recipere*, seu receptare est - *Refugium abscondendi causa*

---

non clericos (Suar. 28. 2. 9. Salm. X. V. 40. ibiq. Corn. Pal. etc.).

(41) Ex C. 6. § *Qui vero De homic.* C. 1. *De Poen. in 6.º* - Clem. 1. Eod. tit. Navar. Man. XXVII. 51. - Pirhin. *Ad Decret.* V. 39. 33. - Schmalz. To. V. P. IV. tit. 39. n. 33. Sanch. *Matrim.* III. 49. 2. S. Alph. VII. 371.

(42) Salm. X. I. 145. Heinc reg. *Poenae non excedunt proprium casum* (Suar. De Legib. VI. III. 5.).

(43) L. 12. § *Idem Marcellus* D. *Mand.* Salm. X. I. 158. Dixi rogat *ut suo nomine* etc.: nam alias magis *consilium* (§ 6. Eod.), vel *exhortatio* (L. *Ob haec* 20. D. *De his qui notant. inf.*) intelligitur.

(44) L. *In furti 51.* § *Consilium* D. *De Furt.*

(45) Ex L. *Consilii* 48. *De Reg. Jur.* C. 62. Eod. tit. in 6.º

(46) D. Tho. 2. 2. 67. 1. S. Alph. III. 401. Itaque tenear consilii si *persuaserim*, ut J. C. verbis utar, *alias nolenti* (L. *Non solum* II. § *Atilicinus* D. *De Injur.*).

(47) Suar. *De Fide* 24. 1. 4.

(48) Bonac. Tom. III. Disp. 1. Q. 21. P. II. n. 27.

praestare in suo vel in alieno loco (49), nec interest quis recipiat; privatus aliquisne, an magistratus, an Princeps (50). *Auxilium* praestare est – *opem ferre ad patrandum delictum* (51). Demum *favere* est quamvis operam alicui praestare, seu faciendo, ut puta commendationibus, pecunia, consilio; seu omittendo quod quis *ex officio* facere debuisset (52). At vero ad censuram incurrendam necesse est 1.° haec praestari ut alter delictum patrare, non ut delicti jam perpetrati poenam, nisi hoc habeat tractum successivum, evadere possit (53). Nec 2.° utcumque, sed *formaliter* (54). Scilicet necesse est, ut qui v. c. haereticum recipit, eum recipiat *quia* haereticus est; ideo non intelligitur haereticum receptare, si eum abscondit cum a militibus quaeritur ob aliud crimen, v. c., furtum, homicidium, quod nemo dubitat; sed nec cum quasi haereticus quaeritur, si ei effugium praestet quasi amico vel consanguineo, quod aut probabilius est, aut certe probabile (55). Illud non interest utrum is cui consilium, auxilium, etc. praestatur, sit in bona vel mala fide; primo quia is non minus legem transgreditur, et aliis nocet, quam si esset in mala fide, deinde quia bona hujus fides non excusat

(49) L. 1. § 3. D. *De Serv. Corrupt.*

(50) Sanch. *Dec.* II. X. 10. Reiff. Ad Decret. V. 3. 249. *Receptatores* vero accipimus etsi *semel* recipiant (Sanchez. l. cit. Suar. l. c.).

(51) Bonac. loc. cit.

(52) C. 3. Dist. 83. – C. 8. § 9. *De Haeret.* in 6.° – Sanch. l. cit. n. 11. Suar. l. cit. n. 6. Dicitur *facere debuisset*, quia non est omissio moralis, ait Suar. l. cit., *nisi de his*, quae facere *tenemur* – Dicitur *ex officio*, sive, ut ait Sanch. ib. *jure officii sui*, quia necessaria est obligatio, ut iterum Suar. ait, *quae aliquo modo sit justitiae.* Hac re quamvis in C. 47. De Sent. Exc. generaliter cautum sit, excommunicationi obnoxios et eos fore, qui Clerici *percussionem* impedire potuissent, obtinuit, hoc ad eos non pertinere, qui non ex justitia, sed caritate obligantur, licet *ex odio* non impedierint (S. Alph. VII. 269). Nunquam vero faventium appellatione veniunt hi qui consilium dant, illi enim in opus externum, hi in animum agunt (Reginald. IX. 263. Suar. De Censur. 21. 2. 17.).

(53) Suar. De Censur. 21. 2. 72.

(54) Suar. *De Cens.* 4. 3. 10.

(55) Sanch. *Dec.* II. 10. 5. Ibique Cajet. Sot. Navar. Salm. X. IV. 68. S. Alph. VII. 307. Ex L. 5. *De Recept.*

peccatum ejus qui ipsi consilium, auxilium, praestat sciens prudens.

12. At vero seu mandet quis, seu consulat, seu opem praestet, dubitari potest, an incurrat censuram, si haec frustra cesserint, nam censura regulariter non incurritur nisi effectus sequutus fuerit (§ 10). Et si haec facta coercentur ad impediendum delictum (ut consilium, mandatum) convenit non incurri, quippe quasi accessoria coercentur (56); at si post admissum quoque delictum praestari possunt (velut receptare, haereticum defendere etc.), non satis convenit: Sayrus putat ea coerceri quasi delicta *sui generis* adeoque censuram non effugere (57): contra Bonacina adhuc quasi accessoria coerceri putat, adeoque non esse censuris obnoxia (58). Sayrii sententiae adhaeret Suaresius; nihilominus is fatetur rem dubiam esse; nos igitur quod minimum est sequimur. Itaque si haereticum receptaveris, defenderis etc. ne caperetur, et ille nihilominus captus fuerit, excommunicationem latam in receptatores, vel defensores haereticorum non incurris (59). Amplius, si effectu nondum sequuto praestitae defensionis, auxilii, favoris poenitueris, si mandatum vel consilium revocaveris, licet revocatio innotescere nequiverit ei, cui mandatum, consilium dedisti, quia (ex multorum sententia) cessavit contumacia (§ 7 (26)) *censura* evanescit (60). Demum quamdiu moraliter tibi non constat effectum revera sequutum; et ope, consilio, mandato tuo sequutum fuissse, censura non incurritur (61).

13. Est autem triplex censura: excommunicatio, suspen-

---

(56) Ex L. *Qui servo* 36. § *Plus* D. *De Furt.* Sanch. l. cit. n. 9. in fi. Cajet. *V. Excomm.* Suar. *De Cens.* 21. 2. 16.

(57) Sayr. Thesaur. To. I. lib. 3. Cap. 5. n. 4. cui adhaeret Lugo De Fide Disp. XXV. 12.

(58) V. Bonac. To. 3. Disp. 1. Q. 21. P. 1. n. 28. et To. 1. D. 1 Q. 1. P. 3. n. 12.

(59) Sanch. l. cit. n. 9. Laym. *De Fide* Cap. XIV. in fi. Salm. X. IV. 69. 70.

(60) S. Alph. VII. 40. Salm. X. I. 148. etc. ubi late.

(61) Salm. l. cit. n. 147. in fi. Et probabile est S. Alph. l. cit. n. 39.

sio, et interdictum (62). Hoc cum primis inter eas distat, quod excommunicatio solius censurae vim habet; suspensio vero et interdictum nonnunquam irrogantur per modum solius poenae, vel privationis cujusdam (63). Per *modum poenae*, ut ecce cum non contumacia coercetur, sed *singulis* irrogantur pro delictis omnino praeteritis, idest quae nullum habent tractum, ut ajunt, successivum (64), vel in perpetuum constitutae sunt (65); vel in diem certum (66), vel quamdiu Ordinario videbitur (67). Per modum *privationis cujusdam* cum irrogantur in Collegium aliquod vel Universitatem (68). Inter censuras autem, et poenas, vel privationes hoc maxime distat, quod is, qui censuram violat ordinem exercendo, irregularitatem incurrit (69), at violatio poenae (70), vel privationis (71), neminem facit irregularem; nisi aliud in jure cautum sit nominatim (72).

(62) C. 20. *De Verb. Signif.*

(63) Suar. 3. 9. 12. Salm. X. I. 80. S. Alph. VII. 52. Schmalz. V 39. 30.

(64) Suar. 3. 9. 3. Ut in C. 33. § ult. *De testib.*

(65) Suar. 4. 5. 24.

(66) Suar. 21. 1. 3. Salm. X. 1. 6. cit. Quod si plures poenas hujusmodi, quae ipso facto contrahuntur, seorsim incurreris, utputa plures suspensiones ad mensem, ejus quam secundo contraxisti dies computatur, non elapso mense prioris, sed statim a delicto admisso (Suar. 29. 1. 2. Sanch. M. III. 50. 3.). Et si toto eo mense non permanseris in suspensione, sed per aliquot dies, v. c. sacrum feceris, nihilominus suspensio, elapso eo mense, finitur (Suar. n. 12.).

(67) Suar. 25. 1. 3. Scilicet, quoties contumacia coercetur, si, coercenda est, ut reus absolvi possit cum ab illa recesserit.

(68) C. 1. pr. *De Sent. et Re Judic. in 6.°*

(69) C. 1. *De Sent. et Re Judic. in 6.°*

(70) S. Alph. VII. 314. 317.

(71) Ex cit. C. 1. Bonac. Q. I. P. 10. n. 4. Et de hoc, ut videtur, nemo dubitat (V. Lugo De Just. XL. 38.).

(72) Ut in C. 1. *De Sent. et Re Judic. in 6.°*

ARTICULUS SECUNDUS.

GENERALIA DE CONST. « APOSTOLICÆ SEDIS. »

14. Cum in omni, quae alicujus legis suscipitur interpretatione, optimum sit explorare qua mente scita illa fuerit (1), juverit ante omnia animadvertere, Sapientissimum Pontificem censuras latae sententiae ad quam paucissimas redegisse, nedum quod ex eis quaedam exciderant a pristina utilitate et opportunitate, sed et propter earum *magnum numerum*, et *ad tollendas* sive a Confessariis, sive a poenitentibus *dubietates, anxietates, angoresque conscientiae*: adeoque Constitutionem hanc vere esse *beneficium Principis*, Confessariis et poenitentibus cum primis concessum. Ex quo sequitur eam latissime interpretandam esse (2), nec unquam in dispendium eorum, quorum favore lata fuit, retorquendam (3). Hoc primum.

15. Deinde censurarum, quae in hac Constitutione continentur, duplex velut genus, ut arbitror, constituendum est. Unum earum, quae ex veteri jure integrae prorsus ac intactae huc translatae sunt: ut ecce §§ 62. 101. 104. 127; alterum earum, quae nonnihil immutatae fuerunt; quibus nempe aut derogatum est, vel obrogatum, vel subrogatum. Et illae quidem metiri atque aestimari debent ex veterum *Canonum auctoritate* (§ 3.); atque ideo ex receptis jam penes Canonistas vel Moralistas interpretationibus.

15. De his iterum distinguendum est; nam cum veteri jure ex parte conveniunt, et ex parte discrepant. Qua conveniunt, hac quoque aestimari debent *ex jure antiquo;* perinde quasi C. *Ap. Sedis* lata non esset: quamobrem, si quid dubium vel ambiguum in eis occurrerit, a recepta

---

(1) L. 19. D. *Ad Exhib.*

(2) C. 16. De Verb. Signif. - L. 3. D. De Const. Princ.; quamvis derogatoria sit; nam et *motu proprio* concessa est, et favorem religionis spectat; quorum vel unum sufficit ut late interpretari possit (Suar. *De Legib.* VI. 17. 11. - VIII. 2. 27. 8. - Sanch. *De Matr.* VIII. 1. 56. - Laym. *De Legib.* XXIII. 5. Reiff. *Ad Decret.* I. 3. 138).

(3) L. *Nulla* 25. D. *De Legib.* C. 61. *De Reg. Jur. in 6.*

veterum Doctorum interpretatione discedendum non est; ut ecce quoad percussionem Clericorum quorsum valeant ea verba (§ 74.) *injicere manus violentas*: quoad clausuram Monialium (§ 97.), utrum liceat Monasterio excedere praeter causas recensitas in Const. *Decori* etc. Qua vero discrepant, ex hac Const. *omnem vim suam prorsus*, adeoque et interpretationem accipere debent; *non secus ac si primum ab ea editae fuerint* (cit. § 3.). Quocirca sedulo perpendenda sunt hujus Const. verba; nec aliter recedendum ab eis est, quam cum *manifestum est* aliud sensisse legislatorem (4). Quamobrem si quid durius aut mitius continetur in Const. nostra, *nec clementiae, nec severitatis gloria affectanda est* (5). Non *clementiae*, proinde cum hodie, v. c., coerceantur excommunicatione *procurantes abortum effectu sequuto* (§ 126), non licet amplius distinguere inter foetum animatum et inanimatum. Non *severitatis*; quamobrem cum nunc ex. gr. excommunicationem subeant soli *violentas manus injicientes in Clericos*, non puto excommunicatione, ut olim, teneri eum, qui percussionem suo nomine factam ratam habuit. At si non satis appareat utrum discrepent, an minus, meminisse oportet, posteriores leges ad priores regulariter pertinere (6).

17. Ad haec admonendi sumus C. *Ap. Sedis* abrogatum vel obrogatum fuisse juri antiquo quoad censuras tantum: quidquid aliud igitur in eo cautum est praeter censuras integrum permanet (7); seu poenae (8) seu nullitates actuum (9), seu privationes, vel inhabilitates (10). Nihilominus si ea

(4) L. *Non aliter* 67. pr. D. *De Legat.* 3.

(5) L. *Respiciendum* 11. D. *De Poen.*

(6) L. *Sed et* 27. D. *De Legib.*

(7) V. Suar. de Legib. lib. VII. Cap. XX. 18.

(8) Ut ecce poenae latae contra eos qui utuntur literis Apostolicis falsis aut falsificatis (C. 7. *De Crim. fals.*): Scilicet nisi mens legislatoris aliud suadeat.

(9) Utputa absolutio a censuris per metum extorta (C. Un. *De his quae vi in 6.°*).

(10) V. C. Ad obtinenda beneficia ecclesiastica, si quis resiguaverit beneficium in manu R. Pontificis reservata sibi pensione, et hanc redimat contra C. *In sublimi* §§ 3. 4. Bened. XIV.

quae veteri jure plectuntur his aliisve poenis, hac Const. nostra coercentur excommunicatione, tenendum puto cum Avanzinio (11) illas in hanc translatas et conversas fuisse; quia perdurum est, et a jure alienum ob idem crimen pluribus legibus et poenis reum fieri (12); maxime quod excommunicatio est poena in Ecclesia omnium gravissima. Sed in primis si quid vetitum praeceptumve fuerat sub censuris, obligat ut prius, licet censurae in hac Const. nostra detractae fuerint, ut puta prohibitio legendi, retinendique libros haeresim continentes (V. § 27); praeceptum servandi in Ecclesiis Regularium interdictum quod in Ecclesia ejus loci Cathedrali servatur (13).

18. Haec generaliter: nunc singulas, quae in Const. *Ap. Sedis* recensentur, censuras dispicere oportet. His accensendae sunt quas Concilium Tridentinum invexit: inferius enim ait Pontifex: Praeter hos, omnes quoque quos Sacrum Conc. Trid. *excommunicavit*, *vel suspensos*, *aut interdictos ipso jure esse decrevit, nos pariter ita excommunicationi*, *aut suspensioni*, *vel interdicto obnoxios esse volumus et declaramus*. Ex quibus verbis palam est, Pontificem eas solas censuras servasse integras, quas Tridentinum invexit, sanxit; non item quae ex veteri jure confirmavit vel innovavit (14); nisi forte, cum antea essent ferendae sententiae, Concilium eas fecit latae sententiae (15). Sed nec omnes censurae, quas Trid. Conc. tulit, hodie, vel ubique locorum vigent; nam excipiendae sunt quae mutatis temporibus obsoleverunt (16); et ea loca sunt excipienda ubi Trid. receptum non fuit (17).

---

(11) Pet. Avanzini *Comment. De Const. Ap. Sedis*, Romae 1872. V. § 34. (30) § 97. (30) § 121 (2).

(12) C. 4. § ult. *De Judic.* L. *Senatus* 14. D. *De Accusat.*

(13) Clement. I. *De Sent. Excomm.*

(14) V. Avanz. L. cit p. 155. *Confirmavit* v. c. Sess. XXIV, De Ref. CC. 1. 3. in fi. - *Innovavit* ut puta Sess. XIV. *De Reg.* C. 6. Sess. XXII. *De Ref.* Cap. I.

(15) Utputa Sess. XXII. *De Ref. C.* 11.

(16) Nempe Sess. XXV. *De Ref, Reg.* Cap. 4., et Sess. XXIV. *De Ref. Matr.* Cap. 9. - Non aliae.

(17) Bonac. To. 3. Disp. 2. Q. 2. P. 14. n. 5.

CAPUT SECUNDUM.

De singulis Constitutioni APOST. SEDIS excommunicationibus, suspensionibus, et interdictis.

ARTICULUS PRIMUS.

EXCOMMUNICATIONES.

Praenotanda.

19. Excommunicatio est — *Censura quae removet excommunicatum vel a communione fidelium vel a participatione Sacramentorum* — Inde in majorem et minorem diducitur. At vero quoties excommunicatio simpliciter dicitur, major intelligitur (1). Haec definitur — *Censura qua quis separatur a communione fidelium.* — Communionem accipimus sive in divinis, sive in humanis. Et *in divinis* quidem tum externam, tum internam. Etenim inde excommunicatus arcetur Sacramentis, divinis officiis, et sepultura Ecclesiastica: hinc vero expers est bonorum, quae cuique fidelium contingunt ex Sacrificio Missae, ex publicis Ecclesiae precibus, ex indulgentiis. — *In humanis* — ex hoc capite arcetur foro, negociis et omni consortio fidelium.

(1) C. 59. h. t. (hujus tituli, idest *De Sent. Excomm.*).

20. Itaque excommunicatus prohibetur omni communione fidelium, et ex diverso fideles ab omni excommunicati communione prohibentur. Sed ille semper, hi si ille fuerit vitandus, non item si toleratus. Porro olim omnes erant vitandi: nunc vitandus is solum accipitur, qui excommunicatus fuit *nominatim*; idest per sententiam in ipsum expresso nomine latam, et a *judice publicatam et denunciatam specialiter et expresse* (2). Quocirca is, qui excommunicatione irretitus est, abstinere debet a Sacramentis et divinis officiis (3), et expers est fructus Sacrificii Missae, indulgentiarum etc., seu vitandus sit seu toleratus. At fideles, quamdiu ipse toleratus est, perinde eum habent quasi nulla censura irretitus esset: sed postquam vitandus esse coeperit, communione ejus, maxime in divinis, prohibentur. Idcirco nequeunt sub gravi ei conferre Sacramenta, excepta Poenitentia in articulo mortis (4); adesse cum eo divinis officiis (5); eique vita functo dare Ecclesiasticam sepulturam, atque ideo justa ei persolvere, nequeunt Missam pro eo celebrare, publice orare, et indulgentias applicare, seu adhuc vivat, seu vita decesserit.

Excommunicationum latae sententiae hodie quadruplex genus est; nam vel 1.° reservatae sunt R. P. speciali modo, vel 2.° simpliciter, vel 3.° locorum Ordinariis, vel 4.° nulli prorsus reservationi sunt obnoxiae. Singulas ingrediamur.

---

(2) Martin. V. B. *Ad evitanda scandala.*

(3) C. 59. *De Cons.* D. 1. Verum haec prohibitio quoad *divina Officia* obsoleta prorsus videtur.

(4) Ex C. 11 *De Poenit.* Et probabiliter etiam Viatico, non item Extr. Unct., nisi aliud Sacramentum recipere nequiverit (S. Alph. VI. 88. - VII. 170.).

(5) CC. 18. 29. De S. E. Quamobrem, si dum haec celebrantur, vitandus supervenerit eis *adfuturus*, aut extrudendus est, aut cessandum. (C. 16. et Clem. 2. De S. E.). Tantum si Missa celebratur, et Sacerdos Canonem fuerit ingressus, persequi debebit usque ad Consummationem, cetera in Sacristia, vel quo alio loco decenti absoluturus (Suar. 12. 1. 15.); omnibus interim recedentibus; qui, si remanserint, levi non carent (V. S. Alph. VII. 176. 177.).

SECTIO PRIMA.

Excommunicationes latae sententiae speciali modo P. R. reservatae.

« Itaque excommunicationi latae sententiae, speciali modo R. P. « reservatae, subjacere declaramus. »

I.

21. « Omnes a christiana fide apostatas et omnes ac singulos « haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae « existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac ge- « neraliter quoslibet illorum defensores (1). »

22. Apostasia stricta significatione heic est — *A fide christiana recessio* (2). — Apostata vero qui a fide christiana descivit. Crimen apostasiae in *recessione* consistit, ideo nihil interest utrum apostata ad Judaismum abierit, an ad Paganismum, vel utrum in Deismum, vel Atheismum, vel Indifferentismum (uti Liberi cogitantes) etc. prolapsus fuerit.

23. Haeresis est — *Error voluntarius Christiani contra aliquam veritatem fidei Catholicae* (2 bis). Itaque haeresis in infideli non intelligitur. Christianus vero ut haereticus dici possit necesse est 1.° ut erret: 2.° ut in fide erret: 3.° ut erret sciens volens.

Ut erret. Error judicio continetur; quid igitur si dubitet? Et siquidem judicio positivo (3), ut ecce si dicat — *forte de Virgine natus est Christus* (4), haereticus est;

---

(1) B. C. (Bulla Coenae) § 1.

(2) V. D. Th. 2. 2. Quaest. 12. Art. 1. Dixi *a fide* simpliciter; utrum vero necesse sit a tota fide desciscere, an minus, ut apostasia dici possit, TT. viderint.

(2 bis.) V. D. Tho. 2. 2. 11. 1. Suar. *De Virt. Theol.* Disp. 19. Sect. 1. et 5.

(3) V. Lug. *De Virt. Fid.* Disp. XX. num. 17. Dubium positivum heic dicitur, cum mens nostra intra duos contradictionis terminos constituta, propter contraria rationum momenta, *non scit* utrum negare, utrum affirmare debeat; negativum si in praesens *non vult* quidquam affirmare aut negare: illo igitur judicium inest, hoc secus.

(4) S. Aug. *De Trinit.* Cap. 5. Atque hic pertinet vulgatum illud -

nam vere judicat non esse certa, quae Deus revelavit: si negativo non item; veluti si R. P. infallibilem esse, neque affirmet (cogitatione sua), neque neget, quia nihil judicat (5).

Ut erret in his quae ad fidem pertinent. Porro veritates illae dumtaxat ad fidem pertinent, quae verbo Dei seu scripto, seu tradito continentur: hae vero de fide, quoad nos, non antea sunt quam Ecclesia eas nobis credendas proposuerit. Quare haereticus non foret, qui negaret Eum quem R. P. dypticis Sanctorum recensuit, Sanctum revera esse (6); vel Animas purgantium igne torqueri (7). Amplius, nec is qui negat conclusionem theologicam haereticus est; sive praemissae, ex quibus deducta est, altera ratione, altera fide constet, quod planum; sive utraque fide, quod verius est: veluti si neget, ut vulgari exemplo scholarum utar, Christum esse risivum (8), vel praeditum fuisse libero arbitrio (9). Ceterum si quis falso putet aliquid de fide esse, idque non credat, *vere* est haereticus, quippe vere Dei revelantis, et Ecclesiae docentis auctoritatem respuit (9 bis.).

Dubius in fide infidelis est (C. 1. De Haeret.). Hoc dubio laborant qui adeunt Concionatorem haereticum, crediturí si persuaserit (Suar. De Fide 94. 1. 3.): quique ajunt se paratos esse credere quod ab Ecclesia definitum est, v. c, R. P. infallibilem esse, si demonstratum rationibus fuerit (Vasq. 1. 2. 76. 3. Disc. 126. Cap. 3. 9.).

(5) Can. *De Loc.* XII. 9. Vasq. 1. 2. 10. 6. Disp. 65. S. Alph. VII. 302.

(6) V. Ben. XIV. *De Canonis. SS.*

(7) V. Conc. Flor. *Sess. Ult.*

(8) Cajet. Suar. D. 3. 2. 3. quamvis eam negare absurdum videatur: v. c. si aliquis neget, Sanctos cum Christo Regnantes (quos de fide est utiliter invocari, Trid. Sess. XXV. De Invoc. SS.), audire hominum preces. Et hoc planum est quia conclusio sequitur semper partem debiliorem.

(9) V. Suar. *De Fide* Disp. 7. Sect. 4. Scilicet id ostendimus sic ratiocinando — Omnis homo praeditus est libero arbitrio. Christus est homo: Ergo etc. (Gotti l. cit. Dub. IV. § III. n. 27.). Atqui, sicut is quid id tenet non elicit actum fidei (quippe id credit quia sibi evidens est), ita per contrarium non resistit fidei qui hoc negat (*Lugo de Fid.* I. 278. etc.). Dixi ex quibus *deducta est*: nam si conclusio continetur in praemissis, quasi pars in toto, ipsam revelatam per se, atque ideo de fide esse patam est: v. c. Christum *pro me* mortuum esse.

(9 bis.) Reginald. IX. 237.

Demum ut sciens erret; et hoc est quod TT. *pertinaciam* voluntatis appellant. Itaque si errat ex ignorantia, etsi affectata, haereticus non est; nam deest pertinacia, et magis facit contra fidei praeceptum, quam contra fidem (10).

24. Verum, ut quis poenis haereticorum, atque excommunicationi fiat obnoxius, necesse praeterea est, ut haeresim suam prodat exterius, utque eam prodat actu manifesto, humano, et malo (§ 6). Ideo excommunicatio eum non tenet, si revolvens animo SS. Eucharistiae Sacramentum, exclamaverit — *Credo sub speciebus non esse* (11): si haeresim suam prodiderit in somno, vel ebrius, vel consilii capiendi causa (12). Illud non interest, si *verbis* eam prodidit, utrum aliquis audierit loquentem, an nemo, forte quia nemo praesens erat, si praesens exaudire potuisset (13); nec, si eam prodidit *facto*, quo facto eam prodiderit, ut ecce, si abdita cordium scire, vel futuras hominum liberas actiones (quae soli Deo patent) divinare conatus fuerit per Tabulas semet moventes, vel *Mediums*, vel *Crisiacos* (*Magnetizatos*) quos vocant.

25. Nec solum apostatae vel haeretici excommunicationem incurrunt, sed et eorum credentes, sive explicite, sive implicite eis credant (14), quique idcirco haeretici sunt et ipsi (15): et defensores, sive doctrinas, sive personas defendant; nempe qua haereticae, vel haeretici sunt: et receptores et fautores, licet is, quem defendunt, receptant etc. sit occultus, vel haereticus materialiter tantum (§ 11), nullaque proinde excommunicatione irretitus (16).

---

(10) Suar. 19. 3. 18. Lugo XX. 174.

(11) Reiff. V. 7. 246.

(12) Laym. *De Fid.* XIV. 2. 3. Sanch. *Dec.* II. 8. nn. 20. 24.

(13) Ex C. Ben. XIV. *Pastor bonus* § 9. Sanch. *Dec.* II. 6. 8. S. Alph. VII. 34.

(14) Suar. *De Fid.* 24. 1. 1. Reiff. V. 3. 248.

(15) C. 15. § 2. *De Haeret.* Canones autem eos recensent omnis dubitationis tollendae causa (Laym. *De Fid.* XIV. 5. Sanch. *Dec.* II. 10. 2. Lugo *De Fid.* XXV. 3. Reiff. l. cit.

(16) Lugo l. cit. n. 2.

II.

26. « Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis « Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum hae- « resim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Aposto- « licas Literas nominatim prohibitos, eosdem libros retinentes, im- « primentes, et quomodolibet defendentes (1). »

27. Pravis libris nos prohibemur jure tum naturali, tum Ecclesiastico (2): nempe jure naturali propter periculum, jure Ecclesiastico propter praesumptionem periculi, ideo illo omnibus libris prohibemur ex quibus legenti periculum imminet, etsi nemo eos proscripserit; hoc his tantum, quos Ecclesia proscripsit, etsi nullum omnino legenti immineat periculum, quod velim animadverti (3). Heic de prohibitione jure Ecclesiastico introducta. Hoc igitur jus prohibet praeter *omnes* libros Haeresiarcarum in odium auctoris (4) 1.° libros haereticorum qui *de Religione tractant ex professo* (5): 2.° *libros, vel cujusvis auctoris scripta damnata ob haeresim, vel ob suspicionem falsi*

---

(1) B. C. § 1. Alex. VII. B. *Speculatores.*

(2) Immo et Civili, nempe antiquo Gentilium jure (L. 4. § 1. D. *Famil. ercisc.*); nunc alia itur ad astra!

(3) Croix VII. 375. S. Alph. VII. 291.

(4) C. *Sancta* §. *Ceterum* Dist. 15. Ad Conc. Trid. Reg. 2. S. Alph. VII. 288. Nihilominus veterum haeresiarcarum libri, ut puta Origenis, Tertulliani, hodie legere non prohibemur, quippe ex uno capite obsoletos errores, ex altero multa utilia continent et scitu necessaria (Lugo *De Fide* XXI. 29.). Ceterum libros accipimus etiam librorum versiones quocumque idiomate factas (Ex Decr, Clem. VIII. et S. U. Inq. 4. Mart. 1628.).

(5) Ind. Trid. Reg. 2. Haereticos vero accipimus sine ulla distinctione (Suar. *De Fid.* 20. 2. 11.); adeoque sive *ex secta*, ut ecce Lutheranos, Calvinistas; sive *ex doctrina*, eos nempe qui ejusmodi contra fidem errores docent, ut nulla praesumi possit ignorantia probabilis (Ex Sanch. *Dec.* II. 10. 24.). Verum non omnes libri haereticorum prohibentur, sed qui vel haeresim continent, vel tractant *de Religione*, idest de his quae ad Religionem pertinent quoquo modo, ut puta de rebus moralibus, Canonicis, Liturgicis, de Historia Ecclesiastica etc. (Laym. *De Fid.* XV. 3. Croix VII. 331.): et *ex professo* tractant, idest non obiter, sed ex instituto (S. Alph. VII. 283.).

dogmatis (6), demum 3.° *libros et scripta Geomanliae, Hydromantiae, Aeromantiae* etc. *sive in quibus continentur sortilegia; veneficia, auguria* etc. (7), et *libros qui res lascivas ex professo tractant, narrant, aut docent* (8), Ex his vero, libri, quos 2.° et 3.° loco recensui, non prohibentur nisi in *Indicem* relati fuerint (9).

28. Libro prohibito, nefas est illum legere, retinere, defendere, imprimere. Legere est oculis perspicere, et intelligere quae sunt scripta (10): proinde nec is peccat (nempe contra legem Ecclesiae) qui legentem audit (11); nec qui legit ipse, si ignorat linguam qua scriptus est liber (12); et si eam calleat non peccat graviter si parum quid legerit, idest paginam; nisi in doctrinam erroneam inciderit (13). At vero, libro prohibito, non ea solum pars quae causam prohibitioni praebuit, sed totus liber prohibetur legi, et praeterea quaecumque pars libri esse intelligitur; ut epistola dedicatoria, prologus, index (14). Nihilominus cessat prohibitio si eam partem, quae prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris, ut amplius legi nequeat; dumne liber proscriptus fuerit quia tractat de Religione ex professo, vel in odium auctoris (15).

29. Retinere heic intelligimus seu proprietatem libri seu possessionem, adeoque sive suum penes alium, sive

---

(6) Ind. Trid. Reg. 10. in fi.

(7) Ibid. Reg. 9.

(8) Ibid. Reg. 7.

(9) S. Alph. VII. 288. 289. Gury II. 982.

(10) L. 1. D. *De his quae in test. delent*: ibiq. Glos. v. *intelligi.*

(11) Sanch. n. 48.; quamvis jussu suo legat (Lugo *De Fid.* XXI. 75. V. S. Alph. *Ho. Apost.* XIX. 52.).

(12) Suar. *De Fid.* 20. 2. 18.

(13) S. Alph. VII. 284.

(14) Suar. n. 9. Sanch. nn. 30. 35. Lugo n. 60. Quid si opus in plures tomos sit distributum; num omnes sint prohibiti, si error uno eorum dumtaxat contineatur? Negat Sanch., affirmat Suar. - Lugo n. 57., si operis argumentum divisionem recipit, ut historia, cum Sancio, sin minus cum Suar. sentit.

(15) S. Alph. VII. 283. H. A. (*Homo Apostolic.*) XIX. 57.

alienum penes se (16). Nec caret letali eo quod forte ipse legere nescit, et cavet ne ad aliorum manus perveniat (17). Itaque tradendus est Inquisitoribus, aut Ordinario (18); vel comburendus (19). Ceterum si tibi certum sit eum tradere, vacas letali si distuleris biduum aut triduum (20), vel ulterius; forte dum expectas tradendi opportunitatem, vel petitam legendi veniam; dumne haec diu expectanda sit (21).

30. Defendere librum accipimus sive *codicem* ne intereat, ut ecce si prohibeas tradi igni, vel Ordinario (22), sive doctrinam, damnatam scilicet (23).

31. Demum imprimere est typis edere. Hic autem pertinent quotquot *ad impressionem proxime cooperantur* (24): adeoque 1.° qui huic rei quamcumque operam praestant, ut ecce qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt etc.: 2.° qui eorum operas velut conducit idest typographus, eoque magis editor, qui utrorumque operas conducere intelligitur; et auctor libri, si hujus *cura* editur liber. Non item corrector, nec qui chartam aut typos vendunt, nec qui editionis impensas faciunt, quippe remotam operam praestant (25).

---

(16) Suar. n. 21. Sanch. n. 52.

(17) Suar. ibid. Croix VII. 349.

(18) Ind. Trid. Reg. 10. Vel saltem ei cui licet illum retinere; sed huic ea lege, ne repetas quoad legendi licentiam obtinueris (S. Alph. VII. 298.).

(19) Salm. X. IV. 74.: nec sufficit librum in folia discerpere obvolvendis medicinis, salsamentis etc. (Sanch. n. 53. Croix 349.).

(20) Sanch. n. 56. Laym. De Fid. XV. 7. Et si id nolueras primum, sed postea, mutata voluntate, tradideris, vacas censura; etsi gravi non vaces (Croix n. 348.).

(21) Sanch. n. 55. S. Alph. 295.

(22) S. Alph. VII. 285.; seu vi adhibita eripias, seu fraude, mendaciis etc. (Suar. 20. 2. 25.).

(23) Suar. l. cit. Quomodolibet, ideo seu scriptis, seu verbis; seu palam, seu clam, vel etiam disputandi causa: immo et si laudaverit eruditionem, elegantiam etc., si laus in libri approbationem redundet (Lugo XX. 94.).

(24) Sanch. n. 57.

(25) Suar. *De Fid.* 21. 24. Sanch. l. cit. Bonac. Lugo *De Fid*, XXI. 90. Dices: typographi et editores non imprimunt, sed *imprimi faciunt*;

32. At vero librorum appellatione hodie vulgo hi tantum continentur qui typis eduntur, et aliquo volumine constant. Quare, ex primo, non immerito quidam negant manuscripta prohibitione contineri (26), nisi aliud in lege cautum sit nominatim (V. § 28. nn. 2. et 3.). Ex altero vero recepta sententia est librorum significatione haud venire scripta typis quidem edita, sed molis adeo exiguae ut magis quo alio nomine, velut *elegiae, epistolae, orationis*, quam librorum, nuncupari soleant (27); adeoque nec ephemerides (28).

---

atqui cum lex coercere et hos voluit, eos nominatim recensuit (§ 137.). Resp. vulgari et receptissima significatione, hi quoque dicuntur imprimere (stampare): quod autem Const. nostra cit. § 137. utrosque distinguat, ideo factum puto, quia ipsis Trid. verbis mentionem eorum facere voluit.

(26) Croix VII. 285. Azor. Spor. Sylv. Viva, Rodriq. Barbos. etc.

(27) Sanch. *Dec.* II. 10. 29. Laym. Bonac. Lugo XXI. 33. S. Alph. Lib. I. App. III. Cap. IV. § 7. - Ad haec vetitum est legere aut retinere versiones SS. Scripturarum *vulgari* idiomate, exceptis his, quae fuerint ab Ap. Sede approbatae; aut editis cum notis desumptis ex SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris (S. U. I. 7. Januar. 1836.). Olim vetiti quoque erant libri editi sine auctoris nomine ex Reg. 10. Ind. Trid.; sed haec prohibitio obsolevit.

(28) Bouvier. De I. Praec., Dec. Cap. I. Art. I. Cap. IV. Gury Comp. Theol. Mor. II. 981. - Romae 1862. - Aliud putant Sapientissimi Scriptores *Periodici* cui titulus - *La Civiltà Cattolica* - (Ser. VIII. Vol. VI. pag. 648.), ea cum primis ratione ducti, quod *ephemerides* in eo a *libris* distant, quia illae ex singulis plagulis, seu foliis in dies singulos, hi ex pluribus compactis plagulis identidem editis, in libros coalescunt: ratio brevis et urgens. Utcumque illud, prorsus indubitatum est, ephemerides, quarum lectio periculosa est seu fidei seu moribus, ipso naturali jure vetitas esse sub gravi. Quod post literas SS. D. N. Pii Papae IX. datas Emo Card. Urbis Vicario sub die 30. Jul. 1871 certo certius est Quaestio igitur haec tantum potest esse 1.° Quaenam ephemerides contineant pericula hujusmodi; 2.° Quinam eas legendo hujusmodi periculis committant sese. Et quoad primum indubitanter dixerim esse eos omnes qui conscribuntur ab his qui se liberales esse venditant. Nonne omnes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum ejus? Quinam est qui non loquatur grandia, et putet quod possit mutare tempora et leges? Si vel unum inveneris qui nullum prorsus ex damnatis in Syllabo propositionibus non abjecerit, hunc legere fas esto. Quare non ab his tantum abstinendum est, qui ponunt in Coelo os suum et palam loquuntur perversa ut abducant discipulos post se, sed in primis ab his (quippe sunt

33. Adhuc de peccato: excommunicationem non omnes incurrunt, sed qui *scienter legunt* etc. libros 1.° alicujus *apostatae* seu *haeretici* qui haeresim *propugnet*. Haereticum accipimus sive ex secta, sive ex doctrina (29): propugnare vero est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet qui legit librum apostatae vel haeretici, si haeresim non propugnet, etsi eam contineat, immo et defendat, sed obiter, paucis et quasi aliud agens. 2.° Aut librum prohibitum per Literas Apostolicas (nec refert a quo sit scriptus quidve contineat), dummodo prohibitus sit *nominatim*, idest expresso operis titulo (30). Quisquis igitur sive illos, sive hos libros legit, aut retinet, aut defendit, aut imprimit (31) incurrit excommunicationem. Nihilominus eum

---

periculosiores) qui semoderatos jactantes, sagittant in obscuro rectos corde; quorum doctrina ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber; et quasi regulus venena diffundet.

Quoad alterum duo meminisse oportet; pravos libros nunquam non infecisse viros doctos etiam et pios (V. S. Alph. Lib. I App. III. De Prohib. Libror); et neminem suae virtuti confidere posse. Itaque dixerim, juvenes (cereos in vitium flecti) ab hac lectione omnino prohibendos esse; sive laicos, sive Clericos: item aetate provectos, quibus non est circa pectus virtutis robur et os triplex, quique non pollent scientia Sanctorum. Qui autem se tales esse existimant, hi, si stare velint, inconsulto Confessario, *quia* de se quemque extimare aleae plenissimum opus est, haec, me auctore, non legant. Interim videant Patresfamilias, Magistri, heri, institutores, etc. qui filios, discipulos, famulos, etc. hisce lectionibus non prohibent, quas, apud districtissimum judicem rationes aliquando sint reddituri!

(29) Ait enim Pontifex - *eorumdem* - idest quos num. sup. (§ 27.) recensuerat.

(30) Literae Apostolicae nuncupantur quae prodeunt sub Romani Pontificis nomine, sive in forma Brevis, sive in forma Bullae, vel Encyclicae, vel quavis alia.

Si qui autem damnati sint per Literas Apost. ante C. *Ap. Sedis*, sine ulla excommunicatione, vel cum excommunicatione non reservata, qui hodie eos legit nullam excommunicationem incurrit, quia Const. nostra (*beneficium principis*) in priori casu excommunicationem non invehit, in posteriori, non recensendo inter non reservatas, eam sustulit. Et si prohibiti fuerant sub qua alia v. c., suspensionis, censura, haec quoque cessat (V. Avanzini. pag. 73.).

(31) Dixi *aut*, licet in Const. nostra legatur *et*, primum quia contra-

excusat ignorantia sive prohibitionis, sive censurae (32), et nedum crassa et supina, quod nemo dubitat (33), sed et affectata (34), etsi letali non careat.

III.

34. « Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore « existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt (1). »

35. Schisma est — *Ab unitate Ecclesiae Catholicae separatio* (2). Unitas Ecclesiae duobus continetur; connexione *membrorum* inter se, et cum R. P. tamquam *Capite* ejus visibili (3). Quocirca haec separatio potest esse vel a solo corpore Ecclesiae, ut ecce vacua Sede; vel a solo Capite, utputa si Episcopi generale Concilium congregare, vel dimissum prosequi audeant; vel ab utroque (4). Excommunicationi est obnoxia ista et haec tantum, non illa quia rarior est.

36. Principio igitur excommunicationem incurrunt qui et a corpore et a capite Ecclesiae secedunt; et qui a capite tantum, idest qui a R. P. obedientia se subtrahunt. *Pontificis*; exinde hic non pertinent qui temporale dominium ejus detrectant (5): *obedientia*; adeoque nec hi, qui renuunt obtemperare propter rem praeceptam, v. c. in jejuniis, observantia festorum etc.: sed hi tantum qui spirituale imperium et auctoritatem R. P. abjiciunt: Pontificis, inquam, *pro tempore existentis*; ideo non excusatur qui,

---

rium vix credibile est; deinde quia conjunctio nonnumquam pro disjunctione accipitur in jure (L. 29. D. Te *Verb. Sign.*).

(32) Suar. *De Fid.* XX. 2. 17.

(33) S. Alph. VII. 47. 296.

(34) Sanch. *Dec.* II. 10. 38. Duard. Bonac. To. III. Disp. I. Q. 2. P. 4. n. 9. Pala. Tract. IV. Disp. 2. P. 10. § 2. Lugo *De Fid.* XXI. 103. Croix. VII. 345.

(1) C. 5. Dist. 19. C. 43. Cau. 2. 3. 5. B. C. § 1.

(2) Reiff. V. 8. 2.

(3) D. Tho. 2. 2. 39. 1.

(4) Lugo *De Fid.* XXV. 35.

(5) Pirhin. V. 13. 3. Reiff. V. 13. 5.

a praesenti desciscens, futuro obtemperaturum se pollicetur (6). Nec eis proderit si forte exterius tantum ita se gerant, animo vero aliud teneant, quia schisma in facto consistit (7). Illud necesse est ut quis recedat *pertinaciter*, idest (prout haereticus a fide) sciens volens; quamobrem si renuat subesse Pontifici quia non legitimum putat, excommunicatio eum non tenet (8).

Porro heic agitur de schismate, uti vocant, *puro*, cui nempe nulla haeresis admixta est (quod vix amplius datur); nam si schismaticus teneat aliquid fidei contrarium v. c. R. Pontificem non esse caput Ecclesiae, ut Rutheni; vel esse quidem, sed ei competere primatum honoris tantum, ceu Jansenistae, haereticus foret (9), ac proinde duplici excommunicatione irretitus.

IV.

37. « Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu con-« ditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pon-« tificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium « appellantes; nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore ap-« pellatum fuerit (1). »

38. Appellare est — Ab inferiore judice ad superiorem provocare (2). Quamobrem appellatio a R. P. insignis injuria est (3). Haec injuria appellatione ipsa fit; adeoque iis verbis *ab ordinationibus* etc. omne prorsus decretorum, praeceptorum, admonitionum genus (4), licet injustorum (5)

(6) Lugo n. 37.
(7) Suar. Sanch. *Dec.* II. 36. 14. Lugo n. 38.
(8) Sanch. n. 3.
(9) Conc. Vatic. Sess. IV.
(1) B. C. § 2.
(2) L. 14. C. *De Appell.*
(3) C. 4. *De Elect.*
(4) Bonac. To. III. D. 1. Q. 3. P. 2. n. 3. - Nempe circa res spirituales (Reginal. IX. 263. n. 3.).
(5) Suar. 21. 2. 15. Et si quis appellaverit a Decretis, quae R. P. ex Cathedra protulit in his, quae ad fidem vel mores pertinent, hodie haereticum se prodit, et duplici excommunicatione irretitur.

significatur. Sed ad incurrendam censuram necesse est *ad Concilium futurum* appellare ; ideo si ad futurum R. P. appellatum fuerit (6) ; vel ad Concilium praesens, censurae locus non fit. Verum censura incurritur statim ac appellatio interposita fuit, alia nunquam incurreretur. Haec censura autem est excommunicatio, vel interdictum — Excommunicatio si appellaverint singuli : qua et appellantes tenentur, et praeterea *quotquot* eis consilium, auxilium vel favorem, scilicet ante appellationem, praebent, vel appellatione in ipsa ; non si post eam interpositam, forte quoad alios actus (7). Interdictum si appellaverint personae morales : sed de hoc serius.

V.

39. « Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, « carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardi- « nales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostoli- « cae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, « Terris seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata « habentes, seu praestantes in eis auxilium, vel favorem (1). »

40. Hac censura puniuntur injuriae in corpus, libertatem, dignitatem Procerum Ecclesiae. In corpus, nempe *interficiendo*, *mutilando*, *percutiendo*. Interficere est hominem necare quoque modo, utputa veneno, fame etc. ; mutilare est membrum abscindere (2) ; percutere accipimus omnem injuriam quae manu fit (3).

In libertatem, scilicet *capiendo*, *carcerando*, *detinendo*. Capere est comprehendere (4). Carcerare est detrudere vel continere quovis loco, privato quoque (5). Detinere

---

(6) Bonac. l. cit. n. 5.
(7) Suar. 21. 2. 16.
(1) S. Pius V. C. *Infelicis*. B. C. § 11.
(2) Zach. *QQ. Med. Leg.* V. 3.
(3) L. 5. § 2. D. *De Injur.*
(4) Ex L. 36. pr. D. *De Fid. Libert.*
(5) Ex L. Un. C. *De Carc. priv.*

est quovis loco inclusum custodire ne excedere possit (6).

In dignitatem: nimirum hostiliter *insequendo*, vel *ejiciendo*. Hostiliter insequi est persequi nocendi animo (7); proinde hanc excommunicationem non incurrunt qui eos insequuntur perterre faciendi, vel diripiendi causa. Ejicere est antea receptum expellere (8), adeoque ea non tenentur qui non recipiunt. *A suis Terris*, vel Dominiis: terras Interpretes accipiunt et eas ubi domicilium fovent, vel nati sunt (9). Nec distinguitur qua auctoritate eos ejecerint, publica ne, an privata; quove modo, utrum nempe vi adhibita, an minis, an nudo praecepto (10).

41. Porro hoc loco excommunicantur nedum qui percutiunt, mutilant etc., quippe eis auxilium, favorem praestant, sed et ii qui *ratum habent*. Verum ut hi excommunicationem incurrant necesse est 1.° ut percussio, mutilatio etc. facta fuerit suo nomine, quia *non potest ratum quis habere quod non suo nomine gestum est* (11): 2,° ut quo tempore haec perpetrata fuerunt ipsi ea admittere, atque ideo mandare potuissent (12), nam ratihabitio retrotrahitur et mandato aequiparatur (13).

VI.

42. « Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisditionis « ecclesiasticae, sive interni, sive externi fori, et ad hoc recur- « rentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, « aut auxilium, consilium vel favorem praestantes (1). »

43. Hac excommunicatione, et duabus seqq. libertati Ecclesiasticae provisum est. Heic igitur coercetur injuria

---

(6) Ex L. 1. D. *De Cust. Reor.*
(7) Navar. *Cons.* 31. n. 4.
(8) Bonac. D. 1. Q. 12. P. 1. n. 7.
(9) Suar. 21. 2. 70.
(10) Bonac. l. cit. n. 19.
(11) C. 23. *De Sent. Excom. in 6.°*
(12) Schmalz. *Ad Decret.* Lib. V. Tit. 39. n. 224.
(13) C. 10. De *Reg. Jur. in 6.°* Tolet. Lib. I. Cap. 31. nn. 6. 7. Suar. 21. 2. 71.
(1) Ex C. 3. De Imm. Eccl. in 6.° B. C. § 16.

quae fit Ecclesiae impediendo exercitium potestatis suae *jurisdictionis*. Jurisdictionis, inquam, non item Ordinis. Verum quid sit in jure Canonico jurisdictio, eamque a potestate Ordinis secernere, haud facile est (2). Ut generaliter dixerim, illa ad animarum cum primis sanctificationem, haec ad regendam cum primis fidelium societatem pertinet: illius igitur est benedicere, et consecrare; hujus regere, et gubernare. Quocirca ad potestatem Ordinis pertinet sacra obire, Sacramenta ministrare, personas et res benedicere, consecrare etc. Ad potestatem jurisdictionis, edere leges, mandata; legare, solvere, conferre beneficia, munia Ecclesiastica decernere, praedicatores mittere, visitare Dioecesim, et ea quae sunt Ordinis aliis peragenda committere. Praeter haec sunt et alia quae magis officii, vel juris esse dixerim, ut ecce docere, praedicare, bona acquirere, alienare; uno verbo contractus inire. Itaque hac excommunicatione tuetur potestas jurisdictionis ecclesiasticae sive externi, sive interni fori, et in primis ea qua utitur S. Poenitentiaria (3); seu ordinariae, seu delegatae (4).

44 Actio autem quae excommunicatione coercetur est, impedire hujus jurisdictionis *exercitium*. Verum ut quis videatur impedire *exercitium* jurisdictionis necesse est ut obsistat ei penes quem est jurisdictio v. c. Ordinario, Parocho, Judici: utque ei obsistat, ne ille jurisdictione uti incipiat, vel uti pergat. Quocirca excommunicationem non contrahit ex 1.° qui prohibet *actori* adire judicem Ecclesiasticum, vel cogit adire judicem Laicum (5), nec ex 2.° qui Clericum vexat postquam is jurisdictione sua functus est; v. c. eo quod aliquem excommunicavit (6). Sed admonendi

---

(2) Berard. *Comm. in Jus Eccl.* Dissert. Proem. C. 1.

(3) Jul. II. C. *Rationi congruit.*

(4) C. 3. De Imm. Ecc. in 6.°

(5) Contra cit. C. 3. Aliud, ut puto, juris esset si, causa introducta coram Judice Ecclesiastico, cogeret reum ad Judicem Laicum eam avocare, si exinde Judex Ecclesiasticus jurisdictionem suam amplius exercere nequiret (Ex B. C. § 14.).

(6) Contra C. 11. De S. E. in 6.° Eoque minus excommunicationem contrahit qui cogit ipsum jurisdictione sua uti; v. c. Sejum excommunicare vel excommunicatum absolvere (Contra C. Unic. *De Iis quae vi in* 6.°

sumus, executionem cujusvis sententiae, vel decreti ad jurisdictionem ejus pertinere a quo sententia, vel decretum latum fuit (7), quippe *postremum in jurisdictione est* (8); adeoque excommunicationem non effugere eum qui impedit exequutionem hujusmodi, maxime si id faciat appellando, vel alias quomodocumque recurrendo ad potestatem Laicam, uti dicitur *per abusum* (9).

45. Itaque hanc excommunicationem incurrunt qui Clericos jurisdictione sua uti prohibent; seu facto (*impedientes*), seu jure (*edentes mandata etc.*), seu per se, seu per alios (*recurrentes*).

Et primo *impedientes* facto aliquo, ut ecce vi, minis, imperio (10). Directe nempe si obstet *ipsimet* jurisdictionem exercere volenti, et in *ea re* obstet quam is facere intendit; puta si minetur necem Episcopo si beneficium contulerit Osio: *indirecte*, si ei obstet in *alia re* vel in alia *persona*; utputa si ei necem minetur praetextu injuriae sibi illatae; si prohibeat scribas, apparitores, praecones,

---

(7) L. *Si Praetor.* 75. D. *De Judic.*

(8) L. 1. D. *Si quis jus dicen.*

(9) Ex. cit. B. C. § 16. Pius IX. *Syllab.* § 41. Appellatio, seu recursus per abusum (ut obiter sciamus) est provocatio ad *potestatem Laicam adversus* acta gestave a potestate Ecclesiastica eo pretextu, quod haec potestate sua abusa fuerit; *jusque* ea revocandi. Ortum habuit ex celebri *Pragmatica Sanctione* edita post Conciliabulum Basilcense, auctore Carolo VII. Rege Francorum. Monstrum hoc diris jamdiu devotum a Xisto IV. et Leone X., ac prope sepultum, excitatum fuit anno 1802 a Napoleone I, tunc Galliarum Consule, post initum cum S. Sede Concordatum, Organicis illis articulis quos graeca fide, suo marte, Concordato subtexuit. Insigne hujus Appellationis exemplum prodidit in Gallia anno 1865. Administer Napoleonis III. (qui pridem fortissimam Moscovitarum gentem bello superaverat) adversus S. R. E. Cardinalem Mathieu Arch. Vesontiorum, quod SSmi D. N. Pii Papae IX. *Syllabum* injussu sui Imperatoris publicare ausus fuerat! Quod hisce diebus imitatus est Administer Neoimperatoris Germanici (qui dudum potentissimum Galliarum Imperatorem profligavit) adversus Episcopum Varmiensem qui, se inconsulto, nescio quos Schismaticos atque haereticos Sacerdotes Ecclesiae communione removit. *Oh utinam aliquando saperent et intelligerent, ac novissima providerent* (Deuter. 32. 29.)!

(10) Alter. Filiucc. XVI. 278. Impedire enim is dicitur qui facit ut alius *invitus cesset ab opere* (Salm. X. IV. 95.). Si quis igitur consiliis prece, fallacis utitur, is magis suadere, impetrare, decipere intelligitur.

lictores Curiae Ecclesiasticae addictos ea obire, quae sui muneris sunt.

46. Dein *edentes mandata.* Edere heic significat condere ut in C. 53. De S. E., decernere ut in B. C. § 16. ferre, etc. (11); adeoque excommunicationem non incurrunt actuarii qui ea exscribunt, praecones qui ea denuntiant etc. primo quia hi parere necesse habent, quamvis lubenti animo faciant (nam animus actionem non mutat); deinde quia quando lex voluit hos quoque excommunicatione teneri, id expressit (12). Nec omnes qui edunt mandata hujusmodi contrahunt hanc excommunicationem, si quid opinor, sed si in foro jurisdictionem habent.

47. *Demum recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes. Recurrere* est alterius opem contra aliquem vel aliquid implorare (13). *Forum* vero heic est exercendorum judiciorum et quaestionum locus; ideo eorum patrocinium implorandum est, qui in foro jurisdictionem exercent. Quocirca excommunicationem non subit, qui ad eum recurrit, cui nulla in foro jurisdictio decreta est; utputa ad Praefectum Urbis; vel decreta est, si ad eum recurrat extra suum territorium, quippe extra illud privatus homo est (14). Et *ad hoc* recurrendum est, idest ad impediendum exercitium, sive, ut in B. C. *ad eludendum judicium fori Ecclesiastici.* Proinde si qua alia causa recurrat, v. c. quia Judex Ecclesiasticus improbe differt, vel quia merito suspectus est, vel quia propter injuriam temporum ei non paretur impune, excommunicatio cessat (15).

48. Itaque impedientes, mandata edentes, et recurrentes, omnes excommunicationem incurrunt; et praeterea quotquot sive illis, sive istis, sive his praestant *auxilium, consilium, vel favorem.* Ut ecce qui procurant mandata impedire volentibus. Incurrunt, inquam, postquam impe-

---

(11) Bonac. To. III. D. 1. Q. 17. P. 1. n. 34.
(12) Ut C. 49. *De S. E.*
(13) Ex L. 6. C. *De appellat.*
(14) L. 3. D. *De Off. Praesid.*
(15) Duard. ad B. C. XVI. 1. Ugolin. Alter. Bonac. l. cit. n. 4.

dimentum, mandatum, recursus effectum habuerint (16); nec utcumque, si quid judico, sed vi mandati editi ab eo penes quem est fori jurisdictio. Itaque effectu nondum sequuto, impedientes, mandata edentes, recurrentes excommunicationem non contrahunt (17); adeoque eo minus eam contrahunt consilium, auxilium, vel favorem praebentes (18).

VII.

49. « Cogentes sive directe sive indirecte judices laicos ad « trahendum ad suum tribunal personas Ecclesiasticas praeter ca- « nonicas dispositiones: item edentes leges, vel decreta contra li- « bertatem aut jura Ecclesiae. »

50. Hic articulus in duas partes diducitur, prima personis Ecclesiasticis; altera Ecclesiae libertati, et juribus cavet.

Personis. Olim excommunicationi erant obnoxii judices qui trahebant Ecclesiasticos ad suum tribunal (1); contra hodie qui cogunt judices. Haec censura ex *coactione* contrahitur; ideo non attingit eos *qui subordinati sunt*, ut irenarchae, apparitores, *judices*, *sed eos tantum qui a nomine coacti vel talia agunt*, *vel alios ad agendum cogunt* (2). Cogere autem oportet judices laicos. Porro judicem accipere debemus eum qui pro tribunali jus dicere solet; ergo si quos alios Magistratus coegeris, excommunicatio cessat: *laicum* vero (judicem) accipimus ex officio, proindeque et Clericum, qui potestate laica judicium exercet (3). Deinde necesse est ut eum cogat trahere *personas Ecclesiasticas*, idest quae fori privilegio gaudent: utque demum ad *suum tribunal* trahere cogat. Quocirca non irretitur censura, qui cogit judicem, ut aliquem non in jus trahat, sed coram se trahat; v. c. ut ei praecipiat aliquid,

---

(16) Duard. Alter. Bonac. l. cit. n. 21.
(17) Navar. Cons. 20 Filiuc. XVI. 284.
(18) Bonac. l. cit. n. 39.
(1) Martin. V. C. *Ad reprimendum* B. C. § 15.
(2) S. U. I. *Instruct. 1. Febr. 1871.*
(3) Filiuc. XVI. 10.

admoneat, corripiat: immo nec is, qui cogit in jus trahere Clericum, sed quasi peritum, testem etc. At qui cogit eum trahere in jus quasi reum, contrahit excommunicationem, sive *contra*, sive *praeter* canonicas sanctiones (idest non servatis conditionibus quibus trahi permittitur), trahere eum fecerit; sive ex causa poenali ob crimen etiam gravissimum (4); sive ex causa civili etiam unius teruncii (5); *sive directe* judicem coegerit, *sive indirecte*; ut puta metu incusso carissimis suis, vel per alium.

51. Altera hujus articuli parte animadvertitur in edentes *leges* vel *decreta* contra *libertatem*, et *jura* Ecclesiae, nempe Universalis (6). Leges sunt quae a Suprema Potestate in perpetuum constituuntur (6 bis.); decreta quae a quavis potestate, utputa a Praefecto Urbi (7), a Municipiis (8) etc. feruntur *generaliter*, non quae feruntur in singulas personas, vel singulos casus (9); adeoque nec judicum sententiae (10). *Contra libertatem* etc.: haec verba patent latissime, et omne prorsus feriunt legum, vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis Ecclesiasticae

---

(4) Bonac. To. III. D. I. Q. 16. Sect. 1. P. 5. n. 5. Nam privilegium personae cohaeret.

(5) Ex C. 17. *De Judic.* Scilicet injuria in trahendo est.

Haec censura cessat his locis, ubi privilegium fori sinente, vel silente S. S. *abrogatum* est; nam prorsus incredibile est, Pontificem sapientissimum amplissimam atque implexissimam controversiarum et molestiarum segetem repente, et vix uno verbo suscitare voluisse. Nec audiendi sunt qui docent, immunitatem Ecclesiasticam divini juris esse, cui abrogari non potest; non enim de immunitate agimus, sed de censuris, quae jure procul dubio Canonico sancitae sunt.

(6) Suar. 21. 2. 90. Regin. IX. 358. Cajet. V. *Excomm.* C. 31.

(6 bis.) Ex § 11. Inst. *De Jur. Nat. etc.*

(7) Ex L. 6. D. *De Excus. Tut.*

(8) L. 36. D. Ad Municip.

(9) Ugolin. ap. Bonac. l. cit. Sect. 2. P. 1. n. 2. contra Alter. Filiuc. etc. Ducor. 1.° ex C. 49. De S. E. unde haec censura primum prodiit; tum ex B. C. § 15. quae de hujusmodi decretis cavet. 2.° ex hac ipsa Const. nostra, quae ea quae in singulos feruntur, num. super. *mandata* denominat.

(10) Contra Bonac. qui l. cit. et has contineri putat appellatione *decreti* (Ex L. 48. D. *De Re Judic.*). Sed non bene (V. Brisson. V. *Sententia* Wessemb. *ad Pandect.* 42. 1. 4. et cit. L. 48.).

sive jurisdictionis, sive Ordinis, sed quodvis aliud jus intercipitur, restringitur, perturbatur; ut ecce jus docendi (11), promovendi ad ordines (12), publicas supplicationes extra templa, vel noctu obeundi; Ecclesias, beneficia, Pia Sodalitia excitandi, beneficia conferendi, sine ullo interventu Potestatis laicae (13). Immo et jura quae Ecclesiae non uti Ecclesiae, sed uti societati competunt, ut puta jus acquirendi actibus seu ultimae voluntatis, seu inter vivos (14); alienandi, elocandi bona sua ultra novennium etc., quippe sine his societas, atque ideo Ecclesia, brevi interiret (15). *Hanc* excommunicationem contrahunt edentes hujusmodi leges vel decreta, auctoritate Laica; sive Laici, sive Clerici (16); et si suffragio v. c. populi, Senatus, etc. rogata fuerint, quotquot ei suffragati sunt (17). Et statim ac fuerint promulgata contrahitur (18). Non item praecones qui eas evulgant, proponunt, nec qui faciunt ea observari (19), vel eis utuntur quoque modo; ut ecce tabelliones, qui juxta ea conficiunt acta, litigatores qui se his tuentur, Magistratus qui ex eis jus dicunt (20).

VIII.

52. « Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas literas « vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut « Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel « executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa « sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes (1). »

53. *Literae Apostolicae* quea sint dixi § 33. *Acta*

---

(11) Pius IX. *Syllab.* §§ 22. 33. 45. 47.
(12) Ibid. § 32.
(13) Ibid. §§ 22. 29.
(14) Ibid. §§ 26. 27.
(15) Ex C. 5. *De immun. in 6.°* Cajet. V. *Excomm.* C. 31. n. 5. Regin. IX. 358.
(16) Bonac. Q. 16. Sect. 2. P. 3. n. 1.
(17) Ex C. 49. De S. E. Regin. IX. 361.
(18) Bonac. l. cit. P. 1. n. 4. et planum est.
(19) Suar. 21. 2. 79.
(20) Contra C. 49. De S. E. et § 15 B. C.
(1) C. 4. *De Immun. Eccl. in 6.°* B. C. § 13.

Sedis Apostolicae appellantur, quae Romae geruntur a R. P. sive spirituale, sive temporale negocium contineant (2); vel de mandato ejus, utputa citationes, processus, monitoria (3). *Legati* sunt qui a R. P. ad Principes saeculares rei publicae causa mittuntur: *Delegati* quibus aliquod negocium gerendum committitur (4).

54. Haec excommunicatio lata est 1.° in recurrentes, 2.° prohibentes, 3.° laedentes vel perterrefacientes. *Recurrentes.* Ideo (§ 47.) eam non contrahit qui, ipse in jus vocatus, submovet literas etc. ope exceptionis ut puta, si citatus ad solvendam pensionem impositam sibi Literis Apostolicis, respondeat non fuisse jure impositam. Ad *Laicam potestatem*: potestas heic personas demonstrat, nec, ut puto, omnes quae quodvis munus publicum obeunt, ut ecce Quaestores, Magistros militum etc., sed eos tantum qui aliquam in cives jurisdictionem exercent, uti Judices, Presides, Praefecti Urbium etc. Amplius necesse est ad hos recurrere qua potestate hujusmodi praediti sunt, et non quasi ad potentiores, vel necessarios, vel amicos (5). Illud non interest quo modo quis recurrerit, utrum nempe appellando, an provocando, an supplici libello judici oblato.

55. *Prohibentes promulgationem*, eam nempe, si quid judico, quae magis in jure, quam in facto consistit; idest non evulgationem, sed publicationem forma et more consueto. Vel *executionem*, idest quaecumque sunt necessaria ut Literae Actave Apostolica effectum habeant; utque hi ad quos pertinent eis uti possint; e. g. si quis tabelliones prohibeat instrumenta super eis conficere, aut confecta partibus tradere, aut partes traditis uti (6). Quamobrem non sunt excommunicationi obnoxii qui Literas, Actave id

---

(2) Filiuc. XVI. 200.

(3) Bonac. Disp. 1. Q. 14. P. 1. n. 13.

(4) Reiff. I. 30. 5.: adeoque neque *Legati nati*, quos vocant, heic pertinent, neque Episcopi in his, quae obeunt ordinaria jurisdictione tamquam Delegati Sedis Apostolicae.

(5) Filiuc. l. cit. Sayr. III. 18. 9. Duard. in B. C. III. 9.

(6) Bonac. P. 2. n. 4.

genus impetrare vetant (7), vel impetratas ab aliis publicare, expedire, tradere, exequi, vel eis parere recusant; licet recusent eo quod nondum Principis vel Magistratus examen, beneplacitum, consensus accesserit (8). Quaestionis est, utrum necesse sit publicationem, vel executionem prohibere auctoritate publica, ut sit excommunicationi locus: negant Ugolin., Duard., Navar., Bonac.; affirmant Sayr., Graff., Filiucc., (9), quos sequor, nam Pontifex de ea prohibitione videtur loqui quae profluit ex recursu ad potestatem laicam.

56. Demum *laedentes* vel *perterrefacientes*. *Laedere* hic stricta significatione, ut alias, accipiendum est. Stricta autem significatione laedi corpus dicitur (10). *Perterrefacere* est plus quam metum facere, adeoque nedum gravi metu opus est, sed oppido gravi. *Sive ipsas partes*, idest eos ad quos pertinent Literae vel Acta Apostolica. *Sive alios*: non quosvis profecto, sed vel eos ad quos pertinet publicatio vel executio Literarum Apostolicarum, utputa *procuratores, agentes, notarios, executores, subexecutores* (11); vel eos quos laedendo, terrendo, quis partes ipsas, agentes, notarios etc. laedere, terrere intelligitur; ut puta eorum parentes, conjuges, liberos (12).

57. Hi autem omnes excommunicationem incurrunt sive Laici sint, sive Clerici (13): et licet tantum ad tempus recurrant, vel impediant; v. c. quoad alter obtinuerit *Regium Placitum*, vel quoad restituerit ablatum injuste (14). Nec excusantur quia recurrunt, impediunt etc. non ex contemptu Apostolicae Sedis, sed quia putant nocitura sibi Acta vel Literas hujusmodi; inest enim contemptus reipsa:

---

(7) Contra B. C. § 13. in fin.
(8) Regin. IX. 324.
(9) V. Bonac. cit. P. 2. n. 10. Regin. n. 328.
(10) Brisson. Vocab. Jur. V. *Laedi*.
(11) Ex B. C. cit. § 13.
(12) Ex L. 8. § ult. D. *Quod met. caus.*
(13) Bonac. l. cit. P. 2. n. 26. Filiuc. XVI. 199.
(14) Duard. Q. IX. 10. Regin. IX. 322. Nec enim ideo cessat injuria in Sedem Apostolicam.

nec si ea obreptitia esse dicant; primum quia hoc dispicere pertinet ad Judicem Ecclesiasticum, deinde quia secus latissima cavillationibus et fallaciis sterneretur via (15). Verum tunc demum excommunicatio eos tenet, cum prohibitio, recursus, laesio effectum habuerint (16).

IX.

58. « Omnes falsarios literarum Apostolicarum, etiam in forma « Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, « per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, seu Ge- « rentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis « signatarum: nec non falso publicantes Literas Apostolicas, etiam « in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujus- « modi sub nomine Romani Pontificis seu Vice-Cancellarii aut Ge- « rentis vices praedictorum (1). »

59. Hac excommunicatione coercetur crimen falsi. Quod est — *Veritatis immutatio vel suppressio in fraudem alterius facta* (2). Uti igitur aliquis in crimen falsi, atque ideo in censuram incidat, necesse est 1.° ut veritatem immutaverit vel suppresserit: 2.° ut dolo malo: 3.° ut hoc alteri graviter nocere (3), atque ideo ut falsitas ea sit quae alterum decipere (4) queat. Si unum ex his desit, poena falsi locum non habet (5). Qui falsum admittit dicitur *falsarius*,

---

(15) Bonac. P. 2. nn. 19. 20. Nisi forte constet revera esse obreptitia, et Judex Ecclesiasticus adiri nequeat, et sit in mora periculum (Tolet. V. *Excommunicatio n. 9.* Sayr. III. 17. 5.). Aliud juris est si quis credat ea falsa esse: nam si falsae sunt excusatur reipsa (§ 9.); sin minus bona fide excusatur (V. Schmalz. V. 20. 4.).

(16) Negat Filiuc. IX. 199. quem sequitur subdubitans Bonac. P. 2. n. 28. Sed puto non facile recedendum esse a generalibus regulis juris.

(1) C. 7. De Crim. fals. B. C. § 6.

(2) Renazzi *Synops. Elem. Jur. Crim. Lib. IV. C. 24. § 20.*

(3) Ex L. I. C. *De his qui sib. adscrib.* Nihilominus in publicis scripturis falsitas coercenda est officio judicis etiam sine cujusquam damno, quia pessimi exempli res est (Carmign. Elem. Jur. Civ. § . . . .

(4) Ex L. 7. § Dolus malus. D. De Pact. Scilicet falsum sine dolo, *dolus sine evidenti calliditate non fit.*

(5) Reiff. V. 20. 1. Schmalz. V. 20. 4.

licet falsum admiserit semel tantum (6). Verum excommunicatione non omnes falsarii coercentur, sed tantum falsarii Literarum Apostolicarum, sive gratiam contineant sive justitiam. Porro gratiam continere dicuntur, quae continent aliquod R. P. beneficium, seu liberalitatem; justitiae quae ad *lites*, adeoque ad causae alicujus cognitionem et definitionem pertinent. Dixi Literarum Apostolicarum, adeoque heic non spectant Literae et rescripta *aliorum quorumcumque*; ut ecce Nuncii Apostolici (7), Legati a latere, Poenitentiarii Majoris (8), SS. Congregationum etc. Immo nec Literae Apostolicae vel rescripta nondum signata (9), vel munita sigillo vel plumbo, quia, cum nondum authentica sunt (ut vulgo dicitur), nondum valent (10); nec ea quae valere desierint, et amplius valere non possunt (11).

60. Falsum autem circa Literas hujusmodi fieri potest pluribus modis (12): sed in primis excommunicatione in illud animadvertitur, quod fit 1.° corrumpendo, vel 2.° confingendo Literas Apostolicas, vel 3.° signando supplicationes etc. *Corrumpendo* fit quoties aliquid variatur, deletur, additur (14): quod non materialiter aestimari debet, sed formaliter; idest ex sensu a R. P. principaliter intento (15). *Confingendo* fit quoties falsa scriptura subjicitur. Demum *signando supplicationes* etc. quoties in eis falso rescribi-

---

(6) Pirhin. 5. 20. 25. Schmalz. V. 20. 35. De quo olim subdubitatum fuit (Ex C. 7. De Crim. Fals.)

(7) Suar. *De Censur.* 21. 2. 49.

(8) Navar. *Manual.* 27. 62. Suar. n. 42. Schmalz. n. 28.: quamquam de Majori Poenitentiario alii aliud sentiant.

(9) Ex L. 6. D. *Ad L. Corn. De Fals.*

(10) Ex cit. L. 6. Duard. Quaest. X. 21. Bonac. P. 3. n. 11.

(11) Navar. XVIII. 169. Regin. IX. 289. Utputa dispensatio matrimonialis, mortuo dispensato: non item si possent, ut ita dixerim, reviviscere; ut dispensatio a servitio chori ad tempus, hoc elapso (Bonac. l. cit. n. 1.).

(12) V. C. 5. De Crim. Fals.

(14) CC. 5. 6. *De Crim. Fals.* L. 2. D. *Ad L. Corn. De Fals.*

(15) Ex C. 9. *Eod.* Suar. 21. 2. 46. Immo falsitas non intelligitur, si error tantum v. c. grammatices, vel nominis, cognominis, patriae, fuerit emendatus (Suar. l. cit. Bonac. P. 2. n. 3.): neque enim temerat, sed potius restituit veritatem, qui errorem emendat (Schmalz. V. 20. 43.).

tur *fiat* (16). Sed necesse est 1.° ut haec dolo malo fuerint admissa (17): quamobrem si falsas literas confeceris, aut veras corruperis mox laceraturus, verius est excommunicationem cessare (18). 2.° Ut, si alterius intersunt, hoc alteri noceat graviter, aut nocere possit (19). Dixi si alterius intersunt, nam, si intersunt tua, sat est illa quoquo modo falsificasse, et planum est. Utque demum 3.° falsitatem perfeceris, compleveris (20). At cum falsitas perfecta fuerit, excommunicatio statim contrahitur, tametsi falsificatis Literis, aut rescriptis non utaris (21). Ea tantum quae admittitur confingendo literas Apostolicas, ante harum publicationem non incurritur (22).

X.

61. « Absolventes complicem in peccato turpi etiam in mortis « articulo, si alius Sacerdos licet non approbatus ad Confessiones, « sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere « morientis confessionem (1). »

62. Peccatum turpe, heic est — *Omnis actus externus libidinosus* (2). An et turpia colloquia? Affirmat S. Alph. (3).

---

(16) § 7. *Inst. De Public. Judic.*

(17) C. 8. *De Crim. Fals.* L. 20. *Ad L. Corn. De Fals.*

(18) Sylv. V. *Excomm.* VII. 8. Duard. XX. 2.

(19) Cajet. V. *Falsarius* Graff. Navar. XXVII. 62. Duard. l. cit. Contra Alter., Bonac. n. 5. Reiff. n. 33. Schmalz. n. 37.

(20) Duard. X. 21. v. c. si aliquid interleveris aliud substituturus, ut revera hoc substitueris (Duard. loc. cit. Bonac. P. 3. n. 12.).

(21) Duard. et Bonac. ll. cc.

(22) L. 8. C. *Ad L. Corn. De Fals.* Qui autem his utitur, incurrit aliam excommunicationem Episcopo reservatam (§ 130.). Olim excommunicationem contrahebant et illi pones quos falsae literae erant, nisi intra 20 dies eas destruerent vel resignarent (C. 4. § ult. De Crim. Fals.).

(23) V. § 59. Ait enim Const. nostra *publicantes*, et non *fabricantes*, ut B. C. - Publicare autem heic accipere debemus seu jure, seu facto (V. § 55.), prout natura literarum patitur; idest seu promulgationem, seu evulgationem. Ergo si quis paucis ostenderit, ut notoria adhuc dici non possint, excommunicationem, si quid judico, nondum incurrit.

(1) Ben. XIV. C. *Sacramentum Poenitentiae* § 4. cl. C. *Apostolicis muneris* §§ 3. 4.

(2) Amort *De Poenit.* Disp. 10. § 2. Q. 3.

(3) S. Alph. VI. 554.

Negant alii (4); et forlassis verius ex mente Ben. XIV. (5). Complicem vero accipio eum, quocum Sacerdos peccavit, dummodo peccatum fuerit utrinque formale (6). Ad haec necesse est, ut peccatum fuerit grave in ipso quoque opere externo (7).

63. Itaque Sacerdos qui *audet* absolvere complicem in peccato turpi hujusmodi, excommunicationem incurrit; seu sanum, seu morientem absolverit (8). Hoc tantum inter utrumque casum distat, quod si absolvit sanum, absolutio *ab hujus modi culpa* (9) nullius momenti est; si morientem, valet. Nihilominus cessat etiam excommunicatio in mortis articulo, si alius Sacerdos, etiam non approbatus, adhiberi non possit sine gravi infamiae periculo; vel si is casus incederit, in quo non approbatus potest absolvere a peccatis etiam praesente approbato (10); maxime si alius Sacerdos post coeptam confessionem supervenerit, quippe qui vix sine aliqua suspicione succedere posset, aut ne vix quidem.

XI.

64. « Usurpantes vel sequestrantes jurisdictionem, bona, redi-« tus ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut « beneficiorum pertinentes (1). »

65. Jure Canonico excommunicantur qui bona Ecclesiae vel usurpant, vel alienant. Usurpantium duplex genus

(4) Amor. l. cit. § 1. Q. 6. Scarpaz. etc.

(5) Ben. XIV. De Syn. VII. 14. 4.

(6) Scavi. *De Sacram. Poenit.* § 445. Nam si alteruter peccaverit materialiter tantum, complex dici non potest, ut ecce si mulier dormientem turpiter contrectaverit (V. S. Alph. VI. 554. in fin.).

(7) S. Alph. l. cit. V. § 6. (15.).

(8) Bened. XIV. C. *Sacramentum Poenitentiae* § 4. *Absolverit*: adeoque non si confessionem dumtaxat excepit, nec absolvit (S. Alph. n. 556.).

(9) Cit. § 4. Ergo ab aliis peccatis valet - Pavone *Spicileg.* etc. § 157.

(10) Gury. II. 587. ibique Baller. Ut puta si approbatus sit consanguineus vel inimicus poenitentis; atque ab eo velut abhorreat (V. S. Alph. VI. 563.). *Quae* sententia mihi vera prorsus videtur: neque enim credendum est, Piam Matrem Ecclesiam districtius cum morientibus agere velle; quod, in tanto discrimine, tantaque rerum sollicitudine, aleae procul dubio plenissimum opus foret.

(1) B. C. § 17.

est; nam vel usurpant quae competunt personis Ecclesiasticis ratione suarum Ecclesiarum, seu beneficiorum; vel cetera usurpant. Illi excommunicationem incurrunt R. P. specialiter, hi simpliciter reservatam (2). Qui vero alienant, vel recipiunt, excommunicationem quidem incurrunt, sed nemini reservatam (3). De his et istis propediem, de illis hic.

Principio igitur obiectum materiale hujus excommunicationis sunt 1.° jurisdictio seu spiritualis, seu temporalis (4): 2.° *bona* seu immobilia, seu mobilia, seu jura (5), 3.° *Reditus*, idest quidquid res fert, vel percipitur intuitu rei (6): non item proventus et obventiones, ceu distributiones quotidianae (7). Jurisdictiones, inquam, bona, reditus quae pertinent ad *personas Ecclesiasticas* ratione suarum Ecclesiarum, aut beneficiorum (8). Adeoque non ea quae competunt Montibus pietatis, Nosocomiis (9), Caemeteriis (10), Sodalitatibus laicalibus, nec alicui Cappellaniae Laicali (11): Nec, ut puto, Monasteriis; primo quia haec vel ad ipsa Monasteria, vel ad eorum Sacristias, vel ad Ecclesiam Romanam pertinent: deinde quia heic ex B. C. § 17. praetermissa

---

(2) Trid. Sess. XXII. De Ref. C. 11. Olim excommunicationem incurrebant etiam qui bona hujusmodi submittebant laicis (C. 2. De Reb. Eccl. non alien. in 6.°).

(3) Extr. *Ambitiosae. Eod. tit.*

(4) Bonac. Disp. 1. Q. 18. p. 2. n. 3. Suar. D. 21. 2. 95. - Filiuc. XVI. 219. - Atque ideo quodvis officium, vel munus cui aliqua jurisdictio cohaereat.

(5) Ex ll. 5. 25. D. *De Verb. Sign.* Jura, ut ecce nomina debitorum.

(6) Ex L. 5. § *Quaerere ergo* D. *De Reb. eor. qui sub tut. sunt.*

(7) Bonac. n. 10.

(8) Bonac. P. 3. n. 5. seu Saecularium seu Regularium: lex non distinguit. Quid si quis haec usurpet, sequestret, dum beneficium vacat? Cajet. et Tolet: putant excommunicationem cessare. Contra putant Navarr. 27. 69. Regin. IX. 372. Bonac. loc. cit. n. 31. ibique Sayr. Suar. Duard. Ugol. Filiuc. Haec sententia est fortassis vera, sed prior probabilitate non caret; videntur enim Canones Personis Ecclesiasticis cum primis consulere voluisse.

(9) Duard. Q. IX Art. 7.

(10) Bonac. loc. cit. n. 18.

(11) Avanz. pag. 83.

sunt: Nec bona aedibus sacris servandis, reparandis, vel sacris obeundis addicta: immo nec reditus beneficiorum quae alius Clericus conduxerit, quippe ad eum non quasi Clericum, sed quasi conductorem pertinent.

66. Actiones vero quae excommunicatione coercentur duo sunt: usurpatio et sequestratio, a quocumque sint factae, sive laico, sive Clerico (12). *Usurpare* est, rem ab alio occupare quasi ad se pertinentem (13). *Occupare*; ideo hanc excommunicationem non incurrunt fures, raptores, praedones etc. (14): *ab alio*, ideo nec is eam subit, qui rem ab aliis usurpatam acquirit actibus seu ultimae voluntatis, seu inter vivos: nec ipsae personae Ecclesiasticae si quid suae Ecclesiae vel beneficii sui interceperint; veluti si arbores grandiores ceciderint (15). Sequestrare est impedire ne bona, fructus etc.: ab Ecclesiasticis personis ad quas ratione Ecclesiarum, vel beneficiorum suorum pertinent, percipiantur (16): ex hoc capite excommunicationem incurrunt, qui bona hujusmodi, fructus etc. sequestrant sequestro judiciali et injusto (17).

---

(12) Regin. IX. 372. Filiuc. XVI. 212. Bonac. P. III. n. 2.

(13) Cajet. V. *Excommunicatio* C. 27. Suar. *De Censur.* 22. 2. 96. Et jure prorsus Ex LL. 8. 9. 16. D. *Quem. serv. amitt.* L. 9. § ult. *De Publican.* L. 8. C. *De Interd. Matrim. Pertinentem*, nempe quasi jure suo; quamobrem, si ex justa compensatione sibi quid vindicet, excommunicatio cessat (Bonac. P. 3. n. 6.).

(14) S. U. I. 9. Martii 1870. Cajet. Regin. IX. 372.

(15) Filiucc. XVI. 225. Bonac. n. 30.

(16) Bonac. loc. cit. P. 1. n. 6.

(17) Filiucc. X. 227. non item si *justo*, et planum est; aut *voluntario*, quia volenti non fit injuria (Filiucc. loc. cit. Navarr. Alter. Bonac. P. 3. n. 89.). Quid si justum quidem fuerit sequestrum, sed non deducto quod Clerico necessarium est ut vivere possit (C. Odoardus 3. De Solut.)? Existimo non contrahi excommunicationem, ubi huic privilegio aut legibus derogatum est, S. S. minime reclamante; aut consuetudine legitime invecta. *Ad haec* qui cujusvis alterius Ecclesiae vel loci Pii *jurisdictiones*, *bona*, *census*, *jura*, *fructus*, *et quascumque obventiones vel emolumenta*, *quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent*, *vi vel timore*, *incusso quacumque arte*, *aut quocumque quaesito colore in suos usus convertere*, *illosque usurpare praesumpserit*, *seu impedire ne ab iis ad quos jure pertinent*, *percipiantur*, incurrit excommunicationem R. P. reservatam (Trid. Sess. XXII. De Ref. Cap. II.). Quod huic excommun-

XII.

67. « Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios « Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinen- « tia, vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdi- « ctionem in eis, nec non ad singula praedicta auxilium, consilium « favorem praebentes (1). »

68. Haec excommunicatio spectat *ad defensionem dominii temporalis ad Sedem Apostolicam pertinentis* (2). Proinde *jura* et *jurisdictionem* heic accipimus temporalia: nec quaevis jura, sed principalia; et jurisdictionem supremam, idest eam quae soli Principi competit (3); utputa jus

---

nicatione coercetur est, bona, fructus etc. hujusmodi in suos usus *convertere*. Quamobrem si quis aliquid perdiderit, v. c., aedes incenderit, sata laeserit, arbores caeciderit, etc., hic non pertinet. Ad haec intererit qua actione, quove modo haec in suos usus converterit. *Qua actione*; etenim necesse est hoc facere *usurpando*, vel *impediendo*, ne ab his, ad quos pertinent, percipiantur. *Usurpando*: itaque (§ 67.) si nihil abstulit, ut ecce si decimas non solvit; vel abstulit, sed quasi non suum, v. c. si decimas ab aliis debitas temere occupat, et in rem suam vertit, excommunicationem non subit (Trid. Sess. XXV. De Ref. Cap. 12.). *Impediendo*: itaque si cui persuaserit ne, v. c.; mercedes agrorum solvat quos ab Ecclesia conduxit, excommunicatio eum non tenet. *Quo modo*; nam necesse est ut id faciat *vi vel timore incusso*, *seu quacumque arte*, idest fraude (L. 18. § ult. D. *De Excus. Tutor.*); *aut quocumque quaesito colore*, idest titulo (L. 50. D. *De Donat.* inter vir. et ux.), praetextu (LL. 2. 5. D. *De Inoff. Test.*). Proinde liber est a censura si nullam vim, aut metum; nullam fraudem aut praetextum adhibuit: veluti si quid clam surripuit, si rem sibi commodatam, vel penes se depositam non restituit etc. Illud non interest utrum quis occupaverit, impedierit *per se vel per alios*, *seu etiam per suppositas personas* (Trid. cit. Cap. 11.). Itaque sive ipse haec occupaverit, sive ad ipsum pervenerint alio *quocumque modo*, nempe ex praedictis (ut ecce impediendo ne ad eos, ad quos spectant, perveniret, sive per alios occupando), *etiam ex donatione suppositae personae*, excommunicationem incurrit. Quid si emerit ab usurpatore, an subeat excommunicationem, quasi ea usurpaverit sub *colore* emptionis? Non puto; nam cum is ab Ecclesia nihil auferat, nec quasi suum auferat, usurpatio ne intelligi quidem potest.

(1) Ex B. C. § 1.

(2) Suar. De Censur. 21. 2. 104. Regin. IX. 386.

(3) Bonac. To. III. D. 1. Q. 21. P. 1. n. 16.

vitae et necis, jus indicendi tributa, creandi Magistratus etc. Hanc autem excommunicationem incurrunt 1.° qui civitates etc. destruunt, qui invadunt, nempe vi adhibita (4). 2.° Qui supremam R. P. in his jurisdictionem perturbant, v. c. qui impediunt ipsum R. P. leges in his civitatibus publicare, tributa indicere etc.; qui hanc jurisdictionem vel alias Civitates etc. retinent, tametsi ab aliis acceperint, velut haeredes (5). *Demum* 3.° *qui* ad singula praedicta auxilium consilium, favorem praebent. Et de his, qui haec praebent, invadentibus, destruentibus, perturbantibus expedita res est; de his qui detinentibus, salebrosa: dicam plane quod sentio; quam recte viderint sapientes.

69. Itaque horum duplex genus constituendum est; alterum eorum qui aliquod, alterum eorum qui nullum publicum munus exercent. Munera autem publica vel ad civium necessitates seu utilitates, vel ad regimen tuendum pertinent, vel ad utrumque. Illa suscipere innoxium est ceteris paribus, quia societas necare seipsam non potest (6):

---

(4) Ex L. 5. C. *Unde vi* etsi non hostiliter (hoc adverbium jamdudum ab antiquioribus Bullis in Coena Domini legi solitis detractum fuerat); v. c. sub colore praecavendae seditionis.

(5) Duard. Sayr. Filiucc. XVI. 64. etiam haeredes haeredum (Ex LL. 65. 170. D. *De Verb. Sign.*).

(6) Taparell. Saggio di Dritto naturale Vol. I. § 664.

Dixi ceteris paribus; nam duo prae caeteris animadvertenda sunt: 1.° ne juramentum praestent, quo usurpatori obedientia, uti ajunt, *activa* pollicetur, quod quasi praetium muneris foret. Et si jurare omnino necesse sit, passivam dumtaxat, et legibus tum divinis tum Ecclesiasticis consentaneam *obedientiam* spondeant (Pius VII. Lit. *Dilecti Filii.* Ad Epp. Mareh. 30. Aug. 1808. S. Poenit. 10. Dec. 1860. ad 10. et 14.). Utque 2.° dum jurant, palam profiteantur, se nihil facturos quod a legibus divinis et Ecclesiasticis remotum sit. Quamobrem si quid contra has leges faciendum inciderit, aut eo abstinere, aut officio se abdicare necesse est. Sane Sacra Poenitentiaria die 6. Octobr. 1860. respondit (Ad 11.) posse, qui munera publica exercent, in eis tolerari, *dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem; et exerceri possint absque periculo lesionis legum divinarum et Ecclesiasticarum.* » Porro in spolii manutentionem ex officia influere intelliguntur *quelli che rappresentano il primo Magistrato in ciascuna Provincia o Città o terra o castello* Quod ab Emo Pacca a Secretis Status Pii VII. an. 1807. declaratum fuit (V. Raccolta de' docum. autent. etc. Italia 1814. To. 3. p. 273.).

ista non item; sed quoad censuras oportet animadvertere, num quis possit his abstinere sine incommodo gravi (V. § 7. (27)). Demum haec sponte suscipere vel retinere culpa non caret, quia bonum ex integra causa: atque heic recidunt, qui cuivis militiae, civicae quoque, conscribuntur; verum cum hi parere necesse habeant, ab excommunicatione excusantur (7), exceptis his, qui sese dederint (8), vel emeritis.

Qui nullum publicum munus obeunt favere intelliguntur, si retinentibus *proximam,* ut in possessione remaneant, operam praestent; utputa pecunia, delationibus, consiliis, scriptis etc.: si *remotam* non item; veluti si eis praebeant victualia, aedes locent, inserviant etc. At qui ab eis stant (*adhaerentes*) heic nullatenus pertinent, quippe hos praeterit Const. nostra (9); licet eorum compitalia, male feriati, participent.

**70. « A quibus omnibus excommunicationibus hucusque re-
« censitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo
« reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem
« absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Ro-
« mano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revo-
« catis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis
« sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cu-
« juscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam
« speciali mentione dignis, et in quavis dignitate constitutis. Absol-
« vere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis
« praetextu, excommunicationis vinculo Romani Pontifici reservatae
« innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in
« quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis
« Ecclesiae, si convaluerint. »**

---

(7) Ex Decr. S. U. I. 1. Febr. 1871. (V. § 50.).

(8) Ex Declarat. Pii VII. 24. Aug. 1808., et S. Poenit. 10. Decembr. 1860. ad 7. et 8.

(9) Contra B. C. cit. § 21. Scilicet, si nullo cum eis inito pacto, eorum partes sequuntur: hi enim adhaerentes dici solent (Bonac. Disp. 1. Q. 21. P. 1. n. 27.). Inter eos, qui invadentibus, et eos qui retinentibus favent, locum tenent qui pro invasis jam civitatibus, terris, locis invasori detinendis ludicrum suffragium ferunt (Ex S. Poenit. loc. cit. ad 26.).

SECTIO SECUNDA.

Excommunicationes latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

« Excommunicatio latae sententiae Romano Pontifici reservatae « subjacere declaramus. »

I.

72. « Docentes vel defendentes sive publice sive privatim propo- « sitiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena « latae sententiae; item docentes vel defendentes tamquam licitam « praxim inquirenda poenitentibus nomen complicis, prouti damnata « est a Benedicto XIV. in Const. Suprema 7 Julii 1745. Ubi primum « 2 Junii 1746. »

72. Propositiones a RR. PP. damnatae, quaedam sub anathematis poena confixae sunt, ut ecce ab Alex. VII. An. 1665, 1666, ab Innoc. XI. An. 1679, ab Alex. VIII. An. 1690; quaedam nullo adiecto anathemate, ut puta damnatae a Pio IX. die 8. Decembris 1864. Itaque excommunicationem incurrit, non qui istas, sed qui illas docet, defendit; sive publice sive privatim. Et si conjunctim doceat, defendat eas quae proscriptae sunt una simul aliae quasi haereticae, aliae quasi erroneae etc.; is hodie haereticus est; atque ideo ex hoc capite incurrit aliam excommunicationem speciali modo R. P. reservatam.

73. Qui autem *ausus fuerit*, ita Ben. XIV. *docere licitam esse praxim exquirendi nomen complicis denunciata, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione; vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem*, incidit ipso facto in excommunicationem R. P. reservatam. Tribus igitur opus est ut excommunicatio eum teneat: 1.° ut doceat hanc praxim licitam esse: 2.° ut utrumque simul licitum esse doceat; idest, et exquirere nomen complicis, et reticenti absolutio-

nem denegare; utque 3.° temere haec doceat: itaque si unum ex his desit, excommunicatio cessat (1).

II.

74. « Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, « vel utriusque sexus Monachos, exceptis, quoad reservationem, « casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut « Episcopus aut alius absolvat (1). »

75. Haec est excommunicatio quae vulgo *Canonis* dicitur, nempe a privilegio ab Innocent. II. jam a Saec. XII. Clericis constituto, quod *Canonis* privilegium dici solet. Quae omnium prima, uti videtur, *ipso jure* irrogata fuit, cujus nullum aliud exemplum extat in Gratiani Decreto. Hac re, et quia est privilegium non personis sed Ordini constitutum (2), latissime acceptum est (3). Eo igitur gaudent Clerici et Monachi utriusque sexus, qui privilegio fori non exciderint. Clericorum autem appellatione veniunt omnes tonsuram adepti: appellatione Monachorum omnes Regulares utriusque sexus (4); Novitii, Tertiarii (5), et Eremitae, qui de mandato Episcopi alicui Ecclesiae, vel aediculae inserviunt (6).

76. Actio quae punitur est injectio manuum violenta. Manus violentas injicere accipimus quoties in personam, non verbis, sed re fit injuria (7); idest quoties laeditur

---

(1) Ad haec, excommunicationem, sed nemini reservatam, contrahunt qui *docere praedicare, vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserint* existenti in lethali, si Eucharistiam recipere velit, non esse Confessionem necessariam (Trid. Sess. XIII. *De Euch. Can. II.*) jure divino (Bonac. To. 3. Disp. 22. 2. Q. 14. n. 4.). Et matrimonia clandestina inita ante Conc. Trid., vel postea, his locis ubi Decretum Conciliare publicatum non est (Bonac. P. 8. n. 3.), vel sine consensu parentum inita, irrita esse, hosque ea rata vel irrita facere posse (Trid. Sess. XXIV. *De Ref. M.* 1.).

(1) Ex C. 4. Cau. 17. 12.
(2) CC. 15. 56. Cau. 4. 1.
(3) Croix VII. 301. S. Alph. VII. 273.
(4) C. 33. De S. E.
(5) Schmalz. V. 39. 219.
(6) V. Reiff. III. 1. 25.
(7) Ex L. 1. § 1. D. *De Injur.*

corpus, libertas, dignitas. Corpus, ut ecce si Clericum veneno sustuleris (8), vel si prosequutus eum fueris, ut in praeceps corrueret, vel ex equo decideret, et corruit, decidit (9): libertas, cum detruditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque (10): dignitas, quoties vis adhibetur, veluti si rhedam sistas, qua vehitur, aut equum quo insidet (11); si aliquid ei detraxeris, veluti crumenam, pileum, baculum (12); vel aliud contumeliosum in ipsum admiseris, utputa si sputo, pulvere, luto eum foedaveris (13), si vestes quibus indutus erat conscideris etc. (14).

77. Huic excommunicationi omnes sunt obnoxii, impuberes quoque (15). An, ut veteri jure, et is qui mandavit (16); et qui ratum habuit (17)? non puto, tum quia heic, ut alias, verba propria et stricta significatione accipienda sunt, tum quia quando Legislator hos teneri voluit, eos nominatim recensuit (§ 39.). Nec ea tenetur Clericus, qui sibi manus intulit, quia lex percussorem a percusso secernit (18). Nec qui percutit, vel joco (19), vel corrigendi (20), vel defensionis, aut qua alia justa causa (21); vel ex subita ira (22).

---

(8) S. Alph. VII. 28. Is excommunicationem incurrit cum primum venenum laedere caeperit (S. Alph. 15.)

(9) Suar. De Censur. 21. 1. 26. Schmalz. n. 226.: non item si praeter tuam intentionem casu curruit (Croix n. 308. V. S. Alph. VII. 271.).

(10) C. 29. § 1. De S. E.

(11) S. Alph. 274.

(12) Laym. De Excomm. V. 2.

(13) Schmalz. V. 39. 226. Laym. cit. n. 2.

(14) S. Alph. VII. 274.

(15) C. 1. De S. E.

(16) C. 6. n. 1. De S. E.

(17) C. 23. Eod. tit. in 6.° Immo et eum qui cum prohibere potuisset non prohibuit (C. 47. De Excomm.): sed is post sententiam judicis (S. Alph. VII. 269.).

(18) S. Alph. VII. 274.

(19) CC. 3. 10. De S. E.

(20) Ex LL. 5. 24. D. *Ad L. Aquil.*

(21) Ex CC. 3. 16. De S. E. S. Alph. VII. 275. Utputa si cum filia, sorore etc. turpiter agentem invenerit (C. 3. Eod.).

(22) Tolet. Sum. l. 33. Pirghin. V. 39. 42. Reiff. V. 39. 117. nempe si *non plene advertatur* quod fit (S. Alph. l. c.).

III.

78. « Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocan-
« tes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcum-
« que operam aut favorem praebentes; nec non de industria spectan-
« tes, illudque permittentes, vel quantum in illis est non prohibentes,
« cujuscuscumque dignitatis sint, etiam regalis, vel imperialis (1). «

79. Duellum est – *Singulare certamen armis lethalibus ex condicto susceptum* (2). – Itaque duellum 1.° necessario consistit ex pugna singulorum, adeoque si plures, agmine facto, concurrerint, duellum non intelligitur (3). 2.° Requiritur ut ex condicto susceptum fuerit (4); idest indicto pugnae loco, tempore (5), et armis (6): nam si tantum tempus (7), vel locus tantum (8) indictus fuerit, duellum dici non solet; immo nec utroque indicto, si de his in rixa convenerint, et egressi statim commiserint (9). Demum 3.° necesse est ut lethalibus armis certatum sit: itaque si pugnis, bacillis, ferro acie retusa, dimicatum sit, duellum non intelligitur, etsi mors per accidens sequuta fuerit (10).

80. Itaque excommunicationem incurrunt 1.° qui duellum perpetrant sive publice, sive privatim (11); vel ad illud simpliciter provocant, vel acceptant. 2.° Quilibet complices, vel qualemcumque operam, aut favorem praebentes, velut patrini, testes; qui consilium dant in causa duelli, qui

---

(1) Trid. XXV. De Ref. 19. Greg. XIII. C. *Ad tollendum.* Clem. VIII C. *Illius vices* Bened. XIV. C. *Detestabilem.*

(2) V. Salm. XXV. 1. 153.

(3) Salm. X. IV. 33. Secus si bini vel terni hinc inde concurrant (Clem. VIII. l. c.).

(4) Clem. VIII. et Salm. ll. cc.

(5) Gregor. XIII. § 1. Clem. VIII. § 3. Ben. XIV. § 2. ll. cc.

(6) S. Alph. III. 401. q. 3.

(7) S. C. Immun. 13. Februar. 1703. Ferrar. V. *Duellum* n. 55.

(8) Reiff. V. 14. 9.

(9) Reiff. n. 10.

(10) Pignatel. Reiff. n. 12. Nec contra est C. Clem. VIII. *Illius vices.*

(11) Gregor. XIII. l. c. *Privatim*, idest sine patrinis (Clem. VIII. l. c. § 3.).

literas provocatorias, vel alia id genus scripta, manifesta etc. dictant, scribunt, deferunt, evulgant, aut scribi, deferri etc. mandant, suadent, *vel in his se quomodolibet immiscent* (12). 3.° Qui de industria spectant (13): 4.° demum qui illud in suis territoriis (14), cum prohibere possint, non prohibent.

IV.

81. « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae, aut aliis « ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas po- « testates seu palam, seu clandestine machinatur, nec non iisdem « sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos co- « ryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint (1). »

82. Sectae in Pontificiis Constitutionibus – *Eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel Gubernium sibi aliquid proponunt* (2). – Eas igitur ex scopo quem sibi proponunt, non aliunde judicari debent. Itaque quaecumque sive contra Ecclesiam tantum, sive tantum contra legitimas potestates aliquid moliuntur sectae sunt: adeoque Societates biblicae, Societates Clerico-liberales hic pertinent. Contra Ecclesiam vero aliquid moliri est quidvis struere, docere, suadere, quod ab ejus doctrina, disciplina, regiminis forma alienum est. Nec refert 1.° quo nomine vocentur, sive societates, collegia, conventicula, hetaeriae, coetus etc. (3):

---

(12) Clem. VIII. l. c. §§ 6. 7. Veluti qui pactiones ineunt inter se de dirimendo certamine cum primum alteruter vulneratus fuerit (Cit. C. § 5.).

(13) Cit. C. § 3. scilicet qui sua praesentia ad pugnam incendunt: adeoque non qui casu transeuntes aspiciunt, vel in secreto, vel a longe; nec qui adeunt locum certaminis ut illud impediant (S. Alph. VIII. 220.).

(14) Ex Trid. C. 19. quod ex illis Const. nostrae verbis *cujuscumque dignitatis* satis apparet.

(1) Clem. XII. C. *In eminenti* 28. April. 1738. Ben. XIV. C. *Providus* 18. Maii 1751. Pius VII. 13. Septemb. 1821. Pius IX. Alloc. *Qui pluribus* 9. Nov. 1846.

(2) S. U. I. 5. Aug. 1846. *Gubernium* idest *legitimas potestates* (Pius IX. Alloc. 15. Sept. 1865.).

(3) Clem. XII. l. c. § 2.

nec 2.° quo modo machinentur, palam ne an secreto (4): quin hodie, cum e suis latebris emerserint, occultas amplius dicere non oportet: atque ideo nihil interest utrum *exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando* (5). Nec demum 3.° utrum viri principes eas tolerent, *foveant*, quippe hoc naturam eorum non mutat.

83. Itaque sectae proscriptae sunt jure tum Canonico, tum Civili (6), vetitumque graviter est eas inire. Ad haec jure Canonico excommunicatione plectuntur 1.° qui eis nomen dant: 2.° qui *qualemcumque* eis *favorem* praestant, quae verba patent latissime (7): demum 3.° qui non denunciant coryphaeos earum ac duces. A qua nequeunt absolvi nisi prius denunciaverint: quae denunciatio non ideo cessat quod eorum nomina per libros, et ephemerides passim legantur: quis enim scit, hos tales revera esse, nec alios esse, vel semper deinceps evulgandos (8)? Sed quaer

---

(4) Pius IX. Alloc. *Multiplices inter*. 25. Septemb. 1865.

(5) S. U. I. 5. Aug. 1846.

(6) L. 1. etc. D. *De Colleg.* L. 15. C. *De Episc. et Cler.*

(7) V. Clem. XII. etc. cit. Const. § 5. Ideo hac excommunicatione tenentur, qui eis praebent *consilium, auxilium palam aut in occulto; directe vel indirecte, per se vel per alios*; qui eas in suis aedibus receptant, occultant, seu *commoditatem* faciunt, *ut alicubi convocentur*; qui alios hortantur, suadent ut hujusmodi societatibus *adscribantur, adnumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant* (Clem. XII. cit. § 5.).

(8) S. U. I. 1. Februar. 1871.

Sciant igitur Sacerdotes sectis illaqueati, se, si Ordinem exercuerint, irregularitatem contrahere, a qua non ita facile S. Sedes dispensare consuevit.

Quando autem de denunciationibus incidit sermo, juverit hoc loco de his obiter attingere quae scitu magis necessaria sunt ad rem nostram. Denunciare est delinquentem Superiori legitimo manifestare. Denunciationum duo sunt genera; *fraterna* quae ad rei emendationem, et *judicialis* quae ad ejus coercitionem pertinet: illa oritur ex praecepto caritatis, haec ex fidei praecepto; de qua solum hic. Principio igitur hodie denunciandi sunt 1.° haeretici dogmatizantes, 2.° sectarum duces et coryphaei, 3.° sollicitantes. Obligatio denunciandi tenet omnes Christifideles pubertatem adeptos (Potest. Exam. Ordin. P. II. 248.) cujuscumque status, gradus, conditionis (S. U. I. 10. Martii 1677.). Denunciatio facienda est Inquisitori vel Ordinario, et in Missionibus Vicario vel Praefecto Apostolico (S. Poenit.

potest, utrum quis, ut culpa et poena ipsum teneat, prius nosse debeat, societates hujusmodi aliquid revera moliri contra Ecclesiam vel legitimas potestates. Et si palam nec jurati coeunt, puto eos et culpae et poenae eximi quamdiu id ignorant; sin clam, aut jurati, culpa teneri, propter periculum; excommunicatione non item.

V.

84. « Immunitatem asyli Ecclesiastici ausu temerario violare « jubentes aut violantes (1). »

85. Immunitas asyli Ecclesiastici est jus locis sacris vel religiosis constitutum, ne qui ad ea confugiunt 1.° exinde vi extrahi possint (2): 2.° ne aliis prohiberi possit, quominus illis deferant, quae ad vitam sunt necessaria (3): neve 3.° demum quis Ecclesias et loca immunia obsideat, et his qui ad ea aufugerint effugium intercludat (4). Competit omnibus *locis sacris* et *religiosis* (5): idest Ecclesiis, etiam nondum consecratis (6); pollutis, interdictis (7); et conti-

---

10. Febr. 1871.). Et intra dies 30. a die scientiae hujus obligationis, vel. si aliquod obstiterit impedimentum, ab hoc sublato, sub poena excommunicationis l. s. facienda est, (S. U. I. l. c. S. Alph. IV. 252.), nulla praemissa correctione fraterna (Alex. VII. 8. Jul. 1660.). Qui denunciat testis loco est, ideo nihil interest utrum denuncianda ipse audierit, viderit, an acceperit ab aliis (S. U. I. l. c.) fide dignis (S. Alph. 254.); vel utrum haec probare queat (Ex Prop. 5. damn. ab Alex. VII.), vel jam alius denunciaverit (Ferrar. V. Denunciatio n. 3.). Nec excusat regulariter incommodum grave, nec quod sciverit denuncianda sub secreto commisso (S. Alph. 248. 49. 50.), Nihilominus denunciatio cessat 1.° quamdiu quis eam per se facere nequit (Ferrar. n. 54.), vel 2.° quin seipsum prodat (Potest n. 248.), vel 3.° si nulla spes punitionis eluceat (Bonac. To. I. De Denunciat. P. n. 2. 9.).

(1) Tot. tit. X. *De Immun. Eccles.* Gregor. XIV. C. *Cum illas.* Ben. XIII. *Ex quo divina.* Clem. XII. *In suprema.* Ben. XIV. *Officii nostri.*

(2) C. 6. *De Immun. Eccles.*

(3) Cap. 35. Can. 17. 1. Ben. XIV. l. c. § 14.

(4) Ben. XIV. cit. § 14.

(5) Ben. XIV. l. c. § 3.

(6) C. 9. *De Immun. Eccles.* C. 4. *De Religios. Domib.*

(7) Pirhin. III. 49. 3.

nentibus aedificiis (8): 2.° Coemeteriis (9) Christifidelibus sepeliendis addictis (10) 3.° palatiis S. R. E. Cardinalium vel Episcoporum; Monasteriis (11), Seminariis, immo Hospitalibus, Nosocomiis etc., dummodo auctoritate Episcopi sint recta (12).

86. Itaque excommunicationem incurrunt qui violant, vel jubent violari immunitatem asyli quoquo modo ex praedictis: dummodo id fecerint 1.° *vi* (13): quocirca si quis dolo et fallaciis eductus fuerit (14), vel fictis promissionibus deceptus exierit, sibi imputet; quippe sibi, non loco sacro fit injuria; jure autem asyli locorum sanctitati et reverentiae, non personis confugientium provisum est (15). Et 2.° *ausu temerario*: ausu autem temerario is facere intelligitur qui *ab aliis minime coactus, prudens ac sciens aut violare jubet, aut exequendo violat* (asyli jus) *utpote omnis excusationis expers* (16). Verum juris asyli hodie in Regnis saecularibus vix vestigium superest.

VI.

87. « Violantes clausuram Monialium cujuscumque generis aut « conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque « legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes, vel « admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac « formam a S. Pio V. in Constitut. *Decori* praescriptam (1). »

88. Clausura dicitur totum illud spatium, quod septis Monasterii (seu mulierum, seu virorum) continetur (2). Clausura Monialium haec est, ut nullus ea septa ingredi, nulla

---

(8) CC. 21. 35. 36. Can. 17. 4. utputa sacristia, porticus, atrium.
(9) C. *ult. De Immun. Eccles.*
(10) Reiff. III. 49. 41. Ex § 6. *Inst. De Rer. Divis.*
(11) C. 36. Can. 17. 4. Gregor. XIV. l. c. § 2.
(12) Ex C. 4. *De Religios. Domib.* Reiff. n. 47.
(13) Ex C. 6. *De Immun. Eccles.*
(14) Ex C. 6. *De Iis quae vi.*
(15) C. 35. Can. 17. 4.
(16) S. U. I. *1. Februar. 1871.*
(1) Trid. Sess. XXV. CC. 4. 5. *De Regular.*
(2) Gregor. XIII. C. *Inscrutabilis.*

Monialis eis egredi possit. Et primo, at nemo ingredi, cujuscumque conditionis, vel sexus, vel aetatis (3); adeoque nec ipsi locorum Ordinarii (4), nec foeminae (5), nec impuberes (6). Nihilominus licet ea ingredi necessitatis causa, et de Superioris licentia. Causae hujusmodi tres recensentur; infirmarum cura, administratio Sacramentorum, et commune servitium (7). Ex primo licet intrare Medicis aut Chirurgis ad medendas aerogatas (8); ex altero Confessario ad ministrandum infirmis Poenitentiam, Eucharistiam quoties dabatur sanis (9), Extremam Untionem, et ad commendandas animas agonizantium (10): demum ex tertio operariis, bajulis, olitoribus etc. (11). Licentia autem danda est ab Episcopo, et praeterea, si monasterium subest Regularibus, a Superiore ejus Ordinis (12), nisi periculum sit in mora. Et toties danda est, quoties opus fuerit (13); exceptis Medicis, Chirurgis, et Confessariis ordinariis, quibus danda est generatim (14). Illud ex Const. Nostra opus non est ut in scriptis detur.

---

(3) Trid. Sess. XXV. *De Reg. 5.*

(4) Gregor. XIII. C. *Dubiis.*

(5) Ben. XIV. C. *Per bina.*

(6) V. § 10. Quidam putant septennio quoque minores excomm. incurrere; quod alii negant (Reiff. ad Decret. III. 35. 39. V. Ben. XIV. not. 29. 24.): et rectius, nam sunt culpae expertes. At profecto eam incurrunt qui eos introducunt, vel admittunt.

(7) C. Unic. *De Stat. Regu. in 6.°* S. Alph. VII. 225.

(8) Reiff. III. 35. 53.

(9) S. Alph. VII. 227. Non vero ad exorcizandas obsessas, (S. C. Ep. *1. Jul. 1606.*), ad exequias defunctae Monialis peragendas (Ead. S. C. *10. Mart. 1577.*). etc.

(10) Alex. VII. C. *Felicis* § 5.

(11) Gloss. *in C. Un. De Stat. Reg. in 6.°* Non licet tamen hodie recipere in Monasterio puellas; sive famulas, sive educandas sine licentia Sedis Apost. (Ben. XIV. C. *Per binas.*).

(12) Urban. VIII. *17. Jun. 1730.* Immo a solo Episcopo si is usus sit (Ben. XIV. De Synod. XIII. 12. 23.).

(13) Cit. S. C. *26. Novemb. 1722.* Ben. XIV. Not. 19. 19. Nihilominus potest Episcopus committere Abbatissae vel Confessario facultatem concedendi aliis licentiam ingrediendi (S. Alph. VII. 223. in fin.).

(14) Ead. S. C. *13. Jul. 1605. 2. Mart. 1609.* (V. Lucidi *De Visit. Sacr. Lim.* V. II. pag. 138. § 56. etc..) (Romae. 1866.).

89. Deinde ut nulla Monialis sine beneplacito Sedis Apostolicae egredi possit extra casus ac formam a S. Pio V. praescriptam. Casus sunt, magnum incendium, infirmitas, lepra vel epidemia (15). Nihilominus, si qua similis causa intervenerit, ut puta inundatio, ruina, latronum incursus, egredi posse dubium non est (16). Forma autem haec est, ut infirmitas, *praeter alios ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumbit, etiam per Ordinarium cognita et expresse in iscriptis approbata sit* (17). Moniales aliter exeuntes excommunicationem incurrunt. Sed hodie ipsae solum, non item comitantes, recipientes, etc., ut olim.

VII.

90. « Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et « superiores aliosve eas admittentes (1). »

91. Clausura est omne illud spatium quod septis monasterii continetur (§ 98); adeoque officinae, coenacula, valetudinaria, prata, sylvae, viridaria, nisi separata sint clavi et muro convenienti: non item sacristia, si ad eam ex Ecclesia aditus pateat (2); immo nec clausura ubi sunt putei aquarum, modo Cenobium habeat alia putea mulieribus invia (3). Regulares heic quoque accipimus, qui solemnia nuncupant vota, non qui Religiosis Congregationibus sunt adlecti, nec Tertiarii etsi collegaliter vivant (4).

---

(15) S. Pius V. C. *Decori 24. Januar. 1570.* Lepra, nempe, et epidemia quae caenobium, et non urbem tantum as inverint (S. C. Epp. *20. Febr. 1720.* Ben. XIV. *De Syn. XIII. 12. 31.*). Ceterum appellatione epidemiae quodvis morbum contagiosum significatur (S. Alph. VII. 229.).

(16) Reiff. III. 35. 50. S. Alph. l. c.

(17) S. Pius V. cit. C. *Decori* § 50.

(1) V. C. *Decet. C. Regularium* S. Pii V. — C. *Ubi gratia* Gregorii XIII.

(2) Ferrar. V. *Conventus* III. 9.

(3) S. C. Episc. *16. Maji 1582.* — *17. Sept. 1583.* ap. Ferrar. l. cit. n. 15.

(4) S. C. Epp. *20. Decem. 1616.* Ferrar. l. cit. n. 3.

VIII. IX. X.

92. « VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, « eorumque complices.

« IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet « cujuscumque sint dignatis.

« X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem (1). »

93. Simonia communiter definitur – *Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum* (2). – Duplex est; una quae dicitur juris divini, altera quae juris humani: illa versatur circa res spirituales, haec circa res temporales spirituali adnexas versatur: illa stricta ac propria significatione simonia est, haec lata et minus propria (3). Neutra, quamdiu sola intentione haeret, simonia dici solet: sed cum iniri incipit *facto* aliquo externo, tunc primo simoniae nomen subit (4); et in mentalem, conventionalem, et realem diducitur. Scilicet *factum* hujusmodi aut nuda rei vel pretii datio, seu acceptio est, cum occulta intentione simoniaca; aut pactum dandi aliquid temporale pro spirituali, seu spirituali adnexo, vel contra: Si primum tantum intercesserit, *mentalis* (5), sin alterum tantum, *conventionalis* (6); sin utrumque simonia *realis* nuncupatur (7).

94. Ex his solam simoniam juris divini esse obnoxiam excommunicationi verius videtur (8); quippe haec sola propria significatione simonia est (§ 93.). Nec omnis, sed hodie ea tantum quae admittitur in beneficiis Ecclesiasticis, et

---

(1) V. Trid. *Sess. XXIV. De Ref.* Cap. 18. *Extr. 3. h. t. (De Simon.).* S. Pius V. C. *Intolerabilis 1. Jun. 1569.*

(2) D. Thom. 2. 2. 100. 1.

(3) Sot. D. Just. IX. V. 2. Laym *De Simon.* C. X. 66. Pirhin. V. 3. 6. Schmalz. V. 3. 224.

(4) Suar. *De Simon. (Tom. I. De Relig. Tr. III. lib. IV.) C.* 41. *n. 3.*

(5) C. Ult. h. t. (*De Sim.*).

(6) C. 12. Eod.

(7) Suar. 41. I. Croix III. I. 58.

(8) S. Alph. 111. 108. ex Extr. 2. h. t. Canonistae communius contra putant.

ob religionis ingressum (9). Nempe, quia in odiosis versamur, realis tantum (10); et tunc demum cum perfecta fuerit ultro citroque (11). Haec generatim, de utraque nunc seorsim.

95. Principio igitur in beneficiis Ecclesiasticis simonia realis fit cum quis emit aut vendit 1.° ipsum beneficium (12), aut 2.° collationem ejus, vel institutionem vel provisionem (13): aut 3.° electionem, praesentationem, postulationem, aut commendationem ad illud obtinendum (14). Beneficium inquam seu majus, seu minus, non item *officium*, ut *olim* (15). Incurritur cum emptio aut venditio fuerit perfecta ultro citroque (16); non item si aut pretium tantum persolutum sit, sed res nondum tradita; aut si res dumtaxat tradita sit, pretio nondum persoluto (17). Caeterum sufficit pretii partem datam fuisse (18); minimam quoque, quia haec simonia nullam materiae parvitatem recipit (19).

96. Ad haec in beneficiis excommunicatione coercetur alia simonia quae dicitur *confidentialis*, seu *fiduciaria*. Haec est species simoniae conventionalis. Admittitur quoties quis aliquid beneficium Ecclesiasticum alicui procurat actu aliquo ad id ex jure necessario, utputa conferendo, praesentando,

---

(9) Suar. 55. 5. Pirhin, V. 3. 154. Reiff. V. 3. 229. Schmalz. V. 3. 277.

(10) Navar. 23. 104. Reiff. n. 235. Schmalz. n. 245. Suar. n. 55. 12.

(11) Suar. 35. 16. Laym. VIII. 68.

(12) Pirhin. n. 75. Schmalz. n. 224. Suar. 24. 3. S. Alph. III. 70. Communissima est.

(13) Extr. 2. h. t.

(14) Reiff. nn. 263. 264. Schamalz. n. 265.

(15) Cit. Extr. § *Per electiones*. Velut officium rectoris, oeconomi, vice-parochi etc. Nec obstat penes nos Cod. It. A. 1448., quia simonia *realis* esse debat.

(16) Suar.. 35 16. Laym. n. 68.

(17) Suar. 56. 33.; quamvis emptori fides de pretio habita sit (S. Alph. III. 106.).

(18) Salmat. XIX. IV. 6.

(19) Suar. 55. 17. Pretium autem dedisse intelligitur is, cui venditor accepto tulit (C. 10. *De Testib.*), vel si quid judico, novata obligatione (ex L. 1. D. *De Novat.*), veluti si emptor eam pecuniam quam debet, quasi foeneratam retineat (§ 3. *Inst. Quib. mod. toll. oblig.*).

resignando, eo pacto tacito vel expresso, ut is qui beneficium adeptus fuerit, postmodum idem beneficium sibi vel alteri cedat; vel ut ex eo fructus praestet (20). Uti igitur haec simonia locum habeat necesse est, ut pactum intercedat super beneficio ipso, vel ejus fructibus. Super *beneficio*; nempe ut post certum tempus, vel in certae conditionis eventum, procuranti vel alteri, detur ad illud *accessus*, vel *ingressus*, vel *regressus* (21). Super *fructibus*; his nempe vel eorum parte, *alii vel aliis* reservatis (22). Dixi super beneficio *ipso* vel *ejus* fructibus; quamobrem non erit simonia fiduciaria, si quis haec sibi reservaverit super alio beneficio; vel quid aliud super beneficio ipso (23). Amplius; cum haec simonia in conventionalem recidat, sine pacto aliquo saltem tacito non intelligitur: adeoque nec intentio simoniaca, si quis eam non significaverit (24), nec spes tantum accessus, vel ingressus, vel regressus, tametsi eam alteri significaverit, facit simoniam confidentialem (25); nec demum si pactum fuerit nullum ex alio capite, ut puta si quis beneficium non in manu Episcopi, sed propria auctoritate renunciaverit (26). Et licet permutatio beneficiorum sit quaedam quasi mutua resignatio, nihilominus, quia in odiosis versamur, simoniam confidentialem in eis locum

---

(20) Reiff. n. 32. Schmalz. n. 37. Croix III. I. 63.

(21) S. Pius V. C. *Intolerabilis* § 3. Porro *accessus* dari dicitur ei, qui beneficii neque institutionem, neque possessionem nactus fuerat, *ingressus* ei qui institutionem tantum, *regressus* ei qui utrumque fuerat adeptus (Salm. XIX. III. 64. S. Alph. III. 85.).

(22) S. Pius V. loc. cit. Quid igitur si eos sibi reservaverit; utrum adhuc fiduciaria simonia sit, ceu putant Garc. De Benef. P. II. Cap. III. n. 194. Suar. 437. Reiff. n. 37.; an communis tantum, ceu rentur Navar. Cons. De Sim. 76. 6. Less. de Iust. II. 35. 97. Diana Ugolin. Menoch? Mihi prior sententia videtur verior ex cit. C. *R. Pontificem* § 1. et C. *Intolerabilis* § 4. (V. Croix n. 66.): sed quia in obscuris et odiosis versamur, minimum est sequendum.

(23) Suar. De Simon. 43. 4. Less. Navarr. Salm. XIX. III. 70. Croix III. I. 68.

(24) Schmalz. V. 3. 40.

(25) Suar. 43. 12. Less. II. 35. 96. S. Alph. n. 87.

(26) Salm. n. 93. S. Alph. n. 90. V. § 6. V. § 6 (12).

non habere (27), si inter partes (28) aliquid convenerit circa beneficium ipsum vel fructus, verius est.

97. Ex his autem excommunicatio quae incurritur ob simoniam realem tenet et complices, quae ob confidentialem non item, quippe hos in hac Pontifex reticet. An igitur, ex diverso, haec teneat reos cujuscumque sint dignitatis, non item illa, quia in illa Pontifex de his mentionem non fecit? Non puto; ideo enim heic recensuit *cujuscumque dignitatis* homines, ut comprehenderet S. R. E. Cardinales, et Praelatos qui antea solius interdicti ab ingressu Ecclesiae tenebantur (29). In hoc autem utraque excommunicatio convenit, quod nisi in beneficiis Ecclesiasticis stricte sumptis non incurritur (30): adeoque eam non subeunt, licet gravi non vacent, qui emunt, vendunt Capellanias laicales (31), Vicarias non perpetuas (32), pensiones (33), Coadjutorias (34) et id genus caetera.

98. Venio nunc ad simoniam quae admittitur ad Religionis ingressum. Ingredientibus religionem duo praestat Ordo; Statum religiosum, et alimenta. Pro *statu* pecuniam

---

(27) Navarr. De Simon. C. 77. Suar. 43. 11. Schmal. n. 43.

(28) Reiff. V. 3. 40. Nam si id convenerit cum Ordinario vel alio Collatore, simoniam confidentialem non abesse, palam est.

(29) Pius IV. C. *R. Pontifex* § 4.

(30) Salm. XIX. IV. 16. Porro tria sunt, quae beneficii Ecclesiastici naturam constituunt: erectio in titulum, sacrum ministerium, et collatio in perpetuum, idest quoad beneficatus vixerit (Caval. Inst. Jur. Can. Par. II. 38. 4.); quamquam hoc postremum non omnibus placeat. *Quod his* constat beneficium est quocumque nomine vocetur; seu *Capellania collativa*, seu *Vicaria perpetua*, seu *Commenda*. Nec distinguitur utrum sit liberae collationis an juris Patronatus, etiam laicalis; quia uti servitus praedii, ita Patronatus (quod instar servitutis est) beneficii naturam non mutat.

(31) S. Alph. III. 112. Lucidi III. 4. 13. 16. Caeterum natura cujusvis Capellaniae ex tabulis fundationum aestimari cum primis debet (Piton. *De Contr. patron. Alleg. 33. 87. S. C. C. 7. Jul. 1866.*).

(32) V. De Luca De Benefic. disc. 80. 16.

(33) S. Alph. l. cit. Nempe reales et clericales; licet in favorabilibus beneficiis accenseantur.

(34) S. Alph. l. c. Sed non cum jure successionis, quippe hae sunt vera beneficia collata ex die (Suar. *De Simon.* 27. 5. contra Pala).

dare aut exigere est simonia juris divini, ob quam incurritur excommunicatio sed postquam simonia fuerit perfecta ultro citroque (§ 105.), idest post initam professionem (35). Pro *alimentis* aliquid exigere a Novitiis *nulla*, a Professis *juris humani* simonia est: quae quoad Moniales ubique locorum, quoad viros pluribus in locis est antiquata; et ubi viget, excommunicationi, in nostra sententia (§ 94), non est obnoxia.

XI.

89. « Omnes qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque « gratiis spiritualibus, excommunicationis censura plectuntur Con- « stitutione S. Pii V. *Quam plenum* 2 Januar. 1569 (1). »

100. Haec materia superiori proxima est, nam simoniam redolet. *Indulgentiae* quid sint neminem latet. *Gratiae spirituales* heic dicuntur 1.° *facultas* eligendi sibi Sacerdotem, qui se a reservatis absolvat: 2.° Missae sacrificium, et sepultura tempore interdicti: 3.° ciborum prohibitorum usus: 4.° assumptio duorum vel plurium compatrum ad baptisma, contra Decr. Conc. Trid.: 5.° demum absolutio a reali simonia Sedi Apostolicae reservata (2). Qui haec igitur faciunt, si Episcopis inferiores sunt, contrahunt excommunicationem R. P. reserv. (3). Verum ut excommunicatione teneantur necesse est primo ut publicaverint, vel concesserint aliquid ex his quae in cit. Const. recensentur: itaque si quid aliud publicaverint vel concesserint excommunicatio non intelligitur (4). Deinde ut exinde quaestum fecerint; ait enim Pontifex *quaestum facientes*, et non quaestus faciendi causa: ideo necesse est ut eas conçesserint vel publicaverint accepta pecunia (5).

---

(35) Suar. 56. 7. Laym. 70. Pirh. V. 3 71. Reiff. 255.

(1) Trid. Sess. XXI. De Ref. Cap. Ult. S. Pius V. alia C. *Quam plenum 2. Januar. 1569.*

(2) Cit. Const. §§ 1. 6.

(3) Ibid. § 6.

(4) Bonac. To. 3. Disp. 2. Q. 3. P. 30, n. 4.

(5) Ex cit, C. 1569. §§ 1. 4. Publicare autem intelligitur et is, qui indicem indulgentiarum etc., aedibus sacris appendi jubet (Cit. C. § 2.).

XII.

101. « Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et » ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Mis- « sarum stipendia minoris pretii esse solent (1). »

102. Hoc articulo compescitur mercimonium (2) quoad Missas, *manuales* (3). Uti autem haec excommunicatio teneat exercentes turpe hujusmodi mercimonium, necesse est ut hi 1.° colligant stipendia Missarum: 2.° ut quaestus causa (4): 3.° ut faciant eas celebrari ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent. Ex primo igitur necesse est ut quis quasi collectoris munus exerceat; ideo non incurrit excommunicationem is, cui Missae dantur a se celebrandae; nec is qui ab alio celebrandas sponte oblatas accepit (nisi ei quasi collectori deferri videantur); nec demum is qui eas colligit ab uno vel altero tantum. Nec ex 2.° eam incurrit qui partem stipendii in pios usus distribuit, v. c. Ecclesiis reparandis, quod nec illicitum videtur (5); *vel sibi* retinet quasi laboris sui pretium (6), vel alias in suum commodum intervertit, quippe magis fur est, quam mercator. Nec demum ex 3.° quia eas celebrare facit sive *eodem*, quo eas colligerat, loco; sive *alio*, ubi eodem stipendio celebrantur: quorum primum certum est (7), alterum mihi vix incertum, nam simile est primo; et utriusque eadem est ratio; quia, nempe, casus hujusmodi rariores sunt: ea vero, quae raro accidunt, contemnunt legislatores (8).

---

(1) Bened. XIV. Cons. *Quanta cura.*

(2) Ex cit. Const. Ibi *qui turpi* LUCRI *cupiditate inducti, veluti* MERCATURIS *faciendis* etc.

(3) S. Alph. VI. 321. V. *Item licet.* Et ex ipso verbo *colligentes* satis apparet.

(4) Ex cit. Const. n. 12. *lucrum captantes.*

(5) Ex S C. C. 20. Aug. 1860. quae consulta an id fieri posset respondit « *Consulat probatos auctores* ».

(6) Viva in Alex. VII. Prop. 9. n. 8. dummodo, et pro modo laboris retineat, et ad hoc munus sit destinatus (S. Alph. VI. 322. d. 3.).

(7) Contra Const. *Quanta cura.*

103. Haec excommunicatio incurritur non cum quis colligit eleemosynas, sed cum, pro Missis celebratis, vel celebrandis tradito stipendio, retinet sibi hujus partem: nec quamlibet, sed eam quae alias grave furtum foret (§ 6 (15)). Omnes autem excommunicationi hodie sunt obnoxii; Clerici quoque. Sed et furti tenentur (9); seu gravis, seu levis, pro materiae quantitate (10): nisi alter retro dederit excessum sponte et liberaliter prorsus (11).

XIII.

104. « Omnes qui excommunicatione multantur in Constitutio-« nibus S. Pii V. *Admonet nos* quarto kalendas Aprilis 1567, Inno-« centii IX *Quas ab ac sede* pridie nonas Novembris 1591. Clementis « VIII *Ad Romani Pontificis curam* 26 Junii 1592, et Alexandri VII » *Inter cuctcras*. Nono kalendas Novembris 1660 alienationem et in-« feudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus. »

105. *Haec excommunicatio optima est ad conservandam jurisdictionem et dignitatem Sanctae Romanae Ecclesiae* (1). Actio, quae hac excommunicatione coerceatur, est agere penes R. Pontificem de alienatione Civitatum, Oppidorum, locorum ad jus et proprietatem S. Sedis seu immediate (2) seu mediate (3) pertinentium, exceptis locis publicatis et Fisco addictis (4). Nec excusatur *quocumque titulo* id pétatur v. c. gubernii, Vicariatus, feudi, census, permutationis (5) etc.: *quacumque ex causa* etiam, *meritorum*

---

(8) L. 7. D. *De Legib.*

(9) Cit. C. *Quanta cura.*

(10) Croix VII. II. 135. Cui autem facienda sit restitutio, utrum ei qui dedit, quia dominium ab ipso non abiit, uti Pasqual. q. 976; an celebranti, quia ab eo qui dedit dominium abiit, uti S. Alph. III. 322.? Existimo fieri posse, sive ei qui dedit, quippe is colligenti dedit quasi mandatario; sive ei qui celebravit, quippe cui jus *ad rem* est, ex dantis intentione.

(11) S. Alph. III. 321. v. exc. 2.°

(1) Urban. VIII Const. *Sacrosancti an. 1623.*

(2) Cit. C. *Admonet nos* § 3.

(3) Cit. C. *Quae ab hac* § 4.

(4) Greg. XIII. C. *Tanta tamque horrenda* § 13.

(5) Cit. C. *Admonet nos* §§ 1. 3.

erga S. Sedem, *vel necessitatis*, vel evidentis utilitatis *per quodcumque* tempus, etiam *longum* tantum, vel *ad vitam* vel tantum *ad beneplacitum* (6).

106. Personae quae huic excommunicationi fiunt obnoxiae sunt 1.° *Tractantes*, *consulentes*, aut *alias* de hac re *verba facientes*, ac propterea *de eligendis* ob id Oratoribus ad S. Sedem 2.° *Oratoris munus hujusmodi recipientes*: ac 3.° demum *alii quicumque alienationes hujusmodi R. Pontifici per se vel per alium insinuantes, vel suadentes* (7). Nec interest voce ne an scriptis id fecerint. Excommunicationem autem incurrunt illi statim ac Oratores proposuerint (8); dummodo, ut puto fuerint electi (§ 6. (4)): isti suscepto mandato, hi demum postquam cum R. Pontifice de hac re sermonem habuerint, vel scriptum obtulerint, etsi operam et oleum perdiderint.

XIV.

107. « Religiosos praesumentes Clericis aut Laicis extra casum « necessitatis Sacramentum Extremae Unctionis, aut Eucharistiae « per Viaticum ministrare absque Parochi licentia (1). »

108. Haec excommunicatio contrahitur ex administratione E. U., aut Viatici. Sed duo sunt in primis necessaria ad eam contrahendam, 1.° ut haec Sacramenta administrata fuerint absque Parochi licentia; utque 2.° extra casum necessitatis. *Parochum* heic accipere debemus, qui curam animarum habet (quocumque nomine vocetur) aut vices ejus gerit, cujus est haec Sacramenta ministrare in re praesenti. *Licentiam* vero accipimus vel praesumptam, idest si Parochus eam certe daturus fuisset (2); immo etsi

(6) Cit. C. § 3.
(7) Cit. Const. l. cit.
(8) Bonac. lib. 3. Disp. 2. q. 3. p. 41. n. 1.
(1) Ex Clem. I. *De Privil.* Qua praeterea vetitum erat ministrare *Eucharistiam* et *Matrimonium* solemnizare.
(2) Suar. *De Euch. 72. 2. 2.* Filiuc. Tr. IV. 161.

non fuisset daturus ei qui ministrat haec Sacramenta, si eam dedit aegroto (3). *Casus* autem *necessitatis* aestimari debet nedum ex periculo quo laborat aegrotus, sed et si Parochus non facile acciri queat (4).

109. Non omnes autem sunt obnoxii huic excommunicationi, sed tantum *Religiosi*, idest Regulares, ut antea (5): et si haec Sacramenta ministraverint *Clericis* aut *Laicis*. Itaque sive Sacerdos saecularis, vel Piae alicujus Congregationis ea ministraverit Clericis, aut Laicis, excommunicatio cessat; sive Regularis ea ministraverit Regularibus, vel his qui Regularium jure censentur (6), etiam alterius Ordinis, et extra Monasterium (7), cessat excommunicatio. Non item si ea ministraverit Clericis aut Laicis forte in suo Monasterio degentibus studiorum, educationis, aut valetudinis causa (8): nisi forte Sanctissimam Eucharistiam non per Viaticum, sed ei qui jam Viaticum recepit, iterum ex devotione ministraverit (9).

XV.

109 bis. « Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sa-
« cris Coemeteriis, sive Catacumbis Urbis Romae, ejusque territo-
« rii, eisque auxilium vel favorem praebentes (1). »

---

(3) Bonac. To. III. Disp. 2. Q. 9. nn. 5. etc.

(4) V. Sanch. *Dec. II. 13. 3.* Itaque excommunicatio cessat, si unum ex his desit, quamvis falso existimaveris utrumque deesse, quia falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat (L. 6. D. *Ad Municip.*): immo et si utrumque defuerit, si existimaveris saltem alterutrum non deesse; idest, vel necessitatem urgere, vel Parochum non invitum fore (Ex L. *Qui re 78. D. De Furt.*).

(5) Clem. I. De Privil.

(6) Ex Trid. Sess. XXIV. De Regul. 11.: idest Novitiis, et famulis qui actu eis inserviunt, et in septis sub eorum obedientia vivunt. His addendi sunt pauperes in hospitalibus ipsorum degentes (Cit. Clem. l.): et *viri* Tertiarii, qui collegialiter vivunt, vel cum claustralibus habitant (S. C. Epp. 20. Decemb. 1616. Ferrar. V. *Tertiarii* n. 3.).

(7) Bonac. l. c. n. 12.

(8) S. C. Epp. 21. Jun. 1848.

(9) Ex Rit. Rom. De Comm. Infirm. § 3.

(1) Ex Edict. 24 Aug. 1613. jussu Pauli V. Clem. X. C. *Ex commissae*

XVI. XVII.

110. « XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a « Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel « favorem (1). »

« XVII. Clerici scienter et sponte communicantes in divi- « nis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, « et ipsos in officiis recipientes (2). »

111. Ante Const. *Ap. Sedis* excommunicationem contrahebant quotquot cum vitando communicabant vel in crimine cirminoso vel in divinis, et illi quidem majorem (3), hi vero minorem (4). Hodie excommunicatio minor sublata est; major superest quidem, sed non incurritur nisi ab his qui communicant cum excommunicato *nominatim a Papa*, non ab alio. Et hoc expeditum est: verum si *excommunicatio* a R. P., *sententia* vero excommunicationis declaratoria ab alio in aliquem lata sit, vel contra, dubitari potest a quonam is excommunicatus dicendus sit. Et profecto, ni fallit, ab eo qui in ipsum sententiam tulit, ex hac enim incipit esse excommunicatus quoad nos (§ 20). Quamobrem si Episcopus v. c. Sejum, haereticum, sententia in ipsum nominatim lata, excommunicatum re-

---

13. Jan. 1672. Reliquiarum, quae inveniuntur in Cryptis et Coemeteriis Urbis, quasdam SS. Martyrum esse constat, e. g. cum phialae vitreae, aut figulinae ad loculos sepultorum intus, vel extra ipsos reperiuntur (S. R. C. 27. Nov. 1863.); contra quasdam constat martyrum non esse; ut illae quae reperire est in loculis apertis; quasdam denique utrum martyrum sint an minus, ambiguum est. Porro nos reliquias vulgo accipimus *Sanctorum*, proinde qui illas extrahit, non qui istas, vel has (si quid judico) excommunicationem incurrit. Illud non interest quantum quis extrahat, multum ne, an modicum (Cit. Edict.); et planum est. Licentia autem extraendi ab E.^{mo} Card. Vicario danda est (Clem. X. l. cit.).

(1) C. 29. De S. E.

(2) C. 18. Eod.

(3) Cit. C. 29. § 2. Porro crimen criminosum, seu *damnatum* dicitur illud propter quod excommunicatio lata fuit (Suar. 17. 2. 1.).

(4) C. 10. *De Cler. Excom. min.*

nunciaverit, qui cum eo communicat sive in crimine criminoso, sive in divinis excommunicationem non contrahit (Sed. V. § 159.).

112. Itaque hodie is solum, qui communicat cum eo qui excommunicatus fuit nominatim a R. P., contrahit excommunicationem. Et in duobus casibus tantum, idest 1.° si ei impenderit *auxilium* vel *favorem* in crimine criminoso (5); vel 2.° eum *receperit in divinis officiis* (6). Porro divina officia dicuntur quae Clerici obeunt ut Ecclesiae ministri (7): in his autem recipere aliquem est, si quid judico, illum admittere ad haec obeunda. Duae hae excommunicationes his distant: priori omnes sunt obnoxii, sive Clerici, sive Laici; posteriori Clerici tantum. Ab illa non excusat ignorantia, si fuerit crassa aut supina; ab hac excusat vel affectata. Demum illam incurrunt et hi, qui compulsi metu non tamen gravi (§ 8.); hanc hi solum, qui *sponte* communicant.

His addenda est XVIII. excommunicatio lata in eos, qui praesumunt absolvere ab excommunicationibus R. P. speciali modo reservatis (§ 70.).

(5) Cit. C. 29. § 2. Ut ecce si concubinarius concubinae excommunicatae iterum commisceat (C. 55. Eod.) In crimine nempe jam perpetrato; nam qui haec praestat in crimine perpetrando, cum nondum excommunicato communicat.

(6) Theologis hic *divina*, et *officia* idem sunt; nam quidam hoc loco sola *officia* memorant. ut Suar. De Cens. 10. 2. 9.: alii sola *divina* prout Bonac. loc. cit. Q. 5. P. 3. n. 3. Const. autem nostra aut utraque pro eodem accipit, aut profecto utraque exigit ad excomm. subeundam.

(7) Ex C. 18. De S. E. C. 11. *De Sponsal.*: seu quae *a solis Clericis fieri solent* (Salm. X. VI. 50. S. Alph. VII. 33.). Proinde si cum eo interfuerint tantum divinis officiis; si mortuo parentaverint, vel dederint sepulturam in loco sacro, excommunicatio, si quid judico, non intelligitur.

SECTIO TERTIA.

Excommunicationes latae Sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

113. » Excommunicationi latae sententiae Episcopis sive Ordi-« nariis reservatae subjacere declaramus. »

I.

114. « Clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Monia-« les post votum solemne castitatis matrimonium contrahere prae-« sumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis ma-« trimonium contrahere praesumentes (1). »

115. Ob religionis reverentiam vetitum est coire nuptias obstrictis, vel cum obstrictis Ordine Sacro, vel solemni castitatis voto; contrahentes autem excommunicationem incurrunt Episcopo reservatam (2). Uti autem haec excommunicatio eos teneat necesse est. Ut Matrimonium hujusmodi alias valere potuisset (§ 6. (12)). Quocirca excommunicatio non incurritur si aut 1.° consensus legitimus defuit, sive ex utraque parte sive ex alterutra, ut puta si alter simulate contraxerit, vel errore inductus, vel metu coactus (3): aut 2.° legitima forma, veluti si contraxerint, ubi Decretum Conciliare promulgatum est, sine Parocho et testibus (4): vel demum 3.° si quodvis aliud obstiterit dirimens impe-

---

(1) Clem. Un. *De Consang. et Affin.*

(2) In cit. Clem. Un. excomm. coercebantur etiam contrahentes cum *consanguinea* vel *affini*.

(3) Sanch. *De Matrim.* VII. 48. nn. 10. 12.

(4) Sanch. n. 85. Quamvis forte matrimonium, uti vocant, civile contraxerint. Dices, hoc, etsi matrimonium non sit, nihilominus matrimonii habet figuram, est enim contractus, qui juxta naturae leges esset verum matrimonium. Ita porro, sed nonne tale quoque est quod contrahitur sine Parocho et testibus? Cum socio criminis, cum infideli coram testibus et Parocho?

dimentum; v. c. si contraxerint cum consanguinea, vel affini, vel socio criminis, vel infideli (5). Ad haec necesse est, ut contrahere *praesumant*; ideo si uterque vel alter eorum ignorantia laboraverit, seu facti seu juris, licet crassa, et supina, excommunicatio ignorantem non tenet: etsi postea, re cognita, in cohabitatione perseveraverint (6).

II.

116. « **Procurantes abortum effectu, sequuto (1).** »

117. Abortus est - *Ejectio foetus immaturi* (2). Ut ex abortu contrahatur excommunicatio necesse est 1.° ut fuerit procuratus, utque 2.° revera sequutus fuerit. Procurare est, studiose et ex industria aliquid quaerere (3). Quamobrem excommunicatio non contrahitur nisi ex abortu voluntario directe et in se (4): illud non interest utrum sequutus fuerit ex causa physica v. c. ex ictu, veneno, oneribus mulieri impositis (5) etc.: an ex causa morali, idest ex terrore praegnanti incusso (6). Non contrahitur ex abortu voluntario indirecte et in causa, quamvis ex illicita actione prodierit; veluti si quis mulierem praegnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia etc. (7); eoque minus contrahitur ex abortu admisso sola culpa (civili), vel casu.

118. Deinde opus est ut abortus revera sequutus fuerit: nempe ex ea causa quae posita fuit, ut sequeretur. Itaque, sive mulier ex alia causa aeque efficaci maturius ejecerit,

---

(5) Navarr. 22. 45. Sanch. n. 14.
(6) Navarr. Sanch. n. 20.
(1) Xistus V. C. *Effraenatam.*
(2) Sporer. *Theol. Sacram.* Pars. IV. § 692.
(3) Sporer § 743.
(4) Sporer. § 709.
(5) Xistus V. loc. cit. § 1.
(6) Carmign. *Elem. Jur. Crim.* § 915.
(7) Sporer. §§ 738. 739.

v. c. si sumpto abortivo, mox ex alto deciderit; sive ipsa ex aliquo casu ante ejectionem perierit, utputa ferro, apoplexi, ruina, excommunicatio cessat (8). Sed etsi abortus sequutus fuerit, excommunicatio reum non tenet, quamdiu sibi non apparet sequutum fuisse; aut quamdiu probabile videtur sequutum fuisse ex alia causa (9). Illud hodie non interest utrum foetus animatus fuerit an inanimatus, quia Constitutio generaliter loquitur.

119. Hanc excommunicationem incurrunt *procurantes* abortum. Procurantem accipimus, excepta matre, (quam adhuc excusari puto ob metum infamiae, vel alterius gravis mali) qui curam, operam dat, sive per se, sive per alium, ut aliquid fiat. Ideo huic excommunicationi est obnoxius, ut antea, et qui jubet, et qui mandat abortum fieri, non item (secus ac antea) qui illum consulit, vel procuranti opem praestat (§ 10); ut ecce qui pharmacum parat: immo nec qui jussu aut mandato alterius facit, ut mulier abigat: nam *procurantes* accipere hoc loco debemus, ut in veteri jure (11), non eos qui pro alio, sed eos qui sive per se, sive per alium curant, faciunt, ut mulier ejiciat.

III.

120. « Literis Apostolicis falsis scienter utentes (1), vel crimini in ea re cooperantes. »

121. Qui Literas Apostolicas falsificat incurrit excommunicationem R. P. speciali modo reservatam (§ 58): qui utitur falsis, quique ei cooperatur excommunicationem incurrunt et ipsi, sive Laici sive Clerici (2) *sed* soli Episcopo reservatam. Et si quis admiserit utrumque; idest si literas

---

(8) Ex L. *Huic scripturae* 15. § *Si servus* D. Ad S. Aquil.
(9) Ex S. Alph. III. 562. 658. 698.
(10) Lugo Resp. Mor. Lib. II. Dub. V. n. 5.
(11) Xistus V. C. *Effraenatam* § 2.
(1) C. 7. *De Crim. Fals.*
(2) Lex non distinguit Clerici antea coercendi erant privationem officii et beneficii (Cit. C. § ult.) quae poena idcirco nunc exsulat (§ 17.).

falsificaverit, eisque postea usus fuerit, utraque excommunicatione irretitur. Porro *falsas* literas accipere debemus sive immutatas, sive suppositas (§ 60.): *utentes* vero qui eas exhibent ut effectum habere possint: demum *cooperantes*, qui utenti (non qui falsificanti) operam praestant (3).

SECTIO QUARTA.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

« Excommunicationi latae sententiae nemini reservatae subja-
« cere declaramus. »

I.

122. « Mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae Sepulturae
« haereticos notorios (1), aut nominatim excommunicatos vel in-
« terdictos (2). »

123. Non omnes Christifideles gaudent Ecclesiastica sepultura, sed quidam ea prohibentur ratione censurae, quidem ratione delicti. Ratione censurae ea prohibentur excommunicati vel interdicti (3) vitandi (4); haeretici, nempe ex secta (5), etsi non vitandi (6); et velut accessorie

---

(3) Patet ex iis verbis (§ 130.) *ea in re*. Porro cooperari, est alteri opem praestare: qui igitur nullam opem utenti adhibuit, sed tantum consilium dedit, vel hortatus est ad utendum, excommunicationem non contrahit (Ex L. In furti 51. § Opem D. De furt. - § 11. Inst. De Obligat. quae ex Delict.).

(1) C. 2. *De Haeret. in 6.°*

(2) Clem. 2. *De Sepult.*

(3) C. 12. *De Sepult.*

(4) Suar. *De Censur. 12. 4. 5.* quia haec prohibitio non cadit in ipsos, sed in alios fideles (S. Alph. VII. 164.).

(5) Martin. V. C. *Inter cunctas* ap. Giral. *Exp. Jur. Pont. Par. I. VII. 109.*

(6) Nam Const. nostra a vitandis eos nominatim secernit.

eorum receptatores, fautores, defensores (7): Demum schismatici (8). Scilicet sepultura Ecclesiastica est pars communionis Ecclesiae; quibuscum autem vivis non communicavimus, cum his nec mortuis licet communicare (9). Ratione delicti ea arcentur, qui in manifesto et notorio peccato mortali decedunt (10): quique intereunt in duello, vel ex vulnere in duello accepto (11). Et quia corpora efferre ritu catholico, eisque justa persolvere est pars Ecclesiasticae sepulturae, haec quoque, vel sola, eis praestare grave est. Vero cum privatio sepulturae Ecclesiasticae sit poena introducta jure Canonico, quoties sepultura Ecclesiastica sine gravi incommodo negari non potest, eam dare aut omni, aut gravi culpa vacat; dumne extorqueri velit in contemptum Ecclesiae (12).

124. At vero excommunicationem non incurrunt nisi qui *mandant*, vel *cogunt* TRADI *Ecclesiasticae sepulturae*, idest qui tumulo inferre, condere jubent; non item sepelientes, nec qui his cooperantur, eoque minus qui justa ei persolvunt (13). Sepulturam vero Ecclesiasticam accipimus quocumque in loco huic rei, vel divinis saltem officiis pe-

---

(7) CC. 8. 13. De Haeret.

(8) *Rit. Rom. Quib. non lic. dare Eccl. sepult.* § *2.*

(9) C. 12. *De Sepult.*

(10) C. 11. *De Sepult. Rit. Rom. loc. cit.* § *5.*: ut puta in furto, adulterio (C. 2. *De Bapt.*), hastiludiis (CC. 1. 2. *De Torneam.*) etc. Item blasphemi (C. 2. *De Maledic.*), usurarii (C. 3. *De Usur.*), meretrices (Salm. XVIII. III. 199.): et in primis qui sui compotes mortem sibi consciverint (*Rit. Rom. loc. cit.* § *3.*). Itaque hi arcentur sepultura Ecclesiastica, si morientes nullum dederint signum poenitentiae (C. 11. *De Raptor. Rit. Rom. ll. cc.*), vel si utrum dederint, non appareat (Laym. *De Inst. Tr. V. Cap. XII. 12. Pirhin. III. 38. 77.*).

(11) Trid. Sess. XXV. *De Ref.* 19. quamvis contriti, et absoluti decesserint (Ben. XIV. C. *Detestabilem* § 9.).

(12) Pirhin. Lib. 3. Tit. 28. D. 101. Reiff. III. 28. 78. Croi. VII. 259. Et re quidem vera responsum fuit a S. U. I. 13. Jul. 1609., sepulturam haereticorum tolerandam esse, si ei absque scandalo resisti non potest (Giral. E. I. P. 1. 609.).

(13) Cajet. V. *Excomm. n. 46.* Navarr. XVII. 137. Bonac. To. III. Disp. 2. Q. 2. P. 31. n. 10. Salmat. X. III. 77. Sed est grave (C. 12. Cau. 23. 15.).

ragendis, Episcopi seu benedictione, seu destinatione, vel communi usu et consuetudine, addicto (14). Quocirca excommunicationem non incurrit qui sepelit in loco profano, etsi ritu catholico (15): contra eam incurrit, qui sepelit in loco sacro, etiam nullo ritu adhibito (16).

II.

125. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuncian-
« tes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis
« scripturas diripientes, aut comburentes, vel praedictis quibuslibet
« auxilium, consilium, favorem praestantes (1). »

126. Laedere, et perterrefacere quid sint alias dixi: diripere proprie est in partes diversas rapere (2), et velut praedari (3); rapere autem est vi auferre. Quamobrem hanc excommunicationem non incurrunt qui scripturas S. Officii clam furantur, nec, ut puto, qui unam vel alteram aufert vi.

III.

117. « Alienantes et recipere praesumentes bona Ecclesiastica
« absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis Ambi-
« tiosae De Reb. Eccles. non alienand. (1). »

128. *Bona Ecclesiastica* accipimus 1.° quae sunt in patrimonio alicujus Ecclesiae, vel Monasterii: 2.° beneficia Ecclesiastica, et Cappellanias, etiam mere Laicales (2):

---

(14) Suar. *De Censur. 4. 12. 6.* Ut Ecclesiae, Coemeteria, Claustra (Salm. l. cit. n. 75.). Ad haec Ecclesia *polluitur* sepultura excommunicati vitandi, nec potest reconciliari nisi eo effosso (si discerni queat), et sublato (C. 12. h. t. C. 7. *De Consecr. Eccles.*).

(15) Sayr. III. 55. 6. Suar. l. cit. n. 13.

(16) Bonac. l. cit. P. 30. n. 5.

(1) S. Pius V. C. *Si de protegendis.*

(2) Forcellin. V. *Diripere.*

(3) Ex LL. 4. 7. D. De Incend. ruin. etc.

(1) Haec tamen quoad poenas *paucis in locis* recepta fuit (S. Alph. IV. 187.). In Regno Neapolitano, immo et in tota Italia receptam fuisse testantur (Genuens. *Prax. Cur. Neap.* 75. 1. Schmalz. III. 13. 123.).

(2) Berard. I. E. U. To. II. Diss. VI. Append. v. *Deinde*: nam licet

3.° demum bona cujusvis Loci Pii, dummodo auctoritate Ecclesiastica sit erectum (3). Bonorum hujusmodi dominium est penes Ecclesias ipsas et Loca Pia, administratio penes Rectores eorum, vel Oeconomos; cura et velut tutela penes locorum Ordinarios (4). Quocirca illi ea alienare omnino non possunt, et si alienaverint nihil agunt (5); hi non possunt regulariter alienare immobilia et mobilia praetiosa sine Beneplacito Sedis Apostolicae (5 bis). Et vocabulum alienationis heic latissime acceptum est; nam continet omnes contractus, quibus 1.° vel dominium transfertur, velut in solutum dare, permutare, in emphyteusim concedere (6): vel 2.° aliquod jus reale ab Ecclesia decedit, vel onus reale imponitur rebus Ecclesiae; v. c. census (7) hypotheca (8),

---

sint aliquid temporale, bona earum in Ecclesiae dominium translata sunt; secus ac in Legatis Piis, quorum bona penes haeredes remanserint. Nihilominus cl. Lucidi De VV. SS. LL. To. III. n. 44. § 16. putat alienantem bona Cappellaniae Laicalis poenas quae continentur in Extr. *Ambitiosae* haud incurrere.

(3) Laym. De Iust. IV. X. 1. Pirhin. III. 13. 4. Schmalz. n. 4.

(4) V. Sarmient. *De Redit. Eccl. Par. 1. Cap. 1.*

(5) Bonac. To. 1. in fin. *De Alien. Bon. Eccles.* P. 2. n. 8.

(5 bis.) Extr. *Ambitiosae* h. t. (De Reb. Eccl. non alien.). Porro *mobilia praetiosa* intelligimus vasa aurea, argentea, gemmas (L. 22. C. De Administr. Tut.), quaeque vel antiquitate praestant, vel artificio (Reiff. III. 13. 12.); dummodo valeant saltem 25 aureis de Camera; idest libellis circiter 212 (V. Schmalz. n. 3.); greges, armenta, bibliothecas copiosas (S. Alph. IV. 187.), etc.

(6) C. 5. h. t. *Exceptis bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis* (Cit. Extr. § 1. h. t.); idest quae jam ab annis saltem 40. datae fuerint in emphyteusim semel vel iterum (Fagn. in C. *Nulli h. t. n. 19.*). Sed apud nos hodie haec quoque excludenda sunt, cum sit in potestate domini utilis redimere quandocumque praedia vectigalia; quovis pacto in contrarium sublato (Cod. Ital. AA. 1557. 1564.).

(7) Clem. 1. *De Verb. Sign.*

(8) Cit. Extr. § 1. nempe specialis (Ex C. 5. h. t. Fagnan. l. c. n. 30.). Ideo hypotheca generali predia Ecclesiae obligare Episcopus non prohibetur. Verum haec hypotheca hodie apud nos exsuiat (C. Ital. A. 1965.). Sed an possit in antichresim dare? Minime ubi adhuc viget jus Romanum; quo jure antichresis instar pignoris est (L. 38. De Pign. Act.); uti apud Gallos (Cod. Gall. A. 1072.); non item, ut puto, apud nos (C. It. A. 1897.).

servitus (9); vel (servitus) ei debita remittitur (10). Et 3.° locationes ultra triennium (11) utile seu fructiferum (12).

129. Dixi *regulariter*; nam adhuc possunt alienare 1.° praedia exigui valoris (13), vel quae plus incommodi quam commodi afferunt (14); et quidvis aliud, si vel urgeat necessitas, quae moram non patitur, vel adsit occasio quae alias transiret (15): et 2.° relicta vel donata Ecclesiae ea lege, ut alienari possint (16), aut empta cum pacto revenditionis (17). Et quia is *qui conditione acquirendi non utitur non videtur alienare* (18), potest jure suo oblata Ecclesiae vel relicta, necdum acceptata, repudiare; utputa donationem, haereditatem (19), legatum (20): adeoque potest non pa-

---

(9) L. 7. C. *De Reb. alien. non alien.* etiam personalis tantum (Cit. L. 7. C. 20. Cau. 12. 2.), ut usufructus.

(10) L. 5. D. *De Fund. Dot.*

(11) *Cit. Extr. Ambitiosae h. t.*

(12) Fagnan. in C. *Nulli* n. 43. h. t. S. Alph. IV. 187. not. VII. Amplius; beneficiatis vetitum est ea vel ad triennium locare repraesentata mercede; scilicet ne successoribus noceant (Trid. Sess. XXV. De Ref. 11.).

(13) C. *Terrulas* 53. Cau. 12. 1. S. C. C. ap. Fagn. in C. *Nulli* n. 23. h. t. Etiam suae mensae, quae juravit non alienare (C. 8. § 1. h. t.). Exigui autem valoris esse quae plus 25. aureis de Camera non aestimantur, post multas varietates obtinuit (S. C. C. 29. Novemb. 1613. Giral. Exp. Jur. Pont. h. t. Sect. 444.); nisi plus ferat Dioecesis consuetudo. Dixi *praedia*, et non pars exigui valoris alicujus praedii (Clem. VIII. ap. Monac. To. II. Tit. 14. Form. 4. n. 3.).

(14) Ex CC. 7. 8. § ult. h. t. Pirhin. h. t. n. 19. Schmalz. h. t. n. 39.

(15) Ferrar. h. v. I. 3. Schmalz. nn. 55. 59. 62. 112. Croi. III. II. 1367. S. Alph. IV. 187. Not. VI.

(16) De Luca *De Alien. Disc. 1. 128.* S. Alph. IV. 187. Not. II.

(17) Croix. IV. 1364. Quod alii perperem negant (V. L. 1. De Const. pecun.).

(18) L. 28. D. De Verb. Signif.

(19) L. 6. § 2. D. *Quae in Fraud. Credit.* De Luca *De Donat.* Disc. 23. 16. *Communissima.*

(20) Ex cit. L. 6. § *Perinde* Pirhin. h. t. n. 41. Sanch. De Matr. VI. 4. 33. Schmalz. h. t. n. 15. Nonnulli putant Episcopum haereditatem repudiare posse, legatum non posse, quia *legatum recta via ab eo qui legavit* (secus ac haereditas) *ad legatarium transit* (L. 66. De Furt.) Sed non recte (V. L. *Si tibi* 88. § 2. D. *De legat.* 1. V. Reiff. III. 10. § 2.): et vix non aperte in jure cautum est (L. *Si sponsus* § *simili modo D. De Donat. inter Vir. et Uxor.*).

rere conditioni, sub qua aliquid Ecclesiae relictum est, vel promissum (21); eoque magis non uti exceptione, qua jus aliquod Ecclesiae acquireretur vel redintegraretur (22). Ex quo patet posse ipsum etiam transigere in re dubia, non quidem diminuendo, sed non acquirendo (23). Nec alienatio est pecuniam mutuam accipere (24), vel, in arca Ecclesiae existentem, collocare (25); dummodo, si collocanda sit ex juris necessitate, in *re soli* frugifera, eaque deficiente, in censibus realibus collocetur (26).

130. His positis ad Const. nostram veniamus. Alienationes factae absque Benepl. Apost. ad formam Extrav. *Ambitiosae* excommunicatione plectuntur. Itaque excommunicatio non contrahitur nisi talis res alienata fuerit, quae sine Benepl. Apost., et quoties sine Apost. Benepl. alienari non poterat. Et quia in alienationibus quae fiunt de Ecclesia in Ecclesiam non satis convenit utrum opus sit hujusmodi Beneplacito (27), puto in his excommunicationi locum non esse. Plus: si alienatio facta fuerit ex justa causa, et sine Ecclesiae detrimento, reor excommunicationem cessare; etenim recepta sententia est, alienationem hujusmodi valere in foro conscientiae, quamvis in foro exteriori non valeat (28). Excommunicatio autem tenet

---

(21) L. 6. § 1. D. *Quae in fraud. Credit.* Ceterum, si haec damnosa fuerint Ecclesiae, tenetur damni (L. 7. C. *Arbitr. Tut.*).

(22) Laym. Croi. IV. 1364. velut remittere caducitatem emphyteusis (Bonac. To. I. in fi. h. t. 2. 21.): quod is et licitum esse tenet (To. III. D. 2. Q. 4. P. 11. n. 7.). Dixi *qua* etc.; nam si Ecclesiae jam fuerit jus acquisitum, alienare videretur; e. g. in re usucapta, vel empta ea lege, ut in quinquennio proximo tantum redimi posset, hoc elapso.

(23) Ex L. *Lucius 47.* § *ult. D. De Admin. et peric. Tutor.*

(24) Ex L. 3. C. *Quando ex facto Tutor.* C. 5. h. t. Ferrar. V. *Alienatio* IV. 44. V. Ben. XIV. Not. 69.

(25) Ex L. 16. D. De Adm. Tutor.

(26) V. Trombetta Praxeos Regulae etc. Cap. VII. Talia sunt donata vel relicta ut collocentur; vel redacta ex venditione alicujus praedii, aut redemptione census (S. C. C. 24. Nov. 1787 - 21. Jun. 1788. Cf. Lucidi II. p. 420. n. 65.

(27) V. Reiff. III. 13. 49. ubi negativam sententiam tuentur Barbo. Ricc. Trevis. Pal. Engel.

(28) Navar. Engel. h. t. n. 19. Zoes. h. t. n. 17. Pirhin. h. t. n. 36.

alienantes et *recipientes*; adeoque non consentientes (29), consulentes, faventes etc. (30); eoque minus eos, qui res Ecclesiasticas destruunt, v. c. aedes diruunt, arbores caedunt (31), vel eas furantur, diripiunt (32). Nec omnes alienantes, sed quibus administratio earum credita est (33). Immo locationes ultra triennium carent et culpa et censura, si vel factae fuerint ea lege ut finito unoquoque triennio, liceat locatori a locatione discedere (34); vel a fructuariis, v. c. beneficiatis, Capellanis sint factae, quippe resoluto jure eorum intercidunt (35). Denique, quia id

---

Schmalz. h. t. n. 133.; ibique Azor. Sylv. Regin. Reiff. h. t. n. 53. Laym. De Legib. XVI. 9.

(29) Bonac. To. I. in fi. Disp. 2. P. 2. n. 29. Nec hodie Delegatos Apostolicos, qui decretum vel auctoritatem interponunt in detrimentum Ecclesiae (Contra B. Pauli II. *Cum omnibus judiciis*).

(30) Ex C. 6. h. t. At vero alienantes et accipientes heic intelligere debemus eos, quorum mandato ac nomine alienatur, accipitur; non mandatarios; agitur enim de contractu.

(31) Bonac. To. I. h. t. l. 7. Item, ni fallit, si in fundo fodinas aperierit; nam quae ruta caesa fundi esse desinunt, lato quodam sensu immobilia dicuntur (V. Voet ad Pand. l. 8. 13.).

(32) Ex D. U. I. 9. Mart. 1870.

(33) Ex Extr: *Ambitiosae.* Bonac. l. c. P. 5. n. 1. ibique Felin. Zabar. Sopran. etc. Nec Episcopi, licet sint administratores, quippe qui in cit. Extr. solo interdicto ab ingressu Ecclesiae coercentur. Quidam putant, eos qui non sunt administratores, contrahere excommunicationem quasi usurpatores; sed alii contra putant, et rectius (V. Bonac. l. c. n. 3.).

(34) Reiff. III. 18. 23. Quid si locatio fuerit facta per plura, v. c. quatuor, triennia, sed non hac lege? Et siquidem simpliciter sic inita sit, perinde est ac si ad 12 annos inita esset; adeoque nec culpae eximitur, nec censurae. Sin autem convenerit, ut finito primo triennio renovari debeat et sic deinceps, quamvis tunc non liceat a locatione discedere, plures tenent et culpam et censurum abesse, quia non locatio est, sed locationis promissio; promissio vero promittentem, non rem quae promittitur, obbligat (L. 3. De Pollic.); sive cum administratore (Croix IV. 1368. S. Alph. IV. 187 not. 7), sive cum ipsa communitate v. c. Monasterio (Filiucc. Tract. 44. 19. Lugo Resp. Mor. III. 12. 4.) id convenerit.

(35) L. 9. § 1. D. Locat. Laym. S. Alph. IV. 187. in fi. Porro Bened. XIV. vetuit Clericis *vendere suorum beneficiorum reditus et proventus vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta per unam vel plures solutiones mercede earum aut pensionibus* (C. *Universalis Ecclesia* § 2.). Num igitur, si quis vendiderit reditus sui beneficii pro mercede, vel pensione annua,

quod semel a me abiit amplius abire non potest, si quis rem à se acquisitam contra formam Extr. Ambitiosae, alienaverit, nec ipse, nec qui accipit excommunicationem incurrit. Demum excommunicatio non intelligitur, quamdiu alienatio perfecta non fuerit ultro citroque; c. g. re nondum tradita (36); immo et tradita, si vendita fuerit sub conditione suspensiva (37).

IV.

131. **Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra « mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint « ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris « Gregorio XV Const.** *Universi* **10 Augusti 1611, et Benedicto XIV « Const.** *Sacramentum poenitentiae* **1 Junii 1741 (1). »**

132. Ut sciamus quando quis necesse habeat denuntiare Sacerdotem, a quo fuit sollicitatus, prius sciendum est

---

sed ultra triennium, incurrat excommunicationem Extr. *Ambitiosae?* Non puto; nam haec vera venditio est; quam multi, quia nullo jure prohibetur, licitam putant (Abbas. Covarr. Azor. P. 2. Lib. 9. Cap. 2. Q. 7. Gonzal. in C. 9. n. 2. h. t.).

(36) Navarr. Cons. 18. h. t. Filiucc. 14. 329. Reiff. h. t. n. 67. Schmalz. h. t. n. 165. Scilicet, jure Romano (cui jus Canonicum adhaesit) dominium rei emptae, nisi traditione sequuta, in emptorem non transit. At vero ex novissimis fere totius Europae legibus, at in primis ex Cod. Gall. A. 1583. et Ital. A. 1448 nulla traditione opus est; num igitur excommunicationem incurrat, ubi hoc jus viget, qui rem venditam nondum tradidit vel accepit? Non puto; nam quamdiu possessio in emptorem non transit, adhuc aliquid penes venditorem remanet.

(37) Ex § 4 *Instit. De Verb. Oblig.* nam, quamdiu conditio in pendenti est, dominium a venditore non discedit: quis autem alienatum dixerit quod adhuc in dominio venditoris remanet (L. Alienatum 67 D. De Verb. Sign.)? Aliud juris est si conditio fuerit resolutiva, quippe res illico transit in acquirentem (LL. 1. 2. 6. D. *De in diem addict.*). Exinde resolvi potest ea quaestio, utrum incurrat excommunicationem qui vendit vel emit *reservato Beneplacito Ap. Sedis*, quod alii affirmant, alii negant (V. Bonac. l. c. P. 4. n. 5.): nam, si appareat hujusmodi conditionem resolutivam esse, recte illi; sin suspensivam, recte hi: et si neutrum appareat, suspensivam esse tenendum puto (Ex C. 30. De Reg. Jur. in 6.°).

(1) Ben. XIV cit. Const. (qua Const. Gregorii XV. totidem fere verbis

quid sit sollicitatio. Est igitur sollicitatio — *Facta a Sacerdote tamquam a Confessario ad turpia provocatio.* — Necesse est igitur 1.° ut intercesserit provocatio ad turpia; 2.° ut haec a Sacerdote sit facta; ut 3.° tamquam a Confessario. *Ad turpia*, idest obscena (2); nempe tactus, aspectus; immo etsi ad sui dilectionem tantum poenitentem allicere tentaverit (3). Nec interest quo modo provocatio sit facta, verbisne, an tactibus, nutibus etc. (4). Nec proderit Sacerdoti quod statim sollicitationis ipsum poenituerit, vel in ipsa sollicitatione destiterit (5).

133. Ut *a Sacerdote :* itaque si is qui sollicitat non sit Sacerdos, denunciatio cessat (6). Nihilominus si Sacerdos sollicitatus a Poenitente consenserit, responsum est denunciari oportere (7).

134. Demum ut tamquam *a Confessario* (8). Ex hoc capite animadvertendum, erit utrum sollicitatio fuerit facta in confessione, an extra illam. Si in confessione, reus erit semper sollicitationis; sive provocaverit poenitentem in *actu confessionis*, sive *immediate ante*, sive *immediate post.*

---

inseruit), denunciari et coerceri jubet « (§ 1.) Omnes et singulos Sacer-« dotes..... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel « in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confes-« sionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occa-« sionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas con-« fessiones *destinato* aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem « ad inhonesta *et turpia* sollicitare pro seipso, vel pro alia persona (§ 2.) « vel provocare *sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per* « *scripturam aut tunc aut post legendam* tentaverint. »

N. B. Quae excripsimus Italicis literis desunt in Const. Greg. XV.

(2) S. Alph. VI. 684. V. §....Itaque sive ad aliud crimen, v. c. furtum perjurium, excitaverit in confessione, cessat sollicitatio (S. U. Inqu. 11. Febr. 1661. n. 11.); sive excitaverit ad turpia in aliis Sacramentis, sollicitatio cessat (S. U. I. n. 10. S. Alph. VI. 683. 684.).

(3) V. S. Alph. VI. 704.).

(4) Ben. XIV cit. Const. S. P.

(5) S. U. Inq. cit. Decret. n. 2.

(6) Ex cit. Bull. §§ 1. 2. S. Alph. VI. 688.

(7) S. U. I. cit. Dec. n. 2.

(8) Ex cit. C. §§ 1. 2. adeoque hic non pertinet Sacerdos interpres (S. U. Inq. cit. Dec. n. 6.).

Verum hoc adverbium « *immediate* » stricte accipiendum est (9); nempe, si inter sollicitationem et confessionem — inter confessionem et sollicitationem *nihil mediet* (10). Sin extra confessionem, sollicitatio non intelligitur, nisi provocatio hujusmodi facta fuerit confessionis occasione, vel praetextu, vel simulatione. *Occasione*, nempe si petentem confiteri, *illico* pellexerit ad turpia, confessione dilata in posterum (11). *Praetextu*, idest si Sacerdos confessionem praetexat ut sollicitet poenitentem, non si poenitens eam praetexat ut Confessarium sollicitet (12): nec si uterque ex condicto ut alios fallant (13). Demum *simulatione* confessionis, idest si dum fingit Sejae confessionem audire, eam provocat ad turpia: Verum ut videatur simulare confessionem, necesse est, ut stet vel in confessionario, vel in loco

---

(9) S. Alph. VI. 677.

(10) Salm. XXI. IV. 48. Idest si neque Confessarius, neque poenitens ad alia facta diverterint (S. Alph. loc. cit.). Ut ecce si petentem confiteri sollicitet; et continuo confessionem ejus excipiat; vel confessum e vestigio in cubiculum duxerit et provocaverit (Salm. n. 50.) Caeterum semper initium sollicitationis inspiciendum est, nam sollicitatio intelligitur in *ipsa* confessione, vel immediato *ante*, vel immediate *post*, si tunc Sacerdos fecerit aliquid aut dixerit sollicitandi animo, etsi hic postea apparuerit; veluti si det poenitenti chartam, in qua eum ad turpia incitat, postea legendam (Prop. 9. damn. ab Alex. VII.), si domum invitet, aut domi suae ipsum expectare se jubeat, et domi sollicitet. (S. Alph. 676. 704. 3.).

(11) Salm. n. 52. tametsi nondum ipse sederit, nec poenitens genuflecterit (S. Alph. 677.). Verum ut videatur facta *occasione* Confessionis, et tamquam a Confessario, necesse 1.° est, ut poenitens aut petat confiteri *statim*, aut in *ipso confessionario* petet v. g. *cras confiteri*: itaque si is *extra confessoinarium* petat confiteri *postridie*, sollicitatio cessat (Ex cit. Decr. S. U. Inqun. 4.). 2.° Ut Confessarius illico pellexerit poenitentem: nam si muher v. c. sistat se Confessario, isque, confessione in aliud tempus dilata, de aliis rebus colloqui caeperit; et in *progressu collocutionis sollicitet*, non videtur sollicitare quasi Confessarius (S. Alph. VI. 677. Clau. 2.). Ex quibus licet intelligere, nec eum quasi confessarium sollicitare, qui, cognita in confessione poenitentis fragilitate, domi eum adit et urget (Diana Trull. Salm. n. 51. Auctor Operis cui titul. *Istr. pe. Nov. Conf. P. 22. Cap. XIV. 223.*); quippe is ex confessione notitiam, ex notitia sollicitandi ansam capit.

(12) Bonac. t. 1. in fin. Disp. 6. quaes. 7. Resp. 2. Salm. 55.

(13) S. Alph. 6. 679.

destinato, aut electo ad audiendas confessiones (14); utque nedum in hoc, et in isto, quod nemo dubitat, sed et in illo fingat se confessionem audire (15).

135. Itaque poenitens necesse habet denunciare Sacerdotem a quo sollicitatus fuit, quamvis is non sit Confessarius, et non pro se ipso sollicitaverit, sed pro alio. Nec refert cujus aetatis, aut sexus ipse poenitens sit, et utrum sollicitationem animadverterit, vel intellexerit tunc, an serius; dummodo animadverti et intelligi revera potuisset (16); et licet ipse sollicitationi consenserit, aut sollicitatio mutua fuerit (17). Nec liberatur confitendo ei qui sollicitavit (18), nec eo quod sollicitatio fuerit occulta (19), et probari nequeat (20); vel quia multum post eam tempus effluxerit (21), aut quod nulla correctio fraterna praecesserit (22), vel sollicitans sponte comparuerit (23), immo etsi hunc sollicitationis mox poenituerit, immo etsi in ipsa sollicitatione destiterit (23 bis). Nihilominus cessat obligatio

---

(14) Loca *destinata* dicuntur cellulae illae in Ecclesiis extructae, ubi subsellia cum imaginibus Crucifixi hujus rei causa posita sunt: *electa* ea, in quibus quis in praesens, pro re nata confessionem excipit; sive domi, sive in agro, sive in via: quibus autem opus sit, ut his in locis confessio simulari videatur, in facto non in jure consistit.

(15) Ronc. Pal. Salm. n. 57. Et palam apparet ex cit. Decr. S. U. Inq. n. 15. *An sit denunciandus Confessarius qui sedens in Confessionario sollicitat mulierem stantem ante Confessionarium non simulando confessionem?* — Resp. — *Opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

(16) Cit. B. *Sacram. Poenit.* § 1. Non enim cessat sollicitatio, quia sollicitatus eam non animumadvertit.

(17) Cit. § 2. Nam potest hoc reticere (S. U. I. 27. Septem. 1724.): et si fuerit interrogatus, quod nefas est (S. U. Inq. 20. Februar. 1867.), negare poterit (S. Alph. VI. 700.).

(18) Prop. 7. damn. ab Alex. VII.

(19) S. Alph. VI. 694. Lex non distinguit; et alias vix denunciationi locus foret.

(20) Prop. 5. damn. ab Alex. VII.

(21) B. *Sacr. Poenit.* § 2.

(22) Alex. VII. Decret. 8. Jul. 1660. Quid si jam emendatus fuerit? Multi negant esse denunciandum (V. S. Alph. VI. 686.).

(23) S. U. I. 26. Jul. 1628.

(23 bis) S. U. I. 11. Febr. 1661. n. 2.

denunciandi si fieri nequeat absque incommodo admodum gravi (24), et quamdiu sollicitatio certa non fuerit et manifesta (25).

136. Poenitens autem necesse habet denunciare Confessarium, seu Sacerdotem infra mensem; nec absolvendus est *nisi prius denunciationem ad effectum perduxerit* (26): et si, cum posset id facere, omiserit, post mensem elapsum incidit in excommunicationem. Verum, quia tempus non currit ignoranti (27), mensis computandus est ex quo scivit et 1.° obligationem denunciandi, et 2.° excommunicationem adnexam huic obligationi, et 3.° tempus obligationi praefixum: quamdiu igitur primum ignorat *culpa*, quamdiu alterum *contumacia* cessat. Quid si tertium tantum? Et siquidem falso existimavit denuntiationem protinus

---

(24) Salm. XXI. IV. 89. Ronc. Cap. 2. pr. et profluit ex doctrina S. Alph. 699. in fi., qui loquens de muliere, quae multum repugnat adire Inquisitores, docet posse eam expectare Confessarium qui pro ipsa denunciationem deferat, *quia praecepta positiva non obligant ad rem nimis arduam* (cit. n. 699. in fi.). Sane S. U. I. 22. Januar. 1727. Praefecto Missionum in America respondit, mulieres sollicitatas non teneri ad denunciationem, si Ministri Inquisitionis, in longinquis regionibus degentes, sine *gravi incommodo* adiri nequirent (Antoi. To. 4. Tract. De Poenit. h. t.).

(25) S. Alph. VI. 702. Sive incertum sit uter sollicitaverit v. c. Sejus ne, an Cajus; nisi judex id certo dignoscere possit: sive sollicitatio ipsa fuerit dubia facto, vel jure. Porro *facto* dubia videtur sollicitatio, cum non satis constat an Sacerdos revera sollicitaverit; idest cum obscura sunt vel ambigua, et verba (signa, nutus), et intentio. Scilicet, si verba sunt aperta, intentio obscura, verbis standum est (Ex C. 7. De Sponsal. S. Alph. l. c.): contra, si verba sunt ambigua, intentio manifesta, haec sequi debet (Ex L. 67. pr. D. De Leg. 1. S. Alph. l. c.). At si utrumque est in obscuro, denunciatio cessat; ut ecce si Confessarius, vir gravis et integer vitae, laudaverit poenitentem de pulchritudine et venustate; aut donum mulieri dederit. (S. U. I. 11. Februar. 1661. n. 12. 16.).

Jure autem dubia intelligitur sollicitatio, quoties non satis constat, aut convenit, num Sacerdos sollicitaverit quasi Confessarius: ut puta si non appareat utrum sollicitatio facta fuerit *immediate ante* confessionem; vel an *immediate post*; vel utrum *occasione*, utrum *praetextu* confessionis. Ceterum dubia hujusmodi in aestimatione non poenitentis, sed Confessarii esse debent.

(26) B. *Sacram. Poenit.* § 2.

(27) Ex L. 5. D. *Quis ord. in bon. poss.* C. 3. *De Suppl. negl. prael.*

faciendam esse, excommunicatio eum non tenet quoad mensis decurrerit (§ 9 (29)); sin quandocumque sibi libuerit, eam nec post mensem incurrit, quamdiu bona fide existimat adhuc posse differri. Ceterum si promiserit denunciaturum, et ei fides haberi possit, absolvi poterit; et nedum *a peccatis* ante mensem elapsum, quod in Const. Bened. XIV. expresse cautum est, sed et *ab excommunicatione* post mensem (28), quia Const. nostra quando id voluit expressit (§ 81); Nec puto ipsum reincidere in eamdem excommunicationem, si postea fidem fefellerit (§ 167).

---

137. « Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos sa-
« crosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Ponti-
« fici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione ex-
« communicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus;
« excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. *De editione et usu*
« *Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus,
« qui libros de rebus sacris (1) tractantes sine Ordinarii approba-
« tione imprimunt, aut imprimi faciunt (2). »

ARTICULUS SECUNDUS.

SUSPENSIONES.

137. bis. Suspensio est – *Censura qua clerico officio beneficioque interdicitur* (1). Fertur in clericos; nempe

---

(28) Avanzi. pag. 114. Nec solum poenitentes tenentur denunciare confessarios sollicitantes, sed quisquis praeterea sollicitationem resciverit (S. U. I. ap. S. Alph. VI. 680. in fi.) a personis fide dignis (S. Alph. n. 695.), dum ne eis revelatum sit consilii petendi causa (S. A. VI. 698.): verum hi, ni denunciaverint, hodie excommunicationem non subeunt.

(1) Libros nempe *sine nomine auctoris*, quoad hos enim constituta fuit excommunicatio a PP. Tridentinis l. c. *De rebus Sacris* idest ad Religionem pertinentibus (V. § 28. (5.)).

(2) Ergo excommunicatio non amplius tenet qui hujusmodi libros vendunt, retinent, evulgant etc. Qui *imprimunt*: adeoque et typographi, editores etc. (V. § 91.).

(1) V. Berard. P. II. Disp. VI. Cap. VI. *Officii* appellatione omnis

singulos. Sed interdum in personas quoque Morales (uti vocant), scilicet Ecclesiasticas, utputa Monasteria, Capitula fertur. Quod cum fit, animadvertendum est, utrum lata sit v. c. in Capitulum, an in singulos ejus Capituli clericos, an in Capitulum et singulos: illa enim cadit tantum in personam Moralem, ista in singulos tantum (2). Prior adimit quae personae morali, non quae singulis competunt (3): contra altera quae competunt singulis, non quae personae morali (4): illa est privatio quaedam, haec vera censura est (5); nisi forte lata sit in insontem, vel pro delictis omnino praeteritis, vel in perpetuum, vel quamdiu ordinario videbitur, vel in diem certam (6). Exinde patet quid juris sit, si lata fuerit in personam moralem et singulos una simul. His praemissis videamus quae sint.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I.

138. « Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficio-« rum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus « Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes qui ad illarum, seu « illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve « Praelatos de praedictis Ecclesiis, seu Monasteriis apud eamdem

---

potestas spiritualis significatur (Suar. de Const. 25. Q. 10.), sive jurisdictionis sive Ordinis. Juris dictionis sive interni sive externi fori. Ordinis sive majoris, sive minoris, exceptis his officiis, quae tonsurae cohaerent (Salmat. X. V. 17. 27.). Nihilominus quia hodie Laici quoque minoribus ordinibus defungi solent, hi suspensioni subtrahuntur (Salm. n. 24.).

(2) Salmat. X. V. 43.

(3) Ex L. 7. D. *Quod cujusq. univers.* V. Suarez. *De Censuris. Disp. 28. Sect. 3.* v. c. jus cogendi comitia Capitularia, nominandi ad beneficia Eccles., etc.

(4) C. 40. *De Elect. in 6.°* ut puta jus celebrandi, absolvendi a peccatis, etc.

(5) Salmat. l. c. n. 47.

(6) V. § 13. Suspensiones hujusmodi ipsae quoque aut poenae sunt, aut privationes quaedam; quarum violatio irregularem non facit, excepta ea quae a R. P. lata est in diem certam, v. c., ad triennium (C. 1. § 2. *De Sent. et Re jud. in 6.°*

« S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Lite-
« ras Apostolicas de sua promotione (1). »

II. III. IV.

139. « II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum
« ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel
« patrimonii (1) cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis ali-
« menta (2). »

« III. Suspensionem per annum ab ordinum administratione
« ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prae-
« textu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime
« sufficientis, absque ejus Episcopi literis dimissorialibus (3), vel
« etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit,
« ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Or-
« dinarii ejus locis literis testimonialibus (4). »

« IV. Suspentionem per annum a collatione Ordinum ipso
« jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sa-
« crum contulerit absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in
« aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emit-
« titur, vel etiam religioso nondum professo (5). »

140. Omnes suspensiones quae hisce quatuor articulis recensentur ad *Ministrum* et ad *titulum* sacrae Ordinationis pertinent. Ordinationem heic accipimus collationem cujusvis ordinis, etiam tonsurae (6). Ministri Ordinationis sunt Episcopi. Jure autem singulari S. R. E. Cardinales, et Abbates

---

(1) Extr. 1. De Elect. Quaestionis est, utrum Capitula et Monasteria incurrant suspensionem a solis beneficiis quae communiter possident, uti censuit Suar. 31. 5. 23.; an et ab his quae singuli obtinent, ceu ratus est Bonac. To. 3. Disp. 3. Q. 4. P. 10. n. 4.? Sententia Suaresii et verbis Const. nostrae, et regulis juris Canonici magis convenit; et in dubio, cum versemur in odiosis, praeferenda est.

(1) C. 23. *De Praeb.* Trid. XXI. *De Ref. 2.*

(2) C. 45. *De Simon.*

(3) C. 2. *De Temp. Ord. in 6.°* Trid. *Sess. XXIII.* De Ref. 8. Innoc. XI. B. *Speculatores.*

(4) Ex Cit. B. *Speculatores* § 4.

(5) Ex C. S. Pii V. *Romanus Pontifex Sacrorum.*

(6) Ex Cit. B. *Speculatores* § 3.

vere nullius cum Mitra et anulo ab Episcopi benedicti, conferunt ordines non hierarchicos, illi in Titulis quisque suis, hi *Regularibus tantum* suis *subditis* (7). At vero nemo licite confert ordines, nisi qui et communionem habet cum Ecclesia Catholica, et suus Episcopus est (8). *Suus* autem Episcopus quis dicitur ratione vel originis, vel domicilii, vel Beneficii (9), vel famulatus (10). Episcopus *originis* is dicitur, in cujus Dioecesi domicilium habebat, tunc cum Ordinandus in lucem prodiit, pater ejus (11), vel, si spurius est, mater. (12). *Domicilii* in cujus dioecesi perpetuam habitationem sibi constituit (13): *Beneficii* in cujus Dioecesi congruum (14) protaxa Dioecesana, vel moribus, licet non residentiale (15), beneficium possidet (16). Demum *famulatus* seu familiaritatis Episcopus non titularis in partibus (17), quocum, forte etiam nondum Episcopo (18),

---

(7) Trid. Sess. XXIII. De Ref. 10. *Subditis*. Ergo haec facultas adempta fuit Abbatibus saecularibus (Ben. XIV. *De Syn. IX. 9. 2.*

(8) C. 1. *De Temp. Ordin. in 6.° Trid. ib. Cap. 8.*

(9) CC. 1· 3. *De Temp. Ord. in 6.°*

(10) Trid. Sess. XXIII. *De Ref. 9.*

(11) Innoc. XII. B. *Speculatores* § 4.

(12) Ex LL. 6. 9. D. *Ad Municip.* Schmalz. 11. 21. 22. Qui vero sub tutela vel cura est, hodie penes nos, tutoris vel curatoris domicilium sequitur (C. Ital. Art. 18.). Ceterum filio integrum est domicilium sibi constituere ubicumque voluerit, etsi non sui juris (LL. 3. 4. Eod.); dummodo suae aetatis sit, idest, quoad haec, pubes (Ex C. 3. *De Judic. in 6.°*).

Ad haec domicilium originis intelligitur etiam patris adoptivi quamdiu adoptatus in familia ejus est (L. 17. Eod.); vel ubi quis infans *expositus* fuit (Barb. *De Off. Episc.*), si quorum parentum sit ignoretur (Salm. VIII. IV. 47.); vel ubi fuit baptizatus adultus (Paul. III. *B. Cupientes Hebraeos.*).

(13) B. *Specutatores* § 5. v. c. Ubi nactus est coadjutoriam in beneficio residentiali cum futura successione (Ex S. C. C. Lucid. I. pag. 161.).

(14) C. 6. *De Praebend.*

(15) S. C. C. *26. Maji 1598. Lucid. I. p. 159.*

(16) B. *Speculatores* § *3.* Nec sufficit Cappellania Laicalis etsi perpetua (S. C. C. 19. August. 1724. Lucid. I. pag. 160. n. 80.). Et si beneficii reditus satis non sint, suppleri nequeunt ex patrimonio in *eadem* (Cit. § 3.). vel, ut puto, ex alio beneficio in alia Dioecesi. *Possidet*, ideo non potest conferri Tonsura, quamvis arctato (Cit. § 3.).

(17) Trid. XIV. De Ref. 2.

(18) S. C. C. 9. Novemb. 1589. Lucid. I. p. 168. n. 96.

ordinandus commoratus fuit, altusque ab eo per triennium (19): sed is ea lege, ut conferat ordinato congruum beneficium, sive in sua sive in aliena Dioecesi (20) intra mensem ab Ordine vel Tonsura ei collata (21). Porro ordinando integrum est eligere ex his quem malit, et uno electo etiam in unoquoque Ordine, variare, *dummodo non in fraudem* variet (22).

141. Tituli Ordinationis sunt beneficia, hisque deficientibus, patrimonia. Patrimoniis accensentur pensiones perpetuae, legata perpetua Missarum (23); immo et Cappellaniae manuales, dummodo conferantur sub conditione *donec ordinatus provideatur* (24). Patrimonium vero constituendum est in *re soli* (25), vel ea quae, jure Canonico, soli instar habetur, utputa censibus consignativis (26): vel ex reditibus emptis ex versuris publicis (27); et ita constitui debet, ut usufructus ab ordinando abire non possit *donec provideatur*. Quamobrem si constitutum fuerit sub conditione, ne fructus a constituente decedant, vel ut ad ipsum re-

---

(19) Trid. XXIII. *De Ref. 9. B. Speculatores* § 6. Continuum ne? Affirmat Navar. Bonac. Barbos. negat Girald.: et rectius; dumne diu interruptum (Lucid. I. p. 169. n. 96.).

(20) S. C. C. ap. Gallerat. ad Trid. Cit.-C. 9.

(21) B. *Speculatores* § 6.: adeoque hodie neque patrimonium sufficit (S. C. C. 27. Jul. 1697. Lucid. I. 170. 10.), neque pensio (Monac. Form. P. I. Tit. 3. Form. 17.), nec, ut puto, Cappellania Laicalis (V. n. (15.)).

(22) S. C. C. 26. Januar. 1732. Lucid. l. c. n. 102.

(23) S. Alph. VI. 815.

(24) Ben. XIV. Not. 26. 11.

(25) S. C. C. *29. Novemb. 1670.* Engel. l. 14. 21.

(26) Ben. XIV. ex S. C. C. Not. 26. 12.; dummodo prius censuarius promittat se, cum voluerit censum redimere, sortem penes virum probum ac fidelem depositurum, ut iterum novis censibus aut praediis collocetur (Ben. XIV. l. c.). Haec conditio penes nos hodie nullius momenti foret.

(27) Ex S. C. C. *29. Jun. 1704.* quippe instar immobilium habentur (V. De Luca *De Regal. Disc. 143. n. 2.*

Itaque patrimonium in re mobili constitui non potest, et si constitutum fuerit pro nullo erit (S. C. C. 29. Novemb. 1670. Ben. XIV. Not. 26. 8.). Eoque minus constitui potest super obligatione personali alendi Clericum quoad provideatur, quamvis regia; prout in terminis a S. C. C. definitum fuit sub die 8. Junii 1704. (V. Rigant. ad Reg. Cancell. 24. § 5. n. 122.).

deant, ordinato adhuc vivente, nec aliter proviso, haec conditio, si apposita est inscio Episcopo, pro non scripta erit (28), sin consentiente, actum vitiat (29).

142. At véro non quodvis beneficium vel patrimonium pro titulo esse potest; sed necesse est ut sit sufficiens (30); utque Ordinandus in pacifica possessione ejus sit (31). Nemo autem potest ordinari in sacris sine titulo, exceptis Regularibus, et earum Congregationum viris, quibus hoc nominatim concessum est a R. P. Et grave est ordinare vel ordinari absque titulo, vel cum titulo falso, vel (si de patrimonio res est), ficto, seu fiduciario (32), vel nullo (33), vel injusto (34), vel restitutioni, aut resolutioni obnoxio (35).

---

(28) S. C. C. *11. Maji 1599.* Ben. XIV. n. 18.

(29) Ex L. 30. D. *De Act. et Oblig.* Scilicet quia conditio hujusmodi et turpis est (§ 10. D. Inst. De Haered. Instit. C. ult. De Condit. apposit. Cod. It. AA. 849. 1065.), et contra naturam actus (L. 149. *Ubi D. De Reg. Jur.*).

(30) C. 23 *De Prœb. Trid. Sess. XXI. De Ref. C. 2.* Quod aestimari debet ex taxa Synodali, et si ea desit, ex consuetudine Dioecesis (Ex B. *Speculatores* § *3.*). Reditus autem non intelliguntur, nisi deductis oneribus et expensis: tantum si agatur de beneficio vel Cappellania, in arbitrio Episcopi erit deducere, vel minus, onera personalia, utputa legata Missarum (S. C. C. 17. Jul. 1723. Ben. XIV. De Syn. XII. 9. VI.). Quod si quis in una Dioecesi beneficium habeat, et in alia velit ordinari, et taxa utriusque Dioecesis variet, siquidem beneficium adsiduitatem exigit illa, secus ista sequi debet (Ben. XIV. C. *Apostolici ministerii* § 7.).

(31) Ex B. *Speculatores* § 3.).

(32) Urban. VIII. C. *Secretis.* Porro titulum, seu potius patrimonium *falsum* accipio, quod non extat; seu praedia supposita sint, seu instrumenta, seu nomina constituentium: *Fictum* quod revera consistit, sed constitutum est dicis causa, idest sine intentione illud constituendi (S. Alph. VI. 822.): *fiduciarium* quod ea lege constitutum est, ut ab Ordinatione restituatur, vel ut ne ordinatus fructus percipiat.

(33) Nullum dicitur quod irritum omnino infectumque est; veluti si in re mobili sit constitutum, vel ab amente, vel donatione non accoptata vivo eo qui donavit.

(34) Dicitur injustum, quod non jure, idest non servata juris forma, factum est; ut puta, hodie, donatione privato instrumento confecta (Ex L. 1. D. De injust. rupt. testam. C. 9. t. 1056.).

(35) *Restitutioni*, e. c. si a minore sit constitutum; vel dolo aut vi extortum. *Resolutioni*, utputa si ab eo constitutum sit, qui constitutionis tempore liberos non habebat; vel ex praediis emptis cum pacto revenditionis,

143. His praemissis ad rem nostram veniamus. Qui Ordines confert incurrit suspensionem, si eos conferat 1.° sine titulo (nempe majores), sive alienis, sive suis subditis conferat: vel, 2.° alienis, sine literis dimissorialibus Episcopi sui: vel 3.° suis, sine literis testimonialibus ejus Episcopi in cujus dioecesi tamdiu moratus est, ut impedimentum canonicum ibi contrahere potuerit.

Et primo sine titulo: sive ordinaverit Clericum saecularem; si tamen hunc ordinavit cum pacto ut non petat ab ipso alimenta (II.); sive Regularem nondum professum; sive professum in aliqua Congregatione viventem, excepto casu legitimi privilegii (IV.). Ait Pontifex *absque titulo.* Porro absque titulo ordinari intelligitur et is qui ordinatur cum titulo falso; vel eo, ex quo nullum jus percipiendi fructus in ordinatum transit: non item, si quid opinor (nam versamur in odiosis); si hujusmodi jus transeat quidem, sed titulus sufficiens non sit; vel sufficiens quidem sit, sed jus percipiendi fructus constitutum sit ex die, vel forte in diem tantum: scilicet in priori casu subest *aliquis* titulus; in altero subest *jure,* in tertio *facto* et reipsa. Nec si eum ordinaverit cum titulo ficto aut fiduciario, quia valet (36), vel obnoxio rostitutioni in integrum, aut resolutioni, quia interim valet; vel injusto, quia utrum non valeat, saltem in foro conscientiae, incertum est (37).

144. Deinde suspensionem incurrit qui ordinat alienum subditum sine dimissorialibus ejus Episcopi (III.) *Alienum subditum* accipere debemus eum, qui non est suus subditus neque ratione originis, neque domicilii, neque beneficii, neque familiaritatis; quamvis in sua Dioecesi fortuito edi-

---

quamdiu tempus retractui, jure vel pacto definitum, non effluxerit. Porro donata ab eo qui liberos habet, reductioni sunt obnoxia, si forte, mortis suae tempore, integra legitima liberis suis non supersit. An igitur constituta ab his patrimonia, ab Ordinariis admitti vel rejici debeant? Neutrum plane, sed utrumque arbitrio eorum, ut puto, relinquendum est: alias vel rejicienda erunt facta a viris quoque ditissimis, vel admittenda facta ab his qui tunc temporis nihil aliud in bonis habent.

(36) S. C. C. 14. Maji 1671. Ben. XIV. *not.* 26. 18.

(37) V. S. Alph. III. 711. 927.

tus sit. Episcopum vero *ejus* accipimus eum qui Ordines ei conferre potuisset, vel dimissorias ad Ordines concedere (38). Sed an *Episcopi* appellatione veniat quilibet Ordinarius? Nam Const. nostra in hoc ipso Articulo III. alterum discernit ab altero. Utique; nam, prout alias in jure, ita et in hac nostra Const. alter alterius appellatione significatur. Adeoque sufficiunt dimissoriae et Vicarii Generalis *Episcopo in remotis* agente (39); et Vicarii Capitularis vacua Sede concessae arctatis infra annum; non arctatis post annum (40). Haec suspensio cessat, si quis ordinaverit Clericum collato prius ei beneficio; quippe ex hoc suus subditus esse coepit: dummodo beneficium extet in sua Dioecesi (41), et sit sufficiens, et ordinandus in pacifica possessione ejus sit (§ 152.). Porro Episcopus non potest hujusmodi literas denegare (41 bis.).

145. Demum suspensio contrahitur ex testimonialium defectu. Testimoniales petendae sunt ab Episcopo domicilii semper (42): item ab Episcopo originis, et ab Episcopo ejus loci ubi quis fortuito natus est (43), et praeterea ex Const. nostr. ubi quis moratus est aliquamdiu, si illuc ea aetate, isthuc, et huc tamdiu moratus fuerit, ut potuerit ibi Canonicum impedimentum contrahere. *Ea aetate*, idest post

---

(38) Ex C. 3, *De Temp. Ordin.*

(39) C. 3. § *Inferior. Eodem. tit. in 6.°*

(40) Trid. *Sess. VII. De Ref. 10. Arctati*, nempe ratione beneficii vel recipiendi, vel jam recepti. *Beneficii*, ejus nempe quod ordinem requirit sive ex jure, sive ex fundationum tabulis (Reiff. l. 11. 121.). *Recipiendi*, idest si in eo instituendi sint ex praesentatione, vel ex patronatu passivo, et careant ordine ex fundationum tabulis requisito (Garc. *De Benef.* V. *VII. 102.*) vel jam *recepti*; ut Parochia (C. 14. *De Elect. in 6.°*). Canonicatus in Ecclesia Cathedrali (Trid. Sess. XXIV. De Ref. 12.). Haec quoad ordines, nam pro tonsura conferenda dimissoriae etiam infra annum concedi possunt (S. C. C. 10. Febr. 1594. Lucid. I. p. 152.).

(41) Ex B. *Speculatores* § 3.

(41 bis.) S. C. C. 16. Jul. 1841. Lucid. l. cit. p. 171.

(42) Cit. B. § 6.

(43) Cit. Bull. §§ 4. 5. Porro nihil interest utrum dimissoriae, eoque magis commendatitiae, dentur in scriptis vel oretenus (Ex Trid. *Sess. XIV. De Ref. 2. Reiff. n. 110.*); praeterquam Ultramontanis in Italia degentibus (Cap. 1. *De Temp. Ord. in 6.°*).

septennium (44); *tamdiu*, idest (ut in matrimoniis, ex veriori sententia), ultra sex menses (45).

V.

146. « Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure « incurrunt Religiosi ejecti extra Religionem degentes (1). »

147. Duobus igitur opus est ut religiosi hanc suspensionem contrahant; ut et ejecti fuerint, et extra Religionem

---

(44) Honoran. Prax. etc. Not. 10. Lucid. I. p. 164. n. 86. Ex hac enim aetate potuit et censuras et irregularitates (quae sunt canonica impedimenta) contrahere.

(45) Scheider, Scavi. Theo. Mor. To. III. § 1023. Hodie igitur dubitandum amplius non est, eas petendas esse ab Ordinario ejus loci in cujus Seminario Ordinandus per id tempus permansit.
Porro quae hucusque de testimonialibus, deque dimissoriis literis prosecuti sumus, et ad eos pertinent qui Piis Sodalitiis seu Congregationibus, in quibus vota simplicia voventur, nomen dederunt. Et hi igitur ad tonsuram vel Ordines promoveri nequeunt sine dimissoriis, vel testimonialibus ejus Episcopi in cujus dioecesi moram trahunt (S. C. Epp. 6. Maji 1864. Avanzi Acta etc. I. 366.). Aliud juris est in Regularibus: His unus suus Ordinarius est, domicilii; idest Coenobii in quo degit Ordinandus: *ideo non tenentur ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis* (S. C. C. 28. Febr. 1754.). Sed Superiorum suorum regularium, quae tamen dari nequeunt praeterquam ad Episcopum dioecesanum (V. Ben. XIV. Const. *Impositi nobis 3. Cal. Mart. 1747.*). Et licet olim non satis convenerit a quo dandae essent dimissoriae Novitiis (V. S. Alph. VI. 765.), hodie cautum est eas, durante triennio post tyrocinium, ante solemnem professionem, a Superioribus Regularibus dari posse quoad tonsuram et minores ordines tantum (S. C. Sup. Stat. Regul. 12. Jan. 1858. Acta etc. I. p. 363.). At vero si Religionem deseruerint, vel ab ea dimissi fuerint, sive illi post simplicia, sive hi ante solemnia edita vota, recidunt in jurisdictionem Episcopi, cui suberant, antequam Religionem ingrederentur (S. C. Sup. Stat. Reg. 20. Jan. 1860. - S. C. Epp. 6. Mart. 1864. Lucid. II. p. 603. 86.).

Ad haec ex Concilio Tridentino 1.° Qui ordinat sive suum subditum, sive alienum in dioecesi alterius sine ejus Ordinarii expressa licentia (*Sess. VI. De Ref. 5.*). 2°. Episcopi titulares si quem ad minores ordines, vel primam tonsuram promoverint (*Sess. XIV. De Ref. 2.*). Demum 3.° Vicarii Capitulares qui dimissorias ad ordines (V. n. 40.) non arctatis infra annum concesserint, incurrunt suspensionem ille indefinite, isti per annum ab exercitio Pontificalium, hi ab officio et beneficio item per annum.

(1) Decret. S. C. C. 21. Sept. 1624. prob. Urb. VIII.

degant. Quocirca eam non incurrunt apostatae, et fugitivi; neque ejecti ea amplius tenentur, si aliam Religionem, quamvis latiorem, fuerint ingressi (2). Et praeterea opus est, ut juste quis fuerit ejectus; id est ex justa causa et servato ordine juris (3): neque enim heic recedendum est ab eo jure, quod in aliis Censuris perpetuo observatur (4). Proinde qui injuste ejectus est, exercitio Ordinum abstinere quidem debet, ne scandalo sit; verum si non abstinet, contra caritatem, non contra Censuram facit (5); adeoque culpa ipsum tenet, non irregularitas; et ne culpa quidem si scandalum desit; si celebret ubi ignoratur ipsum ejectum fuisse, nec facile sciri potest.

VI.

148. « Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, « qui eumdem Ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato « vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab haere- « tico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam « eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, « donec dispensetur declaramus (1). »

149. Qui recipit Ordines uno tantum in casu ex Const. nostra suspensionem incurrit; si eum receperit ab Episcopo nominatim excommunicato, vel suspenso, vel interdicto; aut ab haeretico vel schismatico notorio. Sed intererit utrum eos susceperit mala fide an bona. Si mala, idest si *praesumpserit*, suspensione perpetua tenebitur; sin bona, exercitio dumtaxat ordinis interdicitur, quoad suus Episcopus cum ipso dispensaverit. Quid si dubitavit, et neglexerit inquirere ex desidia culpabili quidem, sed non lata, crassa,

---

(2) Bonac. To. I. *De Claus.* Q. 2. P. 2. § 6. n. 3.

(3) Ex CC. 6. et ult. *De Stat. Monach.* Cit. Decr. § 6.

(4) Suar. *De Censur.* Disp. IV. Sect. 7. Salm. X. 1. 212. S. Alph. IV. 215. - VII. 68. 334.

(5) Ex L. 19. *De Appellat.* C. 1. *De Sent. et re judic.* Suar. 1. cit. n. 20.

(1) Ex CC. 1. 2. *De Schismat.*

supina? Utrum dispensari nequeat (ab Episcopo) quia non fuit in bona fide; an queat, quia non praesumpsit? Et quando semper id accipiendum est quod reo est favorabilius, hoc magis puto. Ceterum ut quis suspensionem incurrat necesse est, ut ordinem receperit; quamobrem si invalide fuerit ordinatus, (ut puta, si ordinatus sit a Ministris Anglicanis) praeter ea quae supra dixi (§ 6. (10.)), suspensio ne intelligi quidem potest (2).

VII.

150. « Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in urbe « commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque « licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram « eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prae- « dicto examine rejecti fuerint (1): nec non Clerici pertinentes ad « aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra « suam Dioecesim, dimissorialibus a sui Ordinarii ad alium directis « quam ad Card. Urbis Vicarium, vel non praemissis ad Ordinem « Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in « domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem « ab Ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure in-

---

(2) Praeterea, ex Conc. Trid., ordinati 1.° ab alieno Episcopo sine dimissoriis Episcopi sui (*Sess. XXIII. De Ref. 8.*); vel 2.° cum dimissoriis Vicarii Capitularis non arctatis infra annum concessis (*Sess VII. De Ref. 10. - XXIII. 10.*) vel 3.° per saltum (*Sess. XXIII. De Ref. 14.*) suspensi sunt ob executione Ordinis suscepti, quamdiu proprio Episcopo videbitur expedire.

Sed et de ordinatis absque titulo videndum est. Hi in antiqua disciplina fiebant irregulares (CC. 1. 2. Dist. 70.): in nova Innoc. III. damnavit ordinantem alere ordinatum (V. CC. 4. 16. *De Praeb.*); Concilium Tridentinum *antiquorum Canonum* poenas super his innovavit (Sess. XXI. de Ref. 2.) Quorum ne? Illorum, uti Suaresio et S. Alphonso VI. 820; an horum, uti Vivae, Toleto etc. visum est? Neutrum omnino; sed si ordinatus Ordinantem deceperit illas (S. C. C. 27. Nov. 1618. ap. Fagnan.), sin minus istas (S. C. C. C. 2. an. 1583. ap. Escob. n. 366. Cf. Fagn. C. *Cum secundum n. 63. De Praeb.* Bened. Not. 26. 16.).

(1) Edict. Card. Vicar. jussu Clem. VIII. 24. Nov. 1603. Decret. S. C. C. 21. Sept. 1624. jussu Urb. VIII.

« currunt. Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per an-
« num (2). »

151. Hic Artic. duas partes habet; altera de non suburbicariis, altera de suburbicariis Ordinandis: de illis primum. Qui literas dimissorias a suis Episcopis ad Ordines ineundos acceperint, ordinari posse a quovis Antistite cum Sede Apostolica gratiam et communionem habente, nisi in ipsis aliud comprehensum sit, exploratissimi juris est. Nihilominus, ad fraudes avertendas, Clerici Saeculares qui hujusmodi literas obtinent, si Romam venerint, ibique *habitant et saltem per quatuor menses moram traxerint* (3), ibique adhuc commorari velint, nequeunt extra Urbem ordines suscipere absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, praeterquam a proprio seu domicilii, seu Beneficii, seu familiaritatis Episcopo (4); immo neque ab, hoc si in eo examine rejecti fuerint (5). Haec non pertinent ad Regulares, neque ad Laicos qui tonsuram, et cum ea Ordines recipiunt una simul. Nec ad eos pertinet, qui ordinandi quidem discedunt, sed non amplius reversuri (6).

152. Altera hujus Artic. pars ad Clericos Suburbicarios pertinet, eisque vetat, si a suis Episcopis non ordinentur, a quovis alio, praeterquam a Card. Urbis Vicario, nec, nisi praemissis spiritualibus exercitiis, etc. ordinari. Hanc praetereo, quia satis aperta est; et parum interest nostra.

(2) Edict. Card. Vic. jussu Ben. XIV. editum 20. Mart. 1743.
(3) Declarat. edita jussu Alex. VII. an. 1668. ad l. V. Avanzi. Acta etc. Vol. II. pag. 586.
(4) Cit. Declar. ad IV.
(5) Cit. Decl. at III. Et palam est ex C. *Ap. Sedis.*
(6) Honorante Prax. etc. Cap. 16. ap. Avanzi p. 591.

ARTICULUS TERTIUS.

INTERDICTA.

153. Interdictum est — *Censura quae divinis officiis, Sacramentis et Ecclesiastica sepultura nos prohibet* (1). — Interdictum, lata significatione, diducitur in locale et personale; et utrumque et generale et speciale esse potest. Locale est quo afficitur locus aliquis; et siquidem territorium generale est, sin certus locus sacer est speciale. Personale est quod in personas fertur: et si fertur in totam aliquam universitatem, vel ordinem personarum est generale, sin in singulos speciale est. *Ex his* autem interdictum personale generale, et interdicta localia neque censurae sunt, neque poenae, sed privationes quaedam (2); ideo tenent omnes, insontes quoque (3). Et fere in omnibus aequiparantur (4); utrumque enim prohibet sive personis interdictis, sive locis interdictis obire officia divina vel eis interesse (5), ministrare aut recipere Eucharistiam, Extremam Untionem, et Ordinem (6); ac demum dare sepulturam Ecclesiasticam, praeterquam Clericis, qui viventes servaverint interdictum (7). His tantum distant, quod interdictum personale generale non tenet eos, qui universitatis etc. partes non sunt, vel esse desierunt (8); interdicta autem localia finiuntur loco interdicto (9). Ceterum uti cen-

---

(1) Ex. C. I. De Spons. et Matrim. C. 8. De Privil. in 6.°

(2) Salmat. X. VI. 12. V. § 13.

(3) Ex C. II. *De Sponsal.* C. 16. h. t. in 6.°

(4) Salmat. n. 35. *Non enim habet plures effectus interdictum personales circa personas, quam habeat locale circa loca* (Suar 33. 1. 5.).

(5) Cit. C. 16. C. 57 h. t.

(6) V. Suar. D. 33. Sect. I. Cetera et dare et recipere licet, etiam citra omnem necessitatem, et etiam solemniter (Ex C. 19. h. t. in 6.° Suar. l. cit. n. 2. Schmalz. V. 39. 150. Salm. X. VI. 40.).

(7) C. 11. De Poenit.

(8) Suar. 38. l. 16. Laym. l. 3. V. *Objicies.*

(9) C. 16. § I. h. t. in 6.° Ad haec interdicta generalia seu localia, seu personalia cessant in festivitatibus Natalis Domini, Paschae, Pentecostes,

surae, ita et haec interdicta, quoad alios non intelliguntur quamdiu Universitates, Collegia, Capitula, territoria, locave sacra denunciata non fuerint nominatim.

154. Itaque solum interdictum personale speciale, et poena et censura est; ideo nulli irrogari potest sine delicto et contumacia: eoque tenentur ipso jure quotquot interdicto generali personali, aut locali causam dederunt (10). Et fere instar excommunicationis habetur (11): ideo grave est ei, qui hoc interdicto tenetur, ministrare quaelibet Sacramenta, excepta Poenitentia, et Viatico (12) in articulo mortis. Dixi *fere*, quia neminem, ne nominatim quidem interdictum, separat a communione fidelium (13), nec ei adimit jurisdictionem (14).

155. *Pars hujus* interdicti *est interdictum ab ingressu* Ecclesiae (15). Definitur — *Censura qua quis in Ecclesia Ordinem sacrum exercere* (16), *divinis interesse* (17), *et Ecclesiastica sepultura* (18) *prohibetur*. Interdictus ab ingressu Ecclesiae prohibetur in ea defungi sacris, vel eis interesse; non item eam ingredi, ceu nonnemo existimavit; quin potest in ea privatim orare, et recipere Sacramenta (19); immo in coemeterio, licet Ecclesiae contiguo, non

---

Assumpt. B. M. V. (C. 24. h. t. in6.°), et in Solemnitate SS. Corporis Christi, ejusque Octava (Mart. V. Const. *Ineffabile Sacramentum*). Quibus diebus licet divina officia celebrare sicut prius, excommunicatis dumtaxat exclusis: non licet tamen E. U. vel Ordinem ministrare, nec mortuos, tradere Ecclesiasticae sepulturae (Navarr. in C. *Alma Mater* P. 2. § 5. u. 6. Suar. 25, 1. 16.).

(10) Ex CC. 16. 24. h. t. in 6.° Suar. 33. 1. 6.

(11) Ex CC. 3. 4. *De Cler. excomm. min.* Berar. I. E. U. P. II. D. III. Cap. 8. Laym. Cap. I. n. I. Salm. n. 35.

(12) V. Suar. 33. 1. 2. etc. C. II. *De Poenit.* CC. 43. 57. h. t. C. 24. § 1. Eod. tit. in 6.°

(13) Ex Cit. C. 24. Suar. 34. 210.

(14) Laym. Suar. 44. 4. 25. Salm. X. VI. 38.

(15) Laym. De Interd. Cap. IV. n. 1.

(16) C. 20. De S. E. in 6.°

(17) Suar. 35. 4. 22. *Communissima.*

(18) C. 20. h. t. in 6.° Salm. XVI. 89.

(19) Pala. Henriq. Bonac. Salm. n. 89. Schmalz. V. 39. 387. contra alios.

prohibeatur sacris adesse, et si Clericus est, ea obire (20). At Ecclesiastica sepultura arcetur tum ab Ecclesiis, tum a coemeteriis; nisí poenitens decesserit. (21).

Interdicta latae sententiae reservata.

I.

157. « Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum « ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque « nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Ro- « mani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum « Concilium appellantia (1). »

158. Hoc interdictum differt ab excommunicatione de qua in § 37., illa enim in singulas personas, hoc in personas morales animadvertitur. Nihilominus *non ipsas* Universitates tenet, Collegia, et Capitula, sed singula eorum membra; alias foret inutile (2); sive clericos sive laicos, eos quoque qui nullam interdicto causam dederunt: et praeterea quotquot post latum interdictum Universitatis, Collegii, Capituli membra esse coeperint (3). Tantum infantes et amentes non tenet, quamdiu illi fuerint infantes, hi non suae mentis (4). Et nihilominus hi quoque prohibentur sepultura Ecclesiastica (5); quippe haec prohibitio magis ad viventes pertinet. Ceterum cum interdictum hujusmodi non habeat vim censurae (§ 13. (20.)), clerici, qui ei causam non dederunt, si illud violaverint Ordinem exercendo, non contrahunt irregularitatem. Quaeri potest an hi qui hoc interdictum incurrunt, excommunicationem quoque

---

(20) Ex Cit. C. 20. Schmalz. n. 381. Eoque magis in Oratorio privato (Suar. 35. 4. 9. Laym. h. t. Cap. I. 8.).

(21) Ex Cit. C. 20.

(1) Ex B. C. § 2.

(2) C. 16. § ult. h. t. in 6.°

(3) CC. 10. 16. 17. Eod. Velut hi qui in Civitate interdicta verum, non quasi, domicilium transtulerint (Suar. 32. 2. 15. Reiff. V. 39. 189.).

(4) Suar. 36. 2. 9.

(5) Salm. X. VI. 47. S. Alph. III. 335.

contrahant de qua in § 37? Non puto (V. § 17.); maxime quod illic de singulis, heic de personis moralibus agitur. Ex quo praeterea licet intelligere, eos, qui personis hujusmodi auxilium, consilium vel favorem praestant, neque *hoc interdictum* incurrere (6), quia Const. nostra eos praeterit; neque *illam excommunicationem*, quia non singulis haec praestant, sed personae morali.

II.

159. « Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in « locis ab ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut « nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica « Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdi- « ctum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbi- « trium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfe- « cerint (1). »

160. Haec poena, uti antea, ita et hodie solos Clericos tenet: ait enim Pontifex *celebrari facientes..... admittentes*: atqui haec eorum sunt, qui in locis sacris potestatem habent. Porro olim non satis constitit, utrum haec prohibitio omnia loca interdicta (2), omnesque Clericos (3) comprehenderet; at hodie neutrum dubitationem patitur, quia lex non distinguit. Haec primum; deinde duas partes habet hic articulus. – Prima ad eos pertinet, qui celebrant vel celebrari faciunt divina in locis interdictis. *Divina* accipimus, ut alias, quae solis Ecclesiae Ministris fas est obire: *celebrare* autem etc., nefas esse, intelligendum est, ut in veteri jure, exceptis diebus, et locis, et non servatis conditionibus, quibus tunc licuit (4).

---

(6) Contra B. C. § 2.

(1) C. 8. *De Privil. in 6.°*

(2) V. Suar. 37. 1. 5. idest seu generaliter, seu specialiter interdicta.

(3) V. Bonac. To. 3. Disp. 4. Q. 5. n. 9.

(4) Veteri jure licet in Ecclesia interdicta, si interdictum est *speciale*, sacrum facere semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam, ne desit morituris (C. 57. h. t.); et in Conventualibus Ecclesiis legere horas Canonicas binis, et binis, vel simul tribus (Cit. C. 57. e tC. 24. Eod. tit. in 6.° C. 11. De Poenit.). Sin est *generale*, licet quotidie sacrum facere,

161. Altera ad eos pertinet, qui admittunt excommunicatos nominatim (non item interdictos, ut prius), ad divina officia, vel *Sacramenta*, nempe excepta Poenitentia et Viatico in articulo mortis (§ 163.). Ait Const. *admittentes*: hoc verbum indicat *eos ad quorum curam spectat prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actum* (5), id est ad eos, qui regimen habent Ecclesiae vel coemeterii (6): ergo alii Clerici, qui more laicorum divinis una cum interdictis adsunt, vel Sacramenta ab eis recipiunt, vel eorum funus comitantur, non tenentur hoc interdicto (7). Neque eo tenentur, qui admittenti consilium vel favorem praestant. Nec admittentes excusat quivis metus aut coactio, ut in § 110., sed gravis tantum; non enim heic, neque in C. 18. De Priv. in 6.°, additum est *sponte*, nec id inconsulto omissum fuisse credendum est. Ceterum praeter interdictum aliae poenae canonicae hodie eos non tenent (8).

---

162. « Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tri-
« dentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos
« pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volu-
« mus et declaramus (1). »

---

et alia divina officia obire (C. 24. h. t. in 6.°); sed non pulsatis campanis; januis clausis, et voce submissa (Cit. C. 24. C. 67. h. t.); exclusis interdictis (Cit. CC. et C. 11. De Poenit.): et ita ut ab his qui foris sunt nihil exaudiri (Cit. C. 11.) possit, videri nihil (Clem. I. h. t.).

(5) Suar. 37. 1. 5.

(6) Suar. Filiuc. Avil. ap. Bonac. l. cit. n. 5.

(7) Suar. cit. n. 5. Bonac. cit. n. 5.

(8) V. C. 8. de Priv. in 6.° Ibi « *Praeter alias poenas*, interdictum... incurrant. » Cum nostra Const. *de aliis poenis* mentionem non fecerit, eas sustulisse credendum est, quod et Avanzin. observat pag. 142.

(1) Suspensiones hujusmodi et interdicta, praeter ea quae suis locis recensuimus, haec sunt. *Suspensiones* 1.° In Episcopos exercentes Pontificalia in dioecesi aliena *sine expressa licentia* Ordinarii (*Trid. Sess. V. De Ref.* 5.) ab exercitio Pontificalium. 2.° In Episcopos concubinarios, si admoniti a Synodo Provinciali se non emendaverint (Sess. XXV. De Ref. 14.). 3.° *Ubi* viget Conc. Trident. *In Parochos* aliosve Sacerdotes, seu Regulares, seu Saeculares, qui alterius Parochiae sponsos sine illorum

163. « Quae vero censurae sive excommunicationis, sive su-
« spensionis, sive interdicti, Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum
« Constitutionibus, aut sacris canonibus praeter eas, quas recensui-
« mus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive
« pro R. Pontificis electione, sive pro *interno regimine* quorumcum-
« que ordinum et institutorum regularium, nec non quorumcumque
« collegiorum, congregationum, coetuum locorumque piorum cujus-
» cumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in
« suo robore permanere volumus et declaramus (2). »

Parochi licentia matrimonia conjungere, aut benedicere ausi fuerint, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvantur (Sess. XXIV. De Ref. Matr. 1.); 4.° demum in Praefectas Monasteriorum, quae si professionum suarum Novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt, incurrunt suspensionem ab officio quamdiu Episcopo videbitur (Sess. XXV. De Reg. 17.). *Interdictum* vero unum est, latum in Metropolitanos, qui Episcopum, vel in Episcopum viciniorem, qui Metropolitanum illegitime absentem non denunciat Rom. Pontifici (Sess. VI. De Ref. I.).

(2) *Pro interno regimine.* Ut ecce excommunicatio lata adversus eos, qui violant clausuram (Gregor. XIII. C. *Inscrutabili* - C. *Ubi gratia.* S. Pius V. C. *Decori*); qui mutant habitum (C. 2. *Ne Cler. vel Monach.*): qui retinent arma intra septa monasterii sine licentia Praelati (Clem. 1. § 9. in fi. *De Stat. Monach.*): qui non denunciant suos subditos haereticos vel suspectos de haeresi (Paulus V. C. *Romanus Pontifex*). Item excommunicatio lata adversus a Religione apostatas vel ejectos, si habitum dimiserint; quippe qua crimina nedum puniuntur, sed et praecaventur. Non item suspensio ab exercitio Pontificalium lata in eos, qui evecti ad dignitatem Episcopalem non servant sui Instituti Regulas, *quae Pontificale officium* non impediunt (Ben. XIII. C. *Custodes*). Nec ut puto, quae pertinent ad rerum administrationem, vel ad tuenda aliorum jura: ut puta excommunicatio lata adversus eos, qui concedunt laicis reditus Monasterii (Clem. I. *De Reb. Eccl. non alien.*); vel usurpant decimas Ecclesiarum (Clem. I. *De Decim.*); vel aliis persuadent, ut sepulturam eligant in suis Ecclesiis, voto aut juramento interposito; vel ne mutent electam (Clem. 3. § Ult. *De Poenis*).

CAPUT TERTIUM.

De Censuris quae continentur in Constitutione Apostolicae Sedis absolvendis.

164. « Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessio-
« nibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivi con-
« tigerit, nullo modo ac ratione intelligi umquam debere, aut posse
« comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibusli-
« bet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac
« individua mentio facta fuerit: quae vero privilegia aut facultates,
« sive a Predecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui,
« Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis
« speciei, etsi titulo peculiari praedito; atque etiam speciali men-
« tione digno a quovis umquam tempore huc usque concessae fue-
« rint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas,
« suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, sup-
« primimus, et abolemus minime refragantibus aut obstantibus pri-
« vilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in
« corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirma-
« tione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia
« quacumque firmitate roboratis quibuslibet etiam formis ac tenoribus,
« et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis
« clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus
« et derogamus.

« Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tri-
« dentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV. C. VI. De Refor-
« mat.: in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra
« Constitutione servatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae
« Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

« Decernentes etc. (*sequuntur clausulae consuetae*). Dat. Ro-
« mae an. 1869. - IV. Id. Octobr. »

ARTICULUS PRIMUS.

GENERALIA DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

165. Censura, cum semel fuerit contracta, tolli, nisi absolutione, non potest (1). Absolutio autem datur nedum in externo foro, sed regulariter in foro quoque interno, sive in confessione Sacramentali, sive extra eam (2), dari potest. Nobis de ea cum primis agendum est, quae datur in confessione Sacramentali. Principio igitur, cum censura sine peccato ne intelligi quidem possit, absolutio in foro Sacramentali et a censuris, et a peccatis danda est (3): nempe ab eo qui in hoc foro jurisdictionem habet seu ordinariam seu delegatam. Sed duae hae absolutiones pluribus distant. Etenim absolutio a peccatis ad Deum nobis reconciliandum, absolutio a censuris ad restituendum ea, quae propria sunt civium Ecclesiae militantis, pertinent. Proinde illa ab omnibus danda est, haec vel ab una dumtaxat recte datur. Illa nonnisi contritis et volentibus dari potest, haec valide datur etiam contumacibus et invitis (4). Illa pure danda est, haec dari potest sub conditione, et ex die vel in diem (5): illa quia est pars Sacramenti, praesentibus tantum, haec et absentibus recte datur (6): illa metu extorta valet, haec non item (6 bis.).

---

(1) Suar. *De Cens.* 7. 1. 2. Nec cessat, etsi cessaverit contumacia (Ex C. 38. De Sent. Excom.); reoque correcto (Prop. 44. damn. ab Alex. VII.).

(2) S. Alph. VII. 70. 126. etiam in articulo mortis (Suar. 7. 6. 7. Laym. Cap. II. n. 2.).

(3) Ex Rit. Rom. De Sacram. Poenit. § III. Et absolutio a censuris, quasi removens prohibens, prius danda est sub gravi; nihilominus data posterius valet; et si poenitens in ea recipienda non peccaverit graviter, valet quoque absolutio a peccatis.

(4) V. S. Alph. VII. 131.

(5) Laym. Cap. VIII. 1. Suar. 7. 8. 7. Schmalz. V. 39. 103.

(6) Schmalz. III. 16. 247. nisi alicui mandatum sit, ut absolvat *in forma Ecclesiae consueta*; is enim uti debet forma praescripta in Rit. Rom.

(6 bis.) C. 1. De iis quae vi.

166. Praeterea, quoties censura reservata est, peccatum quoque reservationi est obnoxium (7), sed inter reservationes a R. P., et reservationes ab Ordinariis introductas plurimum differt: in illis enim reservatio censurae principalis est, peccati accessoria; in his utraque est principalis: hac re, quoties censura non tenet, in illis reservatio cessat, in his utrum cessat, ambigitur; adeoque in illis ignorantia reservationis reservationem pellit (8), in his utrum pellat, non satis convenit (9). Demum peccata reservationi obnoxia absolvi possunt nedum directe, sed et indirecte ex justa causa (10): censurae nisi directe absolvi non possunt.

167. Dixi absolutionem a censuris dari posse sub conditione: porro species absolutionis conditionalis ea est, quae dicitur *ad reincidentiam*: idest ut absolutus, nisi intra certum tempus aliquid praestet (puta nisi infra mensem restituerit), reincidat in eamdem censuram ipso jure. Reincidentia vel a jure est, vel ab homine (10 bis.). *A jure* in duobus casibus tantum, locum habet; scilicet cum quis non perpetuo impedimento detentus (§ 172.), vel in articulo mortis (§ 175.) absolvitur ab eo, qui super reservatis nullam neque ordinariam, neque delegatam jurisdictionem habet. Scilicet is, cessante impedimento, vel si convaluerit, debet *quam cito commode poterit* se ei sistere, qui absolvendi ordinariam vel delegatam potestatem habet; alias in eamdem censuram recasurus ipso jure (11). *Reincidentia*

---

(7) Suar. 29. 2. 11. S. Alph. VI. 580.

(8) S. Alph. l. c.

(9) V. Baller. ad Gury. II. § 1322. qui affirmativam, pluribus adductis AA. tuetur.

(10) Directe peccatum absolvitur quod quis confitetur, et ei confitetur, qui illius absolvendi potestatem habet: indirecte quod vel non confitetur impune (ut ecce oblitus, vel in morbo contagioso aut naufragio); vel ei confitetur qui ejus absolvendi potestate caret. Scilicet si is alia peccata confessus fuerit, et ceteris paribus, his remissis, illa quoque per consequens remitti necesse est.

(10 bis.) C. 22. De S. E. in 6.°

(11) Cit. C. 22. Sistere, idest sive per se, sive per alium (S. Alph.

ab homine est, quoties adjicitur voluntate absolventis. Porro censura in quam absolutus est recasurus nova, licet ejusdem speciei, censura est (12): ex quo sequitur 1.° reincidentiam adjici non posse, nisi ab eo qui habet potestatem ferendi censuras (13): 2.° novam hanc censuram non incurri sine nova culpa et contumacia (14).

168. Transeamus nunc ad eos, qui possunt absolvere a censuris in Const. nostra reservatis. Sed prius admonendi sumus, non esse reservationi censurae locum, nisi et peccatum certum sit (15), et censura (16), et reservatio (17): quamdiu igitur unum ex his incertum est, quilibet Confessarius absolvere poterit (18). Quin plerique putant hoc in casu nec absolutione opus esse (19): quod in dubio juris semper, in dubio facti, excepta excommunicatione, verum est (20). Sed consultissimum erit semper dari absolutionem *ad cautelam*; nam ea data cessat (si postea certa apparuerit) seu censura (21), seu reservatio (22). Quid si a reservatis absolverit is, cujus dubia fuit jurisdictio? Et si dubium erat non facti, sed juris; et sententia quae pro

---

VII. 86.): licet emendatus fuerit, et satisfecerit parti laesae (Salm. X. 11. 66. S. Alph. n. 87.). Et non ut iterum absolvatur, sed *mandatum ab eo humiliter suscepturus* (Cit. C. 22.).

(12) Sanch. Matr. 11. 13. 28.

(13) Suar. 7. 6. 24. Croix VII. 158.

(14) Salm. n. 6. S. Alph. VII. 87. Illud distat inter utrumque, quod reincidentia ab homine non incurritur, si ab absolvente expresse non fuerit adjecta (Ex C. 8. De Offic. Ordin.); reincidentia a jure inest tacite (S. Alph. VII. 86.).

(15) L. 5. D. *De Poen.* Suar. 40. 6. 6.

(16) S. Alph. VII. 67. eamque esse latae sententiae (Salmat. X. I. 210.).

(17) S. Alph. VI. 600. Ex C. 48. De S. E.

(18) Lugo *De Poenit.* XX. 23. S. Alph. l. cit.

(19) Sench. Dec. I. 10. 55.

(20) In dubio de excommunicatione puto, absolutionem petendam esse *ad cautelam*, ne forte (si quis revera eam contraxit) extra Ecclesiam maneat, bonorumque Ejus expers sit; nam falsa nostra existimatio rei veritatem non mutat. In dubio juris hoc metuendum non est, quia lex dubia non obligat.

(21) Lugo nn. 22. 23.

(22) S. Alph. VI. 600. q. 2.

jurisdictione tenet sit *vere probabilis*, valet absolutio, quia Ecclesia supplet jurisdictionem in dubiis hujusmodi (23).

ARTICULUS SECUNDUS.

QUINAM ABSOLVERE POSSINT A CENSURIS RESERVATIS IN CONSTITUTIONE APOSTOLICAE SEDIS.

169. Nunc videamus quinam absolvere possint in censuris a Const. nostra reservatis. Praetereo S. Poenitentiariam. Et *jure ordinario* Episcopi multotics id possunt; *jure delegato* hi solum possunt, quibus haec jurisdictio mandata est nominatim. Itaque Episcopi absolvunt (sive casus occulti, sive publici fuerint) constitutos in sacris, Regulares et Moniales matrimonium contrahentes (§ 114); procurantes abortum (§ 116); utentes scienter falsis literis Apostolicis, eisque cooperantes (§ 120.): et percussores clericorum (§ 74.) sed hos non semper. Scilicet interest utrum percussio fuerit levis, an gravis, an enormis: levem heic accipimus, quae gravem quidem injuriam continet, sed caeteris minus gravem; cujusmodi ea est quae fit pugno, pede, lapide, fuste, citra damnum grave; gravem, quae contusionem affert, vel deformitatem, ut ecce si percusso dentem excusserit, vel is copiam sanguinis fuderit: demum enormem, si mutilavit, si oculum exclusit, si membrum rupit (1) etc. Itaque si percussio fuerit levis, Episcopus poterit absolvere percussorem quisquis ille sit (2); si gravis, eos tantum qui collegialiter vivunt (3); si enormis, impuberes dumtaxat; sive ante sive post pubertatem petant

---

(23) Suar. *De Poenit.* 26. 6. 7. Lugo *De Poenit.* 19. 28. S. Alph. I. 31. 17. 573.

(1) Joan. XXII. Extr. *Perlectis* ap. S. Alph. VII. 277. Amplius; percussio aestimari debet etiam ex circumstantiis loci, personae, et aliis (cit. Extr.).

(2) CC. 3. 27. De S. E.

(3) Ex C. 50. Eod. S. Alph. VII. 88. 229.

absolvi (4). In dubio utrum percussio fuerit levis an gravis, gravis an enormis, id sequi debet quod majus est (5).

170. Praeterea jurisdictione decreta a Conc. Trid. *licet Episcopis absolvere a quibuscumque casibus occultis delinquentes sibi subditos, in Dioecesi cuique sua, in foro conscientiae* (6) exceptis censuris speciali modo R. P. reservatis. Porro occultum accipimus *quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione celari, etiamsi per aliquot testes probari possit* (7); si modo adhuc latere queat (8). Et duobus modis dicitur; *materialiter*, quando latet factum, et *formaliter* quando factum quidem non latet, sed ignoratur censuram huic facto esse adnexam (9). *In foro conscientiae*; adeoque sive in confessione sacramentali, sive extra illam (10). *Sibi subditos in propria*

---

(4) C. 60. De S. E.

(5) Cit. Extr. *Perlectis.* Caeterum, si percussio fuerit occulta, poterit absolvi ab Episcopo (§ 179.), etsi fuerit enormis. Et Poenitente impedito Superiorem adire (§ 172.), vel in periculo mortis (§ 173.), a quovis Confessario potest absolvi (C. 1. § 3. De S. E. Bonac. De Censur. Disp. 1. q. 3. p. 3. Lugo De Poenit. XX. 202.).

Praeterea, ex *privilegio*, ab hac excommunicatione absolvere possunt Legati a Latere (C. 20. Eod.), et Legati missi; sed hi in provincia quisque sua tantum (C. 9. De Ofi. Leg.).

(6) Conc. Trid. *Sess. XXIV. De Ref. C. Licet. 6.*

(7) S. Alph. VI. 593. Quod in aestimatione boni viri esse debet.

(8) Salmat. XIII. IV. 53. S. Alph. VII. 78.

(9) Vid. Benedict. XIV. not. 87. nn. 47. 48. Veluti si Sejus Monialium septa sine licentia fuerit ingressus; siquidem ignoratur ingressum fuisse, factum *materialiter* occultum dicitur, sin autem id scitur, sed creditur non sine licentia ingressus fuisse (error facti); vel sine licentia quidem, si nescitur ingredientes excommunicationem contrahere (error juris) factum *formaliter* occultum intelligitur. Itaque Episcopus absolvere poterit nedum si peccatum fuerit occultum materialiter, sed et si formaliter tantum; seu error facti versetur, quod nemo dubitat, seu juris quod est communius (V. De Just. De Dispens. I. VIII. 169. Sanch. Matr. VIII. 34. 56. Reginald. XXVIII. 219. Navar. P. Leo ap. Bened. XIV. in l. c.).

(10) Salmat. X. 11. 54. Lugo De Fide XXIII. 64. Sanch. Suar. Bonac. apud S. Alph. VII. 81. Qui contra putat ex Declar. Gregorii XIII. de qua Fagnan. in C. *Dilectus* De Temp. Ordin. Verum de hac declaratione non constat autentice (Mazzot. De Legib. q. 1. c. 5. q. 2.); et ipsemet S. Doctor alibi de ea subdubitat, vel non receptam fuisse putat (Lib. I. n.

Dioecesi: nihilominus quia jurisdictio prorogari potest de loco in locum, et de persona in personam (11), absolvi posse et suos existentes in aliena Dioecesi, et alienos in sua, alterum mihi probabile (12), alterum vix non certi juris est (13).

Porro Episcoporum appellatione in hoc et superioribus §§ usu juris veniunt quotquot jurisdictione Episcopali praediti sunt (14).

171. Deinde haec potestas competit his, quibus mandata est nominatim. Et mandari potest nedum a R. P., sed et ab Episcopis quoad ea quae hi absolvere possunt, quippe potestas absolvendi eis a jure constituta vere ordinaria est (15): ea solum jurisdictio quae eis competit ex Conc. Trid. (§ 170.) deleganda est *specialiter* (16): verum *specialiter* non ad casus, sed ad personas refertur (17). Quorsum autem pateat haec facultas, in facto non in jure positum est. Nihilominus quaeri potest, quid juris sit, si verba, quibus haec jurisdictio mandata fuit, generalia sint, vel obscura. Si *generalia*, siquidem mandatum prodit a R. P. ea non veniunt casus eidem R. P. speciali modo reservati (§ 70.): et si pro his quoque generaliter data sit, ea non continetur absolutio falso sollicitationis sacerdotem accusantis, nec complicis in peccato turpi (18). Sin *obscura*, si jurisdictio mandata fuit generaliter, *latam*; si specialiter, idest pro absolvendo Titio vel Cajo, strictam interpretationem recipit (19).

148.). Quid quod haec declaratio, si probe expendatur, ad rem fortasse non pertinet?

(11) LL. 1. 3. D. *De judic.* Pirhin. II. 2. 182. Reiff. II. 2. 122.

(12) Salm. X. II. 53. ibique Suar. Diana Sanch. Et facit ratio S. Alphonsi VII. 81. Sufficit autem esse probabile (V. § 168. (23.)).

(13) Suar. *De Cens.* 30. 2. 3. S. Alph. I. *De Privil.* Ap. II. 32.; et VI. 593.

(14) Suar. 30. 2. 4. Sanch. Matr. VIII. 2. 12. S. Alph. VI. 293. v. *Eamdem* Ibique Barbos. Fagnan. etc. idest Vicarii Capit. Vic. Gener. etc.

(15) Suar. 41. 2. 8. S. Alph. VI. 594. D. 9.

(16) Trid. XXIV. De Ref. Cap. *Liceat* 6.

(17) S. Alph. VI. 549. idest deleganda est non *universis*, sed *singulis*.

(18) S. U. I. 17. Junii 1866. 4. April. 1871.

(19) Sanch. De Matr. VIII. 2. 6. Croix VI. II.

172. Praeterea quia legum humanarum nulla est obligatio cum incommodo gravi, qui impeditur adire *per se* R. Pontificem, absolvi poterit ab Episcopo; et si nec Episcopum *per se* adire queat sine incommodo gravi, a quovis Confessario potest absolvi (20). Verum haec aliter et aliter: refert enim utrum impedimentum hujusmodi sit perpetuum, an diuturnum, an breve. Perpetuum accipimus, nedum quod vita finitur (21), vel quod in tempus indefinitum protrahitur (22), sed et illud quod duraturum est ad quinquennium (23): diuturnum quod ultra sex menses: breve quod citra (24). Itaque hi qui perpetuo, quive diuturno impedimento laborant, possunt absolvi, tametsi nulla necessitas urgeat (25): hi ad reincidentiam (26); illi absolute (27). At qui brevi, nullatenus absolvi possunt (58).

---

(20) C. 29. De S. E. S. Alph. VII. 84. 92. - VI. 585.

(21) V. S. Alph. VII. 88. Hoc laborant Regulares (CC. 22. 32. 33. De S. E.). Mulieres (C. 6. Eod.), Senes (C. 13. Eod.), nempe sexagenarii (S. Alph. VII. 88.), *Valetudinarii*, et *membrorum destitutionibus* impediti (Cit. C. 13.).

(22) Ex cit. C. 13.; et C. 22. eod. tit. in 6.° Ex hoc capite absolvi possunt filii familias (cit. C. 13.), famuli (C. 37. Eod.), qui longa et gravi (etsi non mortali) aegritudine laborant, velut quartana S. Alph. VII. 88. V. 7.). Patres familias qui suis rebus superesse debent (S. Alph. V. 8.), inopes (C. 13. Eod.) etc.

(23) S. Alph. I. App. II. 43. - VII. 88. Hoc impedimento regulariter detinentur milites, ephoebi, qui in Collegiis morantur, inclusi carceribus, etc.

(24) S. Alph. VII. 86. Huc pertinent omnes quibus difficile est ex aliqua justa causa ad ipsum excommunicatorem accedere (C. 29. De S. E.).

(25) S. Alph. VI. 585. - VII. 84. 88. Nec tenentur adire Rom. Pontificem, vel Ordinarium per epistolas vel internuncios (S. Alph. VI. 563. d. 3. - VII. 89.).

(26) C. 58. De Sent. Excomm. C. 22. eod. tit. in 6.°

(27) Ex cit. C. 58. Lugo *De Poenit.* XX. 201. S. Alph. VI. 485. - VII. 88.

(28) Suar. Sanch. Dec. II. 8. 5. Lugo De Euch. XIV. 100. Salmat. IV. VII. 38. Sed possunt nihilominus (dum ne sint vitandi) absolvi a peccatis ex gravi causa, v. c. si nequeat a communione abstinere sine scandalo, vel infamia (S. Alph. VI. 265.); si superior longius distet (Laym. De Poenit. XII. 10.). etc.

173. Demum ne occasione reservationis aliquis pereat, omnis reservatio cessat in articulo mortis (29). Mortis articulum, seu periculum, nam duo haec promiscue accipiuntur (30), significat illud rerum discrimen, in quo, et superesse et occumbere posse, utrumque est vere graviterque probabile (31): sive illud sit ab intrinseco, utputa morbo, vulnere inflicto, partu difficili, extrema senecta etc.; sive ab extrinseco, velut ex bello, navigatione periculosa, et id genus ceteris (32). Itaque in eo periculo omnis Sacerdos qui potest absolvere a peccatis, a censuris in Const. nostra reservatis absolvere potest. Idest quivis approbatus (33): et si approbatus desit (34), et sine periculo expectari nequit (35) *omnis Sacerdos*. Immo et si non desit, si is supervenerit post coeptam confessionem (36); vel praesens nolit confessionem excipere, aut non possit; puta quia est suspensus, vel complex in peccato turpi, aut surdus; immo etsi possit et velit, sed poenitens abhorreat ab ipso, forte inimico, vel consanguineo, vel familiari, vel minus idoneo; vel si repetenda sit confessio, fortassis invalida, facta Confessario non approbato (37). Et quia in periculis hujusmodi cessat omnis reservatio, potest absolvere etiam praesente eo, qui habet jurisdictionem seu ordinariam seu delegatam absolvendi a reservatis (38). Verum haec abso-

---

(29) Trid. Sess. XIV. De Poenit. 7. Rit. Rom. De Poenit. § II.

(30) C. 29. Cau. 17. 4. C. 5. De S. E. C. 22. Eod. tit. in 6.° Rit. Rom. *De Sacram. Poenit.* Sanch. Dec. II. 13. 1. Lugo *De Poenit.* XVIII. 21. S. Alph. VI. 561.

(31) S. Alph. VI. 561.

(32) Rit. Rom. De Extr. Unct.

(33) Trid. cit. C. 14.

(34) Rit. Rom. De Poenit. § 1.

(35) Sanch. Decal. II. 13. 3.

(36) Lugo De Poenit. XVIII. 33. Et jure, nam *ubi semel coeptum est judicium, ibi et finem accipere debet* (L. Ubi 30. De Judic.).

(37) S. Alph. VI. 563.

(38) V. S. Alph. VI. 563. - VII. 92.

lutio *quoad casus reservatos speciali modo R. P.* danda est ad reincidentiam (39).

Sed satis haec; nam coepit urceus, et currente rota exiit amphora.

Ex Seminar. Reatino Idib. Maji 1872.

(39) V. § 70. Quare post Const. *Apostolicae Sedis* non est amplius probabilis, saltem quoad hos casus, opinio Spor. De Poenit. n. 726., Millard., Gury. II. 576. etc. existimantium absolutos in articulo mortis, post Conc. Trid. non esse amplius obnoxios reincidentiae.

PASCHALIS DE SIENA

SACERDOTIS NEAP.

IN LYCEO ARCHIEPISCOPALI NEAPOLITANO

THEOLOGIÆ MORALIS PROFESSORIS

COMMENTARIUS

IN CONSTITUTIONEM

APOSTOLICÆ SEDIS

SECUNDUM ILLUSTRIORUM INTERPRETUM DOCTRINAM

ET NOVISSIMAS SS. ROM. CONGREGATIONUM DECISIONES

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI

ANTONII PISANZIO et FILII

In aedibus Archiepisc.

MDCCCXCIII.

PROPRIETAS LITERARIA

Eminentissimo ac Rev. Domino

GULIELMO SANFELICIO

EX DUCIBUS AQUAE-VELLAE

CARDINALI ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

Eminentissime Princeps

Quum omnes ingenii tui vires eo conferas, ut in hoc Neapolitano Clero jam toto terrarum orbe studiorum laude celeberrimo humaniores severioresque literae in majus provehantur; gratum tibi me facturum puto, si meum hunc libellum tibi sistam, tuoque inscribam nomine. Est vero parvus in Constitutionem APOSTOLICÆ SEDIS *commentarius, ubi tamen et communes consentientium Theologorum sententias, et in controversis rebus S. Sedis responsa percensenda curavi, ut justa simul et habilis Sacerdotibus esset ejusdem Constitutionis interpretatio. Pro certo equidem habeo tuum perillustre nomen, quod in fronte praeferet libellus, hunc omnibus commendaturum atque ab invido criticorum dente ereplurum. Vale quam diutissime, Princeps Eminentissime, auctoremque ad tuos pedes provolutum, ac sacram purpuram deosculatum paterna benedictione cumulato.*

Postr. Nonas Decembris MDCCCXCII.

Eminentiae Tuae Reverendissimae

Addictissimus servus et subditus

PASCHALIS DE SIENA.

Postrema decreta Cong. S. Officii circa obligationem denuntiandi occultos duces ac coryphaeos sectae Massonicae aut Carbonariae.

Cum Congregatio S. Un. Inquisitionis duo decreta ediderit, respicientia articulum IV. censurarum simpliciter Rom. Pontifici reservatarum, postquam hujus articuli interpretatio fuit typis impressa, ita pro confessariorum utilitate, et laboris integritate heic edita decreta referre censuimus, quae lector paginae 116., antequam sermo fit de iis, quibus facienda est denuntiatio, apposuerit.

Quaesitum fuit a Francisco Episc. Bajonen.

1.° An occulti sectae massonicae coryphaei ac duces sint denuntiandi juxta Const. " Apostolicae Sedis, " quando sunt publice noti ut *liberi muratorii*, sed non sunt publice noti ut coryphaei vel duces hujus sectae massonicae?

2.° An denuntiationis obligatio cesset apud eas regiones in quibus *liberi muratorii* et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt nec ullo modo cohiberi?

Feria IV. die 19 Aprilis 1893.

In Congregatione Generali S. R. et U. Inquisitionis, ad examen vocatis suprascriptis dubiis, Emi ac Rmi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores respondendum decreverunt:

Ad 1^am^: *Affirmative.*

Ad 2^am^: *Negative.*

Pro R. D. Mancini Notario.
Petrus Palombelli *Subst.*

APPENDIX

DECRETUM S. C. CONCILII.

Vigilanti studio convellendis eradicandisque abusibus missarum celebrationem spectantibus jugiter incubuit haec S. C., pluraque edidit decreta, quibus omne hac in re damnabile lucrum removeri voluit, piasque testantium voluntates et obstrictam benefactoribus fidem ad amussim servari religioseque custodiri mandavit.

Quapropter ad cohibendam pravam quorumdam licentiam qui ad ephemerides, libros aliasque merces facilius cum clero commutanda missarum ope utebantur, nonnulla constituit, eaque, Pio PP. IX. fel. rec. approbante, edi et Ordinariis nota fierit curavit ut ab omnibus servarentur. Propositis namque inter alia sequentibus dubiis:

" I. an turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt:

" II. an haec agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committuntur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus eleemosynis missarum carentibus subvenitur:

" III. an hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur:

" IV. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine:

" V. an turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii qui a dictis bibliopolis, et mercatoribus recipiunt pro missis celebrandis libros aliasve merces, harum pretio sive imminuto sive integro:

" VII. an liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis redditibus careant: „

In peculiari conventu anni 1874. S. C. resolvit:

" Ad I. *Affirmative.*

" Ad II. *Negative.*

" Ad III. IV. et V. *Affirmative.*

" Ad VII. *Negative, nisi de consensu oblatorum.* „

Sed cum postremis hisce annis constiterit, salutares hujusmodi dispositiones ignorantia aut malitia saepius neglectas fuisse, et abusus hac in re valde lateque invaluisse, Emi Patres S. C. Tridentini interpretes ac vindices, rebus omnibus in duplici generali conventu mature perpensis, officii sui esse duxerunt, quod pridem decretum erat in memoriam plenamque observantiam denuo apud omnes revocare, et opportuna insuper sanctione munire.

Praesenti itaque decreto statuunt, ut in posterum si quis ex sacerdotali ordine contra enunciata decreta deliquerit, suspensioni a divinis S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius sit: clericus autem sacerdotio nondum initiatus eidem suspensioni quoad susceptos ordines similiter subjaceat, et inhabilis praeterea fiat ad superiores ordines recipiendos: laici demum excommunicatione latae sententiae Episcopis reservata obstringantur.

Praeterea cum experientia docuerit, mala quae deplorantur ex eo potissimum originem viresque ducere, quod in quorumdam privatorum manus major missarum numerus congeritur

quam justa necessitas exigit, ideo iidem Emi Patres, inhaerentes dispositionibus a Romanis Pontificibus, ac praesertim ab Urbano VIII. et Inuocentio XIII. in Const. *Cum saepe contingat*, alias datis, sub gravi obedientiae praecepto decernunt ac mandant, ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cujuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis tradant juxta modum ab iis definiendum. Ordinarii autem acceptas missarum intentiones cum adnexo stipendio primum distribuent inter sacerdotes sibi subjectos, qui eis indigere noverint: alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, aut etiam, si velint, sacerdotibus aliarum dioeceseon, dummodo sibi noti sint, omnique exceptione majores, et legitima documenta edant inter praefixum congruum tempus quibus de exacta earumdem satisfactione constet.

Denique, revocatis quibuscumque indultis et privilegiis usque nunc concessis, quae praesentis decreti dispositionibus utcumque adversentur, S. Congregatio curae et officio singulorum Ordinariorum committit, ut praesens decretum omnibus ecclesiasticis suae jurisdictioni subjectis, aliisque quorum ex praescriptis interest, notum sollicite faciant, ne quis in posterum ignorantiam allegare, aut ab hujus decreti observantia se excusare quomodolibet possit: et insuper ut sive in sacra Visitatione sive extra sedulo vigilent, ne abusus hac in re iterum inolescant.

Facta autem de his omnibus relatione SSmo D. N. Leoni PP. XIII. per infrascriptum S. Congregationis Praefectum, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit confirmavit atque edi mandavit, contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, die 25 Maii 1893.

ALOYSIUS Card. E.pus Sabinensis
Praefectus.

L. SALVATI *Secretarius.*



Perlibenti animo suscipimus auctoris studium in Nos, eiusque ingenii uberes fructus, quos magno confidimus futuros commodo Moralis Theologiae cultoribus; eum vero in Nostrae dilectionis testimonium Pastorali Benedictione ex animo cumulamus.

Neapoli, die VIII Januarii 1893.

† *GULIELMUS Card. Archiepus.*

LECTORI BENEVOLO

AUCTOR

Inficiandum profecto non est leges omnes, quamvis a sapientissimis viris sint latae, interprete tamen aliquo indigere. Cum enim eorum, quae lege aut praecipiuntur, aut etiam vetantur, singula quaeque praevidere et cogitatione complecti latores humanitus non possint, in plerisque controversiis jurisperito est opus, qui legem latorisque mentem ex temporis circumstantiis jurisque principiis evolvat, atque interpretetur. Quae cum ita sint, Constitutioni *Apostolicae Sedis* interpretandae gravissimi et prudentissimi Theologi nullo non tempore operam dederunt, plurimasque id genus lucubrantiunculas, doctas sane et laboriosas identidem vulgarunt. Cum vero rationum momentis, si non maximis, certe probabilibus innisi de una eademque re alii aliter sensissent, et in uno eodemque crimine delinquentes in censuram incurrere alii affirmassent, alii vero negassent, lectorisque animum in suam quisque sententiam pertrahere adnisi essent; tanta sacerdotum mentes dubiorum caligo obfudit, ut in audiendis Christifidelium confessionibus haererent maxime, et pro suo quisque ingenii prudentiaeque modulo sese gererent. In tanta igitur Theologorum dissentione et opinionum discrepantia, cum Episcopi alia alius de quae-

stione Apostolicam Sedem pro re nata consuluissent, haec illis per Sancti Officii Congregationis oraculum jus respondendum curavit. Haec responsa (quae totidem autenticae sunt legis interpretationes), et simul communes nec unquam in dubium revocatas Theologorum sententias in hoc libello percensere est visum, ut lectores, utrisque in uno veluti monumento perspectis, absolutissimam Constitutionis interpretationem prae manibus haberent. Quae quidem omnia ita dilucide et accurate pertractanda suscepi, ut optime de rerum moralium studiis me esse meritum , nec minimam a lectoribus gratiam iniisse putem. Salvete et vivite.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

CONSTITUTIO QUA ECCLESIASTICAE CENSURAE LATAE SENTENTIAE LIMITANTUR.

Pius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Apostolicae Sedis moderationi convenit, quae salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremae suae potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem resolveremus, ecclesiasticas censuras, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiae tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas aetates indictae ac promulgatae sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositae fuerant, vel a pristina utilitate, atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiae; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut diligenti adhibita consideratione statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari, aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declaran-

tes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes *latae sententiae* speciali modo Romano Pontifici reservatae.

Itaque excommunicationi *latae sententiae* speciali modo Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus:

I. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

II. Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

III. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

IV. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

V. Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

VI. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

VII. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

VIII. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel

indirecte prohibentes ; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

IX. Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

X. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

XI. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

XII. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia ; vel usurpantes perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

Excommunicationes *latae sententiae* Romano Pontifici reservatae.

Excommunicationi *latae sententiae* Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus :

I. Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena *latae sententiae;* item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prout damnata est a Benedicto XIV, in Const. *Suprema*, 7 Julii 1745; *Ubi primum*, 2 Julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 Septembris 1746.

II. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

III. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

IV. Nomen dantes sectae *Massonicae*, aut *Carbonariae*, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.

V. Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes.

VI. Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V, in Constit. *Decori* praescriptam.

VII. Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

VIII. Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

IX. Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

X. Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

XI. Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V, *Quam plenum*, 2 Januarii 1569.

XII. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

XIII. Omnes qui excommunicatione muletantur in Constitutionibus S. Pii V, *Admonet nos*, quarto Kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX, *Quae ab hac Sede*, pridie nonas Novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 Junii 1592; et Alexandri VII, *Inter ceteras*, nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

XIV. Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis

Sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

XV. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

XVI. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso; ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

XVII. Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes *latae sententiae* Episcopis sive Ordinariis reservatae.

Excommunicationi *latae sententiae* Episcopis sive Ordinariis reservatae subjacere declaramus.

I. Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

II. Procurantes abortum, effectu sequuto.

III. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes *latae sententiae* nemini reservatae.

Excommunicationi *latae sententiae* nemini reservatae subjacere declaramus:

I. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

II. Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

III. Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosae.* De Reb. Eccl. non alienandis.

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Constit. *Universi,* 20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum poenitentiae,* 1 Junii 1741.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolu-

tione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus: excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Suspensiones *latae sententiae* Summo Pontifici reservatae.

I. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras apostolicas de sua promotione.

II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

III. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus; vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

IV. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

V. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

VI. Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: cum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

VII. Clerici saeculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum

suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Interdicta *latae sententiae* **reservata.**

I. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

II. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus, et declaramus.

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit; quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et

quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam, Sess. XXIV, cap. VI, *de Reform.*, in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quae in eis constituta ac decreta sunt, omnesque et singulas quae in eisdem factae sunt ex anterioribus Constitutionibus Praedecessorum nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris Canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum Generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, ac Apostolicae Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam quavis auctoritate, etiam praetextu cuiuslibet privilegii, aut consuetudinis inductae vel inducendae, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, nec non consuetudinibus quibusvis, etiam immemorabilibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Sexagesimo Nono, Quarto Idus Octobris, Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

Marius Card. Mattei *Pro-Datarius*
N. Card. Paracciani Clarelli

Visa de Curia
Dominicus Bruti

Locus † Plumbi

I. Cugnoni.

CAPUT I.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

I.

Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectae existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores.

Plures personarum classes in hoc primo articulo continentur, at quaenam sint, et quando incurrant praedictam excommunicationem sp. mod. Pontifici reservatam, explicandum est.

Primo veniunt apostatae a fide. Apostatae a fide illi appellantur, qui post susceptum baptismum totaliter a fide recedunt, sive transeant ad aliam falsam religionem uti atheismum, ethnicismum, hebraismum, judaismum, sive non. Enimvero apostasia a fide proprie consistit in totali recessione a christiana fide, quin necessarius sit terminus superstitionis ad quem quis accedat. Haec duo distinguuntur, aliud est deserere aliquid, aliud est, repudio facto, ad aliquid se convertere: primum requiritur ad habendam apostasiam, non secundum. Hinc si quis discedit post susceptum baptismum a christiana fide, quin aliam sibi effingat religionem, et eam profiteatur, vere apostata a fide dicendus est, ac proinde censuram contra apostatas a fide latam incurrere censendus est. Dixi apostasiam a fide consistere in totali recessione a christiana fide, quia si quis recedit a fide non omnino, sed secundum unum aut aliquos fidei articulos, haereticus est, non apostata; et in hoc amussim haereticus ab apostata differt. Quod si a christiana fide recedentes aliam religionis speciem profitentur, tunc proprium sumunt nomen, secundum terminum ad quem accedunt. Haec nomina recensere perutile putamus, ut cognoscantur in praxi, quinam hanc primam censuram incurrunt. Isti esse possent aut Judaei, aut Pagani,

aut Mahometani, aut Deistae, aut Atheistae, aut Rationalistae, aut Pantheistae, aut Indifferentistae, vulgo liberi pensatori, aut Increduli, qui nempe quamlibet Religionis formam rejiciunt: hi omnes post susceptum baptismum hujusmodi falsas religiones aut sententias amplectentes, praedictam excom. incurrunt. Et heic sedulo notandum est, ut apostata a fide censuram incurrat, requiri ut aliquo modo apostasia a fide fuerit in re per se gravi externata, nempe aut verbis, aut signis, aut factis: ex gr. omnes actus religionis omittendo, omnia Religionis Christianae signa repellendo etc.; quia usque dum aliquod peccatum in mente, aut corde retinetur, nec in re gravi externatur, poenis ecclesiasticis subjacere quis non potest; Ecclesia enim non judicat de internis judicio poenali, proindeque talis apostasia a fide a quovis confessario absolvi posset.

Alii, qui in hoc articulo comprehenduntur, sunt haeretici. Haeresis est error voluntarius, et pertinax contra doctrinam et veritatem fidei christianae. Haereticorum nomine heic non veniunt tantum illi, qui alicui sectae haereticali nomen dant, neque tantum haeretici notorii, sed omnes comprehenduntur, qui sive unum sive plura dogmata denegant, sive publice, sive privatim, sive aliis audientibus sive nemine audiente errorem proferunt, sive voce, sive scriptis, aliisque exterioribus signis haeresim patefaciunt; hi omnes in hoc articulo continentur, et excommunicatione spec. modo reservata afficiuntur.

Ut autem haereticus hanc excom. incurrat, requiritur—1° ut haeresis sit formalis, scilicet cum errore intellectus, et pertinacia voluntatis. Ille autem pertinax dicitur, qui adhaeret suae opinioni, non obstante quod jam noverit eam adversari doctrinae Ecclesiae Romanae— 2° ut error internus externe significetur per verba, aut signa ex se, vel ex circumstantiis haeresim manifestantia. Hinc non incurrit hanc excom., qui est haereticus pure mentalis, nempe qui diceret: *non est*, reticens Christus in Eucharistia; vel qui hoc scriberet charactere non intelligibili, quia ad incurrendam excom. voces, aut signa debent ex se haeresim exprimere. — 3° ut actio, quae haeresim manifestat, sit graviter mala, unde non incurrit hanc excom., qui semidormiens, aut semiebrius eam profert; nec eam incurrit, qui per

actum indirecte voluntarium eam externat; necesse est enim ut actio haeresim manifestans sit directe et graviter mala, unde non sufficit indirecte.—4° ut ille, qui haeresim manifestat, eam proferat animo profitendi errorem; idcirco qui illam manifestat causa petendi consilium, excommunicationem effugit.

Et heic duo sunt notanda—1° excommunicationem esse reservatam, non peccatum; hinc si quis haeresim profert ignorando excommunicationem, casum non incurrit, et a quolibet confessario absolvi potest—2° per Constitutionem Ap. Sedis non fuisse derogatum privilegium Episcoporum absolvendi haeresim in foro externo, tum quia praedicta Constitutio derogat privilegia forum conscientiae respicientia, non externum; tum quia privilegium concessum fuit Episcopis in favorem Officii et Dignitatis, non ipsorum delinquentium. Hinc bene potest Episcopus ut delegatus Apostolicus absolvere haereticum etiam notorium quoad forum externum, facta prius abjuratione coram Notario et testibus. Quae quidem facultas absolvendi potest cuilibet sacerdoti delegari, quia est adnexa dignitati, et officio, ideoque est quasi ordinaria. Quare hac absolutione recepta ab Episcopo, aut ejus delegato poterit haereticus a quocumque confessario absolvi, quia jam ablata est reservatio. *S. Alph.* lib. 1 *de Privilegiis Episcop.*

Insuper hanc excommunicationem incurrunt etiam haereticis credentes. Haereticis credentes illi sunt, qui haeresim implicite profitentur, nempe, ut ait *S. Alph.* VII. 306, illi sunt, qui haereticorum erroribus in genere se assentire externe manifestant, licet in particulari nesciant, quinam sint. E. g. si quis dicit: credo quod credit Calvinus, quod credit Zuinglius, vera sunt quae docet Lutherus, hic est haereticis credens. Quinimo etiam talis censendus est ille, qui licet profiteatur aliquem particularem errorem contra fidem, tamen nulla suffultus ratione eum profitetur, sed solummodo ob auctoritatem ex. gr. Lutheri, Calvini etc. Revera credere est aliquid admittere ob auctoritatem alterius, idcirco si quis aliquam haeresim profitetur, quia hic, aut alius haereticus eam docet et tuetur, etiam haeretico credens dicendus est. Hinc hoc discrimen intercedit inter haereticos eisque credentes. Hae-

retici explicite, et per rationem sibi visam unam aut plures fidei veritates denegant; eis credentes vero implicite haereticorum errores profitentur, quin errores ipsos in particulari sciant, vel si sciunt, eos profitentur, quin perpendant rationes, sed solummodo ob illius haeretici auctoritatem.

Supervacaneum omnino censemus ad tutriham vocare, utrum haereticis credentes uti veri haeretici censendi sint, quia eorum explicita mentio fit in hac Constitutione, ac proinde excommunicationem certo incurrunt. Sed obiter pro rei claritate dicimus eorum sententiam esse sequendam, qui uti veros haereticos eos putant. Enimvero sicut qui dicit: credo quod Ecclesia Catholica docet, veram fidei actum elicit, et catholicus est dicendus; ita qui profert: credo quod docet Calvinus, Lutherus, licet ignoret, quod ipsi docuerunt, actum fidei contrarium elicit, et haereticus est dicendus. At quaestioni finem posuit Gregorius IX, qui ad exortum dubium circa hoc respondit: *credentes autem eorum erroribus, haereticos similiter judicamus.* Idque retinuit Nicolaus III. in Const. *Noverit* per eadem verba: *credentes autem eorum erroribus similiter haereticos judicamus.*

In poenas latas contra apostatas, haereticos, eisque credentes incidunt etiam eorum receptores, fautores, et defensores, de quibus in praesenti loquimur.

De receptoribus. Quis haereticorum dicitur receptator? Ille dicitur haeretici receptator, qui sciens talem esse haereticum, et ob causam haeresis fugere, vel se abscondere, hospitio recipit vel in domo propria, vel aliena, vel in agro, vel in civitate, vel in alio loco; et hoc sive publice, sive secreto faciat, et etiamsi semel dumtaxat id efficiat. Hinc si quis haereticum ob causam haeresis fugientem absconderet, ne a judice legitime inquisitus capiatur, vere receptator est, et excom. incurrit. Nec obstat ad hoc, quod ille non sit denuntiatus, quia non prohibetur talis receptio, ne communicetur cum eo, sed ne causae haeresis quis faveat, quod vere facit, qui haereticum ob causam haeresis fugientem hospitio recipit. Imo licet ipse haereticus ob ignorantiam non esset excommunicatus, quatenus invincibiliter censuram ignoret, tamen qui modo dicto hospitio cum reciperet, excommunicationi subjaceret, quia

semper verificatur, ipsum haeretico favorem receptionis praestare, ut innuit *Suarez.*

De fautoribus. Haereticorum fautores illi dicuntur, qui etiamsi a recta fide interius non dissentiant, nihilominus haereticis favorem praestant, ut facilius haeresim doceant, atque evulgent: etiamsi haereticus sit occultus, vel materialis, quia bona haeretici fides non tollit legem, ideoque non excusat peccatum alterius; hinc etiam incurrit excommunicationem, qui favet haeretico dumtaxat materiali. Duplici autem modo potest aliquis esse haereticorum fautor, omissione et commissione; *omissione* est fautor haeretici, qui cum teneatur eum capere, vel judicibus indicare, quia ab ipsis interrogatur, non indicat, sed veritatem celat; vel si captum suae curae commissum non custodiat diligenter, vel non puniat eum, qui sibi committitur puniendus. Unde magistratus et aliae personae publicae, qui requisiti ab Episcopis, vel Inquisitoribus negligunt haereticos capere, captosve diligenter custodire, excommunicatione ligantur. *Commissione* est fautor haeretici, qui vel verbis laudat eum affirmans esse hominem probum, vel adjuvat, ut fugiat; item qui eos invitant ad praedicandum inter catholicos, vel adjuvant ad eorum templa erigenda, et scholas aperiendas, vel ideo sumptus suppeditant. Ita *Salm.* tract. X. cap. IV. p. V. Similiter haereticorum fautores sunt, qui adscribuntur diariis haereses continentibus, quorum auctores sunt haeretici, aut apostatae a fide; idest adscribuntur, vel ne diaria ipsa pereant, paucis nomen eis dantibus, vel ut haeretici possint facilius haeresim propagare. Denique hortantes, suadentes, inducentes, vel provocantes alios animo favendi haeresi, ut quoque ipsi se diariis illis socient, vel ut emant, incidunt in eandem excommunicationem, dummodo alii eorum suasione effective emant, vel se socient.

De defensoribus. Quis dicitur haeretici defensor? Dupliciter dicitur aliquis haeretici defensor— 1° illius errores defendendo, pro eis argumenta faciendo, vel solvendo objectiones oppositas, aut verbis vel scriptis laudando, etiamsi interius non assentiatur ejus erroribus—2° defendendo ipsius personam ne capiatur a judice ob causam haeresis, vel captum aliqua via

liberando; vel impediendo ne a judicibus puniatur, muneribus, minis, dolo, vi, vel potentia. Diximus *ob causam haeresis*, si enim ex alia causa eum defendit v. g. ne propter furtum, aut homicidium a satellibus comprehendatur, ne a latrone vel alia persona particulari feriatur, aut damnificetur, non dicitur haeretici defensor, nec poenas contra defensores haereticorum impositas incurrit.

Quaeres I. Haereticus vel Apostata debetne esse nominatim declaratus, ut ejus receptator, fautor, aut defensor hanc excommunicationem incurrat? Minime quidem, quia ab Ecclesia prohibetur receptio, favor aut defensio haeretici, non quatenus est excommunicatus, ad impediendam nempe communicationem cum ipso; sed prohibetur ad avertendam haeresim, ne facilius propagetur, ne ut gigas crescat ad currendam perversionis viam, uno verbo ne latius diffundatur.

Quaeres II. Haereticus vel Apostata debetne esse notorius, ut receptator, fautor et defensor praedictam excom. incurrat? Satis est, ut sit cognitus illi, qui ei favorem aut auxilium praebet, quia in hoc articulo generatim dicitur: *omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, defensores,* nulla distinctione facta inter haereticos notorios et occultos; et quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Quaeres III. Ut aliquis dicatur fautor, defensor, et receptator haeretici, requirituine, quod id faciat animo favendi haeresi, an sufficit quod etiam alio motivo id efficiat, puta quia est amicus, quia consanguineus, quia ab eo subornatus cum muneribus aut promissis, vel ex alio motivo parvo vel indifferenti, licet illius haeresim detestetur, et non habeat intentionem favendi tali errori? Duplex datur sententia circa hoc dubium. Prima asserit recipientem, faventem vel defendentem haereticum in causa haeresis incurrere excommunicationem, licet haeresim detestetur, et animum non habeat favendi tali errori, sed ex alio motivo ducatur, quia intentio legis talem poenam statuentis est, quod nullus aliquid faciat, quod proxime in favorem haeresis redundet; at talis receptio, vel auxilium, licet non fiat ex motivo favendi haeresi, sed vel ex

amicitia, consanguinitate vel avaritia, vere et proxime redundat in favorem haeresis: ergo hoc modo receptatores, fautores et defensores excommunicationi subjacebunt. Sed verior est sententia negativa, quae asserit non incurrere praedictam excommunicationem, qui non animo favendi haeresi, sed ex alio motivo recipit, favet, vel defendit haereticum, quia cum Ecclesia excommunicat receptores, fautores, defensores haereticorum, tantum eos damnare censetur, qui eos recipiunt, favent aut defendunt, quatenus haeretici sunt, nempe Ecclesia intendit punire receptionem, favorem, et defensionem, quae proxime in haeresim redundat, non vero remote, et ex consequenti. Iam vero qui recipit, favet, defendit haereticum, quia amicus est, aut consanguineus, favor proxime respicit amicitiam, aut consanguinitatem, remote vero et ex consequenti redundat in favorem haeresis: ergo juxta veriorem sententiam praedicti excom. non incurrunt. *Salm.* tract. X cap. IV. p. V. Ceterum sumus in poenis, in quibus stricta facienda est interpretatio.

Quaeres IV. An qui recipit, favet, defendit haereticum, incurrat excom. effectu non sequuto, ex. gr. si recipitur haereticus hospitio, ne capiatur ab Inquisitoribus, et nihilominus captus est; si magno conatu procuratur, ne puniatur, et nihilominus punitus est; si favetur illi, ut errorem disseminet, et nihilominus ipse de facto illum non disseminavit, incurriturne excommunicatio contra receptores, fautores, defensores haereticorum lata? Nonnulli negant, et est verior et communior sententia, quia excommunicatio primo et principaliter in haereticos est lata, accessorie vero in receptores, fautores et defensores illorum: atqui dum aliquis principaliter excommunicatur, et ex consequenti mandantes, aut consulentes, vel faventes, hi non incurrunt effectu non sequuto mandati, consilii aut favoris: ergo similiter in nostro casu. Alii affirmant, quia lex prohibens ne haeretici recipiantur, faveantur aut defendantur, intendit, ne per talem receptionem, favorem aut defensionem haeresis foveatur, vel firmetur; sed qui recipit, favet aut defendit haereticum, quantum est ex parte sua, illi favet, et in haeresi firmat, saltem illo intervallo temporis,

quo eum servat absconditum, aut favet, aut defendit: ergo dictam excommunicationem incurret. Sed prior sententia probabilior est, et in praxi tenenda, quia in poenis stricta facienda est interpretatio.

II.

Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes nec non libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

Per hanc Constitutionem, abrogatis excommunicationibus ad rem praesentem latis a Bulla Coenae, et a Regula X^a^ Indicis, ligantur excommunicatione spec. modo Papae reservata solummodo scienter legentes sine facultate Apostolica libros auctoris haeretici, aut apostatae a fide continentes et simul propugnantes haeresim, nec non libros cujusvis auctoris nominatim prohibitos per litteras apostolicas, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes.

Uti ex enuntiatione articuli apparet, sub unico contextu prohibetur tum legere, quum retinere, imprimere ac defendere praedictos libros, ideoque quod dicitur de lectoribus, de aliis etiam affirmandum est.

Censura lata in hoc articulo contra legentes non incurritur indiscriminatim ab omnibus, qui haereticorum aut apostatarum libros quoscumque, aut quocumque modo legunt; sed in textu nonnullae indicantur limitationes, quas pro rei claritate, utpote totidem conditiones exprimimus. Ut igitur praedicta excommunicatio incurratur, requiritur. 1° ut auctor libri sit haereticus, aut apostata a fide, aut sit liber per litteras Apostolicas nominatim prohibitus. 2° ut liber haeresim expresse contineat, et eam propugnet. 3° ut legatur materia notabilis, et sufficiens ad mortale, sine auctoritate Sedis Apostolicae. 4° ut scienter legatur, aut retineatur, aut imprimatur, aut defendatur. Singillatim hujusmodi conditiones explanantur.

Requiritur 1. ut auctor sit haereticus, aut apostata a fide; quapropter eam non incurrunt legentes libros infidelium, etsi haeresim contineant, quia in Constitutione dicitur: *libros haereticorum aut apostatarum S. Alph.* VII. 282. Similiter non incurrunt excommunicationem legentes libros catholicorum referentes fuse ad verbum textus et errores libri haeretici, quia non sunt libri auctoris haeretici; quin imo quamvis legant animo discendi haeresim. *S. Alph.* 285. Item eam non incurrunt, si in catholici scriptoris libro, vel alio hac Constitutione non contento, legant adjecta scholia, vel notas auctoris haeretici, dummodo tamen adnotationes non sint libro majores, nec scholia sint tam copiosa, ut ex iis potius, quam ex textu liber constet. *S. Alph.* 286. Similiter non incurrunt excommunicationem legentes libros cujusvis auctoris non haeretici prohibitos ob suspicionem haeresis; item libros cujusvis auctoris suspecti de haeresi indigentes expurgatione, et nondum expurgatos, quia certo non constat auctorem esse haereticum. Eadem ferme ratione non incurrit excommunicationem, qui legit librum catholici, quamvis liber damnatus sit velut liber haereticus, non enim ideo auctor est haereticus, ita *Croix.* Damnato tamen auctore tanquam haeretico, licet antea catholicus, libri ejus sunt hominis haeretici, ideoque eos legentes excom. incurrunt. Pariter excommunicationem incurrunt legentes librum ex professo tractantem de haeresi, eamque propugnantem, quamvis lateat auctor, qui certe censetur haereticus, unde iste liber inter libros in Constitutione vetitos numerari debet. *S. Alph.* VII. 282.

Incurritne excommunicationem 1° qui legit librum, cujus auctor est haereticis credens, vel eorum fautor, vel defensor? 2° qui legit librum, cujus auctor erat catholicus, sed in publicatione libri se manifestat haereticum? *Ad primum* admodum facilis est responsio. Articulus enim ita est intelligendus, ut se exprimit, jam vero in textu dicitur: *scienter legentes libros eorumdem apostatarum et haereticorum:* atqui tales non sunt praedicti: ergo eorum libros legentes excommunicationem non incurrunt. *Ad secundum* res videtur obscurior, quia in textu dicitur: *libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes,* nempe refertur hic secundus articulus ad primum,

in quo legitur: *omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos haereticos,* ac proinde videtur requiri ut haereticus debeat esse antea uti talis notus. At difficultas penitus evanescit, si animo haec duo recoluntur.—1° Haereticus potest esse talis sive ex doctrina, sive ex secta. Legitur enim in Regula II[a] Indicis Tridentini: *Haeresiarcharum libri, tam eorum, qui post praedictum annum haereses invenerunt, vel suscitarunt, quam qui haereticorum capita aut duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus etc, omnino prohibentur.* Unde *Suarez trac. de fide* II. 10 ait: *haereticos vero intelligimus tam primos, quam alteros sine ulla distinctione,* ideoque sive ex secta uti Lutherani, Calvinistae, sive ex doctrina, ii nempe qui errores contra fidem docent, semper haeretici dicendi sunt, dummodo nulla praesumi possit ignorantia.—2° verba primi articuli *omnes ac singulos haereticos* cùm sint generalia, lato sensu sunt accipienda, ita ut non tantum haereticum ex secta, sed etiam ex doctrina comprehendant. Hoc posito facilis est responsio. Si certissima est haeresis propagatio, atque ita ut aperte manifestet auctorem a fide catholica defecisse, et verum esse apostatam, etsi antea non fuerit cognitus uti talis, haereticus est, et ejus librum legentes excom. incurrunt. Sic excommunicationem incurrit, qui impiissimum librum Renan legit, cum certissima sit haeresis propugnatio, et luce clarius auctorem a fide decessisse, ac proinde esse apostatam a fide, licet antea non fuerit cognitus uti talis. Si vero propugnatur haeresis, sed non tam vivide, nec tam pertinaciter error tuetur, refellendo nempe oppositas veritates, ita ut non certo constet auctorem esse formaliter haereticum, et tunc ejusmodi librum legentes excom. non incurrunt, quia licet contineat haeresim, et eam propugnet, non tamen manifesto apparet auctorem a fide decessisse, et haereticum esse.

Insuper hanc secundi articuli censuram incurrit etiam ille, qui legit libros per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, quamvis auctor non sit haereticus, et quaecumque sit materia, quam continent; etiamsi prohibiti sint per litteras Apostolicas ante hanc Constitutionem, quia, edita praesenti Constitutione, non deseruerunt eorum naturam, et militat idem periculum fi-

dei, ac si postea prohibiti essent. Eo vel magis quia in hac Constitutione nulla clausula invenitur, quae praeteritos libros a futuris distinguat, utpote quandoque in Bullis adhibita reperitur, nempe dicitur *in posterum valiturum.*

At quid venit per haec verba, explicandum est. Sub nomine litterarum Apostolicarum veniunt illae, quae sub Romani Pontificis nomine immediate eduntur, ideo dicuntur litterae Papae, vel Romani Pontificis (1). Hinc si liber est vetitus per S. R. Congregationes tam Indicis, quam S. Officii, aut per Concilia etiam Oecumenica, qui hunc legit, praedictam excommunicationem non incurrit, quia non est prohibitus per litteras Apostolicas.

Attamen litterae Apostolicae quandoque libros damnant absque censura, quandoque sub censura nemini reservata, quandoque sub censura Papae reservata, quando ergo legentes praedictos libros excommunicationem incurrunt? Controvertitur. Nonnulli dicunt libros sive cum censura, sive absque per litteras Apostolicas esse prohibitos, eos legentes semper excommunicationem incurrere, quia textus generaliter loquitur, et quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Alii secus censent, quia mens Pontificis in praedicta Constitutione fuit limitare censuras, hinc inferri non potest voluisse censuras spec. mod. Pontifici reservatas extendere etiam ad illos libros, qui sub nulla, aut sub censura nemini reservata prohibiti fuerunt; esset enim censurarum multiplicatio, non limitatio; ideoque dicendum tunc tantum praedictam censuram incurri, cum leguntur libri per litteras Apostolicas prohibiti sub censura R. Pontifici reservata. Quaestio igitur est inter Doctos.

Praeterea ad incurrendam excom. debet esse liber nominatim prohibitus per litteras Apostolicas, id est expresso titulo Operis;

---

(1) Hujusmodi litterae diversimode mittuntur aut per Bullas, quae prodeunt a Cancellaria Apostolica, et incipiunt nomine Pontificis, id est *Leo Episcopus servus servorum Dei*; aut per Brevia, quae a Secretario Brevium prodeunt, et in medio adest Pontificis nomen, nempe *Leo Papa XIII;* aut per Epistolas Encyclicas, aut per alias formas, dummodo in illis sit expressum *de Apostolicae nostrae auctoritatis plenitudine, vel Apostolica auctoritate:* quoties igitur tam in Epistolis Encyclicis, quam in aliis formis invenitur haec clausula, semper litterae Apostolicae nuncupantur.

hinc non sufficit sola indicatio libri, quin exprimatur titulus, quem in fronte gerit ipse liber, ita ut nulla occurrere possit dubitatio. Ideoque si prohibitio est generalis, nempe damnantur opera omnia auctoris B., vel prohibentur omnes libri editi ab auctore C., qui legit hos libros peccat, sed in nullam incidit censuram, quia non sunt libri nominatim prohibiti. Unde infertur, qui legit libros in Indice damnatos, si sunt libri auctoris haeretici, aut apostatae a fide continentes, et propugnantes haeresim, aut sunt libri per litteras Apostolicas nominatim prohibiti, peccat, et in praedictam censuram incidit; secus peccat, at nulli censurae subjacebit.

Requiritur 2. ad incurrendam praedictam excommunicationem, ut liber haeresim expresse contineat, et eam propugnet. Haec duo enucleanda veniunt — 1° dicitur in textu *haeresim*, hinc sufficit, ut liber unum tantum errorem contra fidem contineat, non vero oportet, quod plures inveniantur errores. Unde infertur, quod si liber haeretici unam tantum haeresim continet, totus liber est prohibitus, nec legi potest in aliis partibus non continentibus haeresim, et qui legit, praedictam excommunicationem incurrit. At si haeresis una, vel altera, quae in libro continetur, sit plane abrasa, aut ea folia sint detracta, incurruntne excommunicationem eum legentes? Nonnulli eos excusant, uti *Croix* 330. aliique, quia tunc liber revera non amplius continet haeresim, nec affert periculum. Alii, uti *Suarez, Bonac. Sanchez* cap. X. n. 3. oppositum tenent, quia particularis illa expunctio non tollit communem libri prohibitionem. Verum prior sententia probabilior est, et in praxi tenenda, quia odia sunt restringenda. — 2° in textu dicitur *haeresim propugnantes*. Propugnare haeresim sibi vult eam de industria et enixe tueri, nempe eam multis rationibus et argumentis, tum ex ipsa rei natura, tum aliunde desumptis fulcire, solvendo argumenta oppositae veritatis, ut major lux afferatur falsae doctrinae, quam docere aggreditur. Hinc si liber incidenter tantum continet haeresim, quin pro viribus tueatur, et rationes afferantur, vel si afferuntur, obiter tantum fit, et breviter, quin liber ex professo agat de fide, ipsum legentes excommunicationem non incurrunt. *S. Alph.* VII. 287.

Requiritur 3. ut legatur materia notabilis et sufficiens ad mortale sine auctoritate Sedis Apostolicae. Revera communiter Doctores in hac re bene admittunt dari parvitatem materiae, discrepant vero in assignando quaenam sit materia parva. Nonnulli, id est *Sanchez* cap. X. cum aliis dicunt esse paginam, et quid amplius, si volumen sit ex grandioribus; at hanc opinionem merito non admittunt *Salm.* cap. X. n. 74. Alii e contra dicunt esse tantum tres vel quatuor versus. Alii dicunt esse decem lineas. Alii tandem cum *Croix* lib. VI. n. 300 melius distinguunt, et dicunt in hoc attendendum finem prohibitionis; si enim in aperiendo libro occurrit doctrina, quae directe est contra fidem, incurritur excommunicatio, etiamsi legantur paucae lineae, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; si vero liber principaliter de materia indifferenti tractat, tunc etiam legendo paginam, si nullum ibi invenitur error, non committitur grave peccatum, et excommunicatio non incurritur. *S. Alph.* VII. 284. Hinc excommunicationem incurrit, ait *Sanchez* cap. X. n. 30, qui in sufficienti quantitate proemium dumtaxat, vel epistolam ad lectorem, vel adnexum indicem legit; sunt enim hae partes libri. Proemium atque epistola ad lectorem mentem auctoris, et ea, quae in toto libro tractanda sunt, explanant, index vero summam rerum in libro contentarum complectitur. Additur in textu *sine auctoritate Sedis Apostolicae,* quia solus Pontifex, vel qui ab eo delegatur, uti S. C. Indicis, aut Concilii potest facultatem concedere legendi libros prohibitos; et tantum in casu magnae necessitatis, ait *Viva* q. V. art. 1. potest eam concedere etiam Episcopus. Attamen nunc temporis S. Sedes Apostolica ad triennium concedit Episcopis facultatem tribuendi ecclesiasticis licentiam libros prohibitos legendi, et laicis ac medicis ac pharmacopolis libros legendi propriae artis. At omnes consentiunt, quod ex Epikeja bene excusantur ab excommunicatione et peccato omnes illi qui legunt praedictos libros, si necessario indigeant tali lectione ad convincendum haereticum ex suo proprio, vel alterius haeretici libro: puta inveniendo contradictionem etc., modo periculum sit in mora, nec pateat recursus ad Romam, vel ad Episcopum.

Requiritur 4. ut scienter legatur, aut retineatur, aut imprimatur, aut defendatur liber ad normam textus, ut censura incurratur; dicitur enim in textu *scienter legentes.... retinentes, imprimentes, defendentes*, singula verba expenduntur, ut cognoscatur quosnam per haec quatuor excommunicationem incurrere.

Scienter. Verbum scienter afficit non tantum legentes, sed etiam retinentes, imprimentes, defendentes, unde istos excusat a censura non tantum ignorantia invincibilis, sed etiam crassa sive juris sive facti, imo juxta plures etiam affectata, quia deest formalis contemptus censurae. At eam incurrit, qui sciens ex fama publica, vel saltem a viro fide digno librum esse eo modo quo prohibetur in textu, eum legit, uti docent *Lugo, Sanchez, Bonac.* et alii communiter cum *Croix.* lib. VII. n. 345.

Legentes. Per lectionem intelligitur non solum exterior recitatio eorum, quae in libro continentur, sed sufficit etiam quod visu et mente scriptura percurratur, intelligendo quod legitur, ita *Salm.* tract. X. cap. IV. p. 5. Dictum est *intelligendo quod legitur*, quia ad lectionem requiritur, ut scripta mente percipiantur, cum hujusmodi lectionem Ecclesia prohibeat; unde qui legit et non intelligit, nempe materialiter legit, excom. non incurrit, uti ex. gr. si liber est in alio idiomate exaratus, et legens parum in idiomate illo instructus verborum significationem ignorat. Similiter excommunicationem non incurrit, qui audit legentem, quia non legit, nam in textu excommunicatione plectuntur legentes.

Retinentes. Retinere est librum apud se, aut apud alium scienter habere quocumque titulo, et quavis ratione. Hinc nihil refert, utrum quis in sua, aut aliena domo, item num suo, an alieno nomine, utrum causa legendi, an non librum retineat, sive asservet; ratio est, quia Pontifex simpliciter prohibet libros asservari, volens eos penitus exterminari. Unde excom. incurrit, qui retinet libros haereticos tantum ad ornatum suae bibliothecae, licet idioma non intelligat, quia, ut dictum est, finis prohibitionis est, ut tales libri penitus destruantur. Item eam incurrit, qui tradit librum alteri habenti facultatem legendi, non abdicans a se dominium, quia reipsa retinet apud

alium, cum possit illum suo arbitrio repetere, in quo casu uterque eam incurrit: depositarius quia actu retinet, et deponens quia apud alium suum librum retinet. Quod dictum est de depositario valet etiam de eo, qui librum in commodatum accepit, aut in pignus, nam vere dicitur tenere. Quod si quis deponeret librum apud habentem licentiam cum expresso pacto eum non repetendi, ita ut alter non teneatur reddere, nisi post expurgationem, vel post licentiam impetratam, hic censuram non incurrit, quia eo tempore non retinet neque physice, neque moraliter, ita *S. Alph.* lib. 1. Eo vel magis eam non incurrit, si praedictus donaret absolute librum habenti licentiam sub conditione ut ei reddat, si deinde licentiam obtinebit. Similiter censuram non incurrit, qui ipsemet librum haereticum comburit, haec enim fertur contra retinentes; item eam non incurrit, qui tradit librum, ut retineatur in locis sequestratis, qui solent assignari in singulis monasteriis. Excusatur etiam a censura, qui librum retinet per breve tempus v. gr. unc vel altero die, ut docent communiter Doctores, etiamsi ipse in illo brevi tempore intenderet perpetuo librum retinere, quia deficit tunc materia gravis circa actionem externam; nam qui retinet per modicum tempus, non dicitur notabiliter retinere. Nec eam incurrit, qui haberet voluntatem absolute et perpetuo librum retinendi, et paulo post mutaret voluntatem, et Superiori traderet, quia censura non incurritur ob voluntatem, sed ob ipsam retentionem, quae si non est longa, non censetur materia sufficiens ad censuram. Similiter qui paratus est tradere librum Superiori aut habenti facultatem, potest expectare occasionem, ut tradat; et si commoditas tradendi deesset, et diu expectaretur, ne censuram quidem incurreret, quia non dicitur vere retinere contra praeceptum Ecclesiae, qui expectat opportunum tempus tradendi.

Imprimentes. Imprimere est typis librum edere. Ut autem libri in lucem edantur, plures concurrunt: videlicet qui fundunt et vendunt characteres seu typos, qui vendunt atramentum, chartam, torcularia, qui typos seu characteres componunt, qui chartam madefaciunt, qui imponunt atramentum, qui prelo supponunt chartam, qui torcularia premunt, qui primas im-

pressiones (vulgo stamponi) corrigunt, qui folia plicant, qui plicata consuunt, vel ligant, et dominus officinae, qui omnibus praeest, et mandat. Iam vero ut quisque videt, non omnes isti eodem modo concurrunt, sed alii plus vel minus remote, alii vero proxime. Quinam igitur praedictam censuram incurrunt? Illi tantum, qui communi modo loquendi dicuntur imprimere, et ad impressionem proxime concurrunt, scilicet (ut communiter docent DD.) dominus officinae, qui characteres componunt, qui atramentum imponunt, qui chartam madefaciunt, et supponunt prelo, qui torcularia premunt, omnes enim isti dicuntur imprimere. Utrum incidant correctores, quamvis aliquis affirmet, communius vero negatur, isti enim non sunt impressores; eam vero possent incurrere uti legentes, quoties nempe magnam partem legerent. Similiter auctor libri, vel alius tradens librum ad imprimendum juxta aliquos incidunt in poenam, quia sunt causa principalis impressionis; juxta alios non incidunt, quia isti uti haeretici jam sua poena obstricti sunt, et hac censura intendit Summus Pontifex cohibere tantum impressores materiales, ne hujusmodi libros evulgent, non alios. Demum ceteri concurrentes ad hujusmodi libri editionem, si data opera, et ad hoc concurrunt, ut liber edatur, et haeresis diffundatur, essent haereticorum fautores, et in poenas contra eos latas inciderent.

Defendentes. Illi dicuntur, et sunt defendentes, qui damnatos libros veluti non damnandos tueri adnituntur, atque ideo damnatorum librorum patrocinium suscipiunt. Isti sunt, qui externe adprobant, et laudant, quae in ipsis libris sunt, vel affirmant eos non esse pravos, nec esse comburendos; qui laudant stylum vel doctrinam eo animo, ut damnationem impediant; qui ex pravo animo, vel ex respectu auctoris proponunt argumenta pro defensione libri haeretici, vel haeresis in eo contentae; hi omnes sunt defendentes, et excommunicationem incurrunt. Qui autem defendunt librum haereticum non absolute, sed tantum ab oppugnationibus illius inefficacibus, dummodo simul absolute dicant esse reprobandum ex aliis rationibus, censuram non incurrunt, quia hoc non est proprie defendere librum, sed est impugnare argumenta male impugnantis, ita *La*

Croix lib. VII. n. 357. Similiter qui laudant tantum ingenium auctoris, stylum et erudictionem reprobantes ejus doctrinam, excom. non incurrunt, quia librum non defendunt.

Haec defensio fieri potest non tantum verbis, sed etiam factis, unde qui occultant librum, qui impediunt, quominus comburetur, qui ab incendio vel manu Inquisitoris vindicant, qui opponuntur, ne tales libri Episcopo tradantur, hi omnes facto defendunt, et excommunicationem incurrunt, ita *S. Alph.* VII. 285.

Quaeres I. An excommunicationem incurrat, qui librum haeretici non ipsemet legit, sed alteri legendum tradit, et mandat? Nonnulli negant cum *Sanchez* n. 48, tum quia ille tantum dicitur legens, qui visu et mente scripta percurrit, tum quia censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, nisi exprimantur, cum lex poenalis stricte interpretanda sit; et ideo inferunt excommunicationem non incurrere, qui imponit alteri habenti facultatem, ut sibi librum legat, et ita haeresim intelligat. Alii cum *Laym.* et *S. Alphonso* probabilius affirmant, quia moraliter rem aestimando qui tradit alteri librum legendum, librum legit, quamvis per alterius ministerium; lectio enim fit nomine ipsius, unde illud pervulgatum adagium: qui per alium facit, perinde est, ac si ipsemet faciat; ideoque dicendum quod qui mandat alteri librum legendum et audit, moraliter ipse eum legit, et excom. incurrit. Hinc in praxi debet confessarius ad cautelam facultatem petere, ut eum absolvat.

Quaeres II. Utrum legentes haereticorum manuscripta continentia et simul propugnantia haeresim excommunicationem incurrant? Nonnulli affirmant, dicunt enim manuscripta adhuc venire sub nomine librorum, prout appellabantur libri, priusquam typus inventus fuisset; eo magis quia eadem ratio viget in istis, ut prohibeantur, ac in libris, nimirum periculum perversionis in legente. Insuper etiam nunc manuscripta, ubi annotantur baptismata et matrimonia, a Rituali et vulgo dicuntur libri; ideoque manuscripta recte dicendi sunt libri, alioquin eluderetur omnis prohibitio. Possent enim haeretici sola manuscripta divulgare, aut alii possent curare, ut haereticales

libri ita describantur, sicque prohibitio eluderetur, nec incommoda evitarentur. Alii negant, quia manuscripta non sunt in rigore libri, et tunc tantum vocabantur libri, cum typi non erant inventi; at nunc temporis, typis inventis, librorum nomine proprie libri typis impressi, non manuscripta intelliguntur. Iam vero si inter praeteritum et praesens adest discrimen, potest bene inferri, quod hodie manuscripta propter typorum inventionem a libris diversificantur; et si in praesenti manuscripta, ubi annotantur baptismata et matrimonia, dicuntur libri, improprio nomine ita appellantur ex tacito hominum consensu ad ea indicanda. Eo magis quia manuscripta in Pontificiis Constitutionibus diversificantur a libris, et quoties Rom. Pontifices sub prohibitione librorum etiam manuscripta comprehendere volunt, id exprimere solent. Et ut ceteros omittamus satis habebimus solum Bened. XIV. afferre, qui in Constitutione *Altissimo divinae* damnavit omnia scripta vel manu exarata, vel typis excussa, in quibus renovantur, vel defenduntur errores a seipso per dictam suam Constitutionem damnatos. Neque ideo eluditur prohibitio, nam libri impressi facilius habentur, et libentius leguntur. Hinc haec secunda sententia in praxi est admittenda, quia manuscripta non sunt in rigore libri, et in odiosis non est facienda extensio.

Quaeres III. Incurritne excommunicationem qui haeretici scripturam, orationem, concionem, quaestionem, epistolam separatim editam, et propugnantem haeresim legit? Nonnulli affirmant 1° quia in brevi etiam scriptura, oratione, concione, quaestione, epistola eadem ratio periculi perversionis habetur; et cum sit haec lex favorabilis fidei, est extendenda quantum verba admittunt, et intentio legislatoris patitur; 2° quia si talis quaestio vel concio esset in libro haeretico, aut si epistola illi esset praefixa, quamvis unum tantum folium contineret, prohiberetur legi: ergo etiam prohibetur, quando est separata, cum de se sit apta tali libro inseri; 3° quia si scripta haeretica separatim edita legi possent, sequeretur quod etiam conjuncta legi possent, cum sint eadem sive separata, sive conjuncta. Alii negant, et haec est probabilior sententia, quam tenent *Sanchez.* n. 27. *Bonac.* disp. 2 q. V. p. IV. n. 18, quia revera hujus-

modi concio, vel epistola, vel quaestio non potest dici liber, et in hac re stricta facienda est interpretatio, cum agatur de re odiosa, utpote de poena incurrenda. Nec oppositae rationes multum valent, quia nimis probant, ideoque nihil probant. Nam si res ita se haberet, tunc etiam legentes folia volantia auctoris haeretici haeresim propugnantia excommunicationem incurrerent; at quis nunc temporis post responsionem Supremae Univer. Inquisitionis, quae inferius refertur, hoc admittit?

Quaeres IV. Incurritne excommunicationem qui ephemerides legit auctoris haeretici, aut apostatae haeresim propugnantes? Ephemerides, et diaria nunc temporis non uno eduntur modo. Alia siquidem eduntur foliis volantibus, alia in fasciculos, seu libellos ligata ad constituendum librum ordinata. Alia prodeunt anonyma, alia subscriptum habent nomen auctoris, alia se inscribunt politica, alia litteraria, alia religiosa etc. Hoc posito si diaria sunt ligata in fasciculos, et propugnant haeresim, et subscriptum habent nomen auctoris haeretici, vel apostatae, utrum ea legentes ab excommunicatione excusentur quaestio erat, nonnulli negabant ea ratione ducti, quia non sunt libri; alii affirmabant, quia haec diaria sic efformata sunt veri libri, libri enim non mensurantur a paginarum numero, sed a forma, et haec diaria vere veniunt in forma librorum. At quaestionem sustulit Cong. S. Officii, quae interrogata: Utrum scienter legentes publicationes periodicas in fasciculos ligatas, habentes auctorem haereticum et haeresim propugnantes excommunicationem incurrant, de qua Bulla *Ap. Sedis.* 12 Octobris 1869 in excom. R. Pontifici spec. modo reservatis art. 11? Respondit. *Affirmative.* Die 13 Ianuarii 1892. At quid dicendum, si hujusmodi ephemerides prodeunt foliis volantibus? Magna haec fuit olim quaestio inter Theologos, et pro utraque parte certabant non infimi nominis auctores. Ratio, qua hic diversus interpretandi modus ortum habuit, non alia fuit nisi quia Pius IX. in Allocutione 1° Nov. 1874. de diario verba faciens, cui titulus La Capitale dixit: *Altra volta questi fogli furono da Noi proibiti, ed in questa occasione torniamo a proibirli tutti, o a dir meglio confermiamo le antiche proibizioni con le annesse censure.* At nunc temporis lis finita est. Quaesitum namque fuit

Supremae Universali Inquisitioni: An scienter legentes ephemerides propugnantes haeresim incurrant excommunicationem articuli II. Const. *Ap. Sedis.* Summo Pontifici spec. modo reservatam? Sacra Suprema Inquisitio respondit: Negative. Die 27 Aprilis 1880.

III.

Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

Hoc articulo Romanus Pontifex unitati Ecclesiae consulere voluit. Haec autem unitas exurgit ex unitate fidei, et charitatis seu communionis, quo fit, ut ii omnes, qui ad unitatem Ecclesiae pertinent, eandem fidem profiteri, et eandem communionem tenere debeant. Unitati fidei opponitur haeresis, cui provisum est art. 1°; unitati communionis opponitur schisma, cui hoc articulo consulit Romanus Pontifex, infligendo censuram illis, qui temerarie unitatem Ecclesiae scindunt. Schisma igitur definitur: Voluntaria et pertinax subtractio, et separatio ab unitate Ecclesiae. Hinc qui nolunt subjici Ecclesiae, aut recedunt ab obedientia Papae, ut Papa est, vinculo excommunicationis ligantur. Dixi, *ut Papa est*, nam non omnis separatio a Papa est schisma, sed solum recessus ab ipso tanquam a Vicario Christi in terra, et capite totius Ecclesiae. Sic schisma fit, cum aliquis principatus, seu regnum negans obedientiam Romano Pontifici, uti capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in spirituali obedit, non attentis Papae mandatis; licet de cetero omnes fidei articulos credat, ipsius etiam Papatus necessitatem. Schismaticus vero non est, qui Romanum Pontificem tanquam Vicarium Christi in terra recognoscit, eique tanquam Pontifici obedientiam praestat, sed non vult illum recognoscere uti temporalem dominum, eique obedientiam denegat, dum jubet, ut suis politicis legibus obtemperet; quia schisma constituitur per subtractionem a spirituali imperio et auctoritate Romani Pontificis, non vero a temporali.

Hoc autem schisma dupliciter perfici potest; vel novas Eccle-

sias constituendo, iisque jam constitutis se consociando, vel denegando simpliciter subjectionem et dependentiam Romano Pontifici, utpote Ecclesiae capiti. At quovis modo quis separatur ab unitate Ecclesiae, semper hanc censuram incurrit. Hinc eam incurrunt tam illi catholici liberales, qui ab omni Romani Pontificis lege se liberos existimant, licet nulli sectae adhaereant, quam illi qui ad aliquam sectam ab Ecclesia separatam confugiunt, vel Ecclesiam Nationalem constituunt, vel jam constitutae sociantur, uti nonnulli neoterici, qui harum Ecclesiarum necessitatem docere ausi sunt.

At ut censura incurratur, pertinaciter hujusmodi separatio fieri debet, nempe requiritur scientia et determinata voluntas; hinc si quis ignoranter, vel quia probabiliter putat Pontificem regnantem non esse legitimum, ab ejus obedientia se subtrahit, hanc censuram non incurrit, quia non recedit pertinaciter ab obedientia Summi Pontificis, sed illius personae, quam putat ad Sedem Pontificiam non fuisse legitime electam.

Hinc infertur: — 1.° eum, qui a Pontifice pro tempore existente se subtrahit, et ad successorum obedientiam se remittit, hac censura ligari, uti eruitur ex textu; — 2.° eum, qui non obtemperat praecepto Papae, eo quod illius praecepti observantia sibi commoda non est, aut quia personam Summi Pontificis odit, non subjacere excommunicationi, modo non intendat se ab illius obedientia subtrahere, ut Papa est; hic enim non est proprie schismaticus, nec dicitur formaliter recedere ab obedientia Papae, ita *Ugol. Azorius*; — 3.° eum, qui solum recedit ab obedientia alicujus particularis Episcopi, non subjacere huic excommunicationi. At eam incurrerent Episcopi, si forte adessent, qui, inscio Romano Pontifice, concilium convocarent, vel eo dimisso prosequerentur, quia se subtrahunt a Romano Pontifice, utpote Ecclesiae capite; — 4.° schismaticum, qui solo animo intendit se subtrahere ab obedientia Papae, non affici hac excommunicatione; nam ad incurrendam excommunicationem non sufficit actus internus. Secus dicendum est de eo, qui schisma factis, aut verbis, aut alio signo externo manifestat; schisma enim satis consummatur in externo opere, ita *Sayrus*. Ideo ligatur hac censura, qui facto exteriori indicat se recedere ab obedientia Papae,

licet in mente non intendat recedere. Delictum enim schismatis consistit in subtractione ab obedientia Papae, subtractio autem contingere potest non solum cum actu interno se subtrahendi, verum etiam cum solo externo opere; unde ligantur hac censura, qui externa obedientiae signa exhibent erga aliquem Regem (si forte adesset), quibus indicare praesumunt, ipsum esse Christi Vicarium in spiritualibus, qualem ipse se jactat, etiamsi interius in mente sentiant ipsum non esse Christi Vicarium, ita *Sanchez;* — 5.° hac censura non ligari fautores, receptatores aut defensores schismaticorum; nam in odiosis non est facienda extensio ultra verborum proprietatem et significationem, et in hac Constitutione non significatur hac censura ligari fautores, et receptatores, sicut exprimuntur fautores, et receptatores haereticorum.

Ex dictis patet differentia inter excommunicationem, quae ob haeresim contrahitur, et excommunicationem, quae ob delictum schismatis incurritur. Nam excommunicatio ob haeresim non contrahitur, nisi adsit error in mente (nullus enim est haereticus, nisi aliquid in mente sentiat contra fidem), excommunicatio vero ob schisma contrahitur solo exteriori opere; schisma enim sufficienter in sua specie completur per exteriorem actum, etiamsi non adsit intentio subtrahendi se ab obedientia Papae; unde committitur non solum directa intentione subtrahendi se ab obedientia Papae, verum etiam indirecta, qua quis opere externo ita se gerit, ac si Papae subjectus non esset, ita *Sanchez, Suarez.*

Denique animadvertendum est, quod si quis ab unitate Ecclesiae recedit cum aliquo errore contra fidem, ex. gr. credendo Romanum Pontificem non esse Ecclesiae caput, aut habere tantum primatum honoris non vero jurisdictionis, aut aliquid aliud credendo contra fidem, duplici ligatur censura, ratione nempe haeresis, et schismatis; uti sunt vulgo dicti *Vecchi cattolici*, qui praeterquam quod Ecclesiam Nationalem constituerunt, etiam infallibilitatem Rom. Pontificis denegarunt.

IV.

Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

Appellatio est de minori judice ad majorem provocatio, ita *Glossa*. Prohibetur hoc articulo hujusmodi appellatio a mandatis, vel ordinationibus Summi Pontificis, tum ob injuriam, quae Sedi Apostolicae per hanc appellationem irrogatur, tum quia inducit schisma et rebellionem in Ecclesia. Cum enim appellatio fiat a minori judice ad majorem, appellans ab ordinationibus vel mandatis Papae ad futurum Concilium judicat Concilium generale auctoritatem habere supra Papam, quod est falsum, cum omnia Concilia Romanae Ecclesiae auctoritate facta sint, et ab ea robur accipiant.

Omnes igitur et singuli, cujuscumque gradus et conditionis sint, appellantes ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes, ligantur vinculo excommunicationis, quicumque illi sint, modo non sint Universitates, Capitula, vel Collegia; haec enim ligantur interdicto, de quo postea sermo fit.

Explanatur textus. Verba *omnes et singulos* denotant hanc poenam ad quoslibet in hac re delinquentes extendi, idest ad omnes nemine excepto. Subjungitur *ab ordinationibus....* Verba *ab ordinationibus seu mandatis*, cum latam habeant significationem, denotant comprehendi hoc articulo ea omnia, quae Rom. Pontifex munere Supremi Pastoris fungens imperat, ordinat; unde sive sint decreta, sive praecepta, sive admonitiones, sive censurae sive poenae a Rom. Pontifice latae, omnes a praedictis ad universale futurum Concilium appellantes hac censura innodantur, ita *Alterius, Duardus, Ugol.* Subjungitur *Romanorum Pontificum* ut discriminarentur ab iis, qui ab ordinatio-

nibus seu mandatis Episcoporum, aut aliorum ad alios Episcopos appellant; isti enim non dicuntur appellare ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontificum ad universale futurum Concilium, et censuram effugiunt.

Heic tamen notandum est: — 1.° huic censurae subjacere eos, qui appellant ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontificum ad universale futurum concilium in causis spiritualibus, aut in iis, quae sunt spiritualibus adnexae, quia istae solae pertinent ad Papam, ut Papa, non vero si appellant in causis temporalibus, quia haec censura lata est ad vitandum schisma, ac rebellionem in Ecclesia per appellationem ad futurum Concilium, et per appellationem in spiritualibus tantum significatur Summum Pontificem non habere supremam in Ecclesia potestatem, sed ipsum esse Concilio Generali inferiorem. Cum autem per appellationem in temporalibus non sit periculum hujusmodi schismatis et rebellionis, sequitur appellantes in causis temporalibus ab ordinationibus, seu mandatis Rom. Pontificum ad futurum universale Concilium non ligari hac censura, praesertim cum in materia poenali stricta facienda sit interpretatio, ita *Reginaldus*, aliique; — 2.° hac censura innodari appellantes non solum ab ordinationibus seu mandatis justis Rom. Pontificum, sed etiam injustis, aut factis ex ira, vel animi perturbatione; tum quia Constitutio generaliter loquitur de appellantibus ab ordinationibus seu mandatis; tum quia militat eadem ratio, ob quam Summus Pontifex hanc censuram tulit, et quisque debet potius privatum damnum pati, quam gravem Sedi Apostolicae injuriam inferre; — 3.° eum, qui a decretis appellat, quae Papa ex cathedra emittit in rebus fidei et morum ad universale futurum Concilium, haereticum esse, et duplici excommunicatione esse irretitum.

Insuper dicitur in textu *ad universale futurum Concilium*, hinc appellantes ad Concilium Synodale, vel Provinciale censura non ligantur, quia non est universale Concilium. A fortiori non ligantur appellantes a Collegio Cardinalium ad futurum Summum Pontificem, vel a Concilio ad Summum Pontificem: secus si a Concilio, cui Papa interesset, appellarent ad aliud universale Concilium; tunc enim dicerentur appellare ab ordinationi-

bus Papae ad futurum Concilium. Si quis vero appellaret ab ordinationibus seu mandatis Papae ad futurum Papam, vel ad Concilium universale praesens, hac censura non ligaretur, quia in poenis non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem. Constitutio siquidem loquitur de appellantibus ad futurum Concilium, non vero ad praesens, vel ad Papam successorem; et quamvis etiam appellans ad Concilium universale praesens, injuriam Sedi Apostolicae faciat, non tamen excommunicationis poena ligatur, ut patet ex ratione proxime allata. Nec censuram incurrit, qui ab ordinationibus seu mandatis Papae defuncti ad universale Concilium appellat, quia in textu dicitur *pro tempore existentium,* et qui mortuus est, non existit, ideoque tales appellantes censuram incurrere dici non possunt.

Denique non solum appellantes, verum etiam auxilium, consilium, vel favorem praestantes (modo auxilium, consilium, vel favor influant ad appellandum), poenam excommunicationis incurrunt; in Constitutione enim dicitur: *quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.* Hinc advocati, tabelliones, testes, aliique media suppeditantes ad appellandum hanc censuram incurrunt, utpote auxilium praestantes. Qui suadent posse, licere, aut debere appellare, censuram incurrunt utpote consulentes. Qui patrocinium suscipit, nempe approbando, laudando appellationem, quae factura est, vel eam non impediendo, cum possit, hac censura ligatur, utpote favorem praestans. Qui vero appellationem jam secutam approbat, non censuratur, quia, uti dictum est superius, auxilium, consilium et favor debent influere ad appellandum, ideoque si sequuntur appellationem, non incurritur censura. Hinc hoc est discrimen inter appellationem, et auxilium, consilium vel favorem, quod appellatio principaliter prohibetur, auxilium vero, consilium, et favor accessorie, ut clare constat, tum ex ipsis verbis articuli, tum ex re ipsa, cum auxilium, consilium, et favor interdicantur solum ratione appellationis; ideoque praestans auxilium, consilium, vel favorem non ligatur excommunicatione, nisi secuta appellatione, nempe requiritur effectus, seu actio principaliter prohibita; appellans vero statim ac interponit appellationem, censuram incurrit, quia ponit actionem principaliter a lege vetitam.

V.

Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis Dioecesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

Omnes sine justa causa, et cum lethali culpa interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicae Legatos vel Nuncios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes in excommunicationem hujus articuli incidunt effectu secuto; nec non mandantes, ratum habentes, seu praestantes in praefatis actionibus auxilium, consilium vel favorem.

Crimina hoc articulo comprehensa, uti videtur, sunt aut in corpus, nempe interficiendo, mutilando, percutiendo; aut in libertatem scilicet praedictos Praelatos capiendo, carcerando, detinendo; aut in dignitatem idest eos hostiliter insequendo, vel ejiciendo eos semel receptos a suis terris. Quid autem unaquaeque istarum actionum significet, explicabimus.

Interficere ille dicitur, qui mortem alteri infert, gladio, baculo, saxis, veneno, aliove modo. Utrum vero qui leviter percussit, sed percussus ex propria culpa, vel ex incuria et negligentia medicorum mortuus est, dicatur interficere, et ligetur censura hujus articuli, dico non ligari prout interfectorem, sed posset uti percussor ea affici, si ex aliqua circumstantia, temporis, loci, aut injuriae personae illatae percussio gravis evasisset. Ita Doctores. — *Mutilare* significat abscindere, seu obtruncare, et separare aliquod membrum a corpore, quod membrum habet proprium officium distinctum ab aliis partibus, ut est oculus, manus, pes, auris, virile membrum; non vero digitus, ungues, dentes, barba, capilli, pars aliqua carnis, qua fa-

cies ornatur; qui enim has partes corporis mutilaret, censuram incurreret prout percussor, non prout mutilator, ita *Suarez*, *Duard*. — *Percutere* idem est, ac cum dolore caedere, seu verberare, seu corporaliter pulsare manu, pugno, seu alapa, virga, baculo, saxo, flagello, vel alio instrumento. Hinc qui pallium, quod Cardinalis defert, aufert, vel frangit, aut vestes dilacerat, aut in faciem conspuit, vel aquam in ipsum infundit, aut atramento eum foedat, non ligatur censura hujus articuli, quia ipsum non percutit. An vero dicatur violentas manus injicere, et ob id censuram articuli 11., ubi legitur: *Violentas manus, suadente diabolo*, etc. contrahere, suo loco videbimus. — *Carcerare* nihil aliud est, quam aliquem in aliquo loco custodire, ne aufugiat, seu trudere in aliquem locum, et custodire, ne exire possit. — *Capere* idem est ac aliquem comprehendere manu, vinculo, aliove modo. — *Detinere* est quovis loco inclusum custodire, ne excedere possit, ex lib. 1. Decret. *De cust. reor.* Fieri enim potest, ut quis aliquem capiat, illumque alteri detinendum tradat; ob id Summus Pontifex non solum sub excommunicatione vetuit hoc articulo capere, verum etiam detinere, vel carcerare; et hoc dicendum est, sive id fiat publica, sive privata auctoritate, quia Summus Pontifex sine distinctione loquitur, et consequenter indistincte intelligendum est. Hinc carcerum custodes detinendo Episcopum de gubernii mandato in carcerem conjectum, si possunt sine gravi incommodo a tali custodia se eximere, et non se eximunt, hanc censuram incurrunt, uti detentores. E contra eam non incurrit, qui Cardinalem, aut alterum Praelatum domi obsidet, non ut illum ibi custodiat, sed ut verecundiam attentet, vel ut contumeliis afficiat, quia non dicitur detinere.— *Hostiliter insequi* est aliquem injuste sequi animo nocendi, ipso advertente seu fugiente, ut manus insequentis evadat, ita *Villuncius*, aliique. Hinc qui aliquem Praelatum in articulo expressum insequitur animo percutiendi, vel capiendi, vel carcerandi, vel spoliandi aliove modo laedendi, dicitur hostiliter insequi, et censuram incurrit hujus articuli, etiamsi actualis percussio, captio, carceratio, vel spoliatio non sequatur; sola enim actio insequendi ex se injuriosa est, et hic principaliter prohibita, ita *Alterius*. Similiter

qui Cardinalem vel alium Praelatum persequens telum, vel saxum projicit, ut ipsum interficiat vel detineat, obstringitur vinculo hujus censurae, licet ipsum non attingat, quia haec est hostilis insecutio. E contra si solum parat se ad insequendum, censuram non incurrit, quia Summus Pontifex sub excommunicatione prohibet actualem insecutionem, actualis autem insecutio in hoc casu non verificatur; nec eam incurrit, qui insequitur solum ut eum verbis contumeliosis afficiat, vel ut perterrefaciat, quia non agit animo nocendi. — *Ejicere* idem est ac aliquem ante receptum expellere. Ex quo sequitur, non idem esse *ejicere* et *non admittere*, et consequenter excommunicationem latam contra ejicientes non afficere eos, qui non admittunt, ita *Filliucius*, *Ugol.*, *Duard.* At ejectio Praelatorum debet esse a Dioecesibus, territoriis, terris, seu dominiis, ut censura incurratur (1). Voluit enim Summus Pontifex haec omnia nomina percensere, ut clarum et manifestum fieret, quandonam censura ob ejectionem incurratur. Hinc qui expellit Praelatum a palatio Principis, non ligatur censura hujus articuli, quia non expellit a Dioecesi, territorio, terra, vel dominio ipsius Praelati ejecti. Eadem ratione non afficitur censura ille, qui ejicit praedictos Praelatos a locis, in quibus nullum habent jus, vel potestatem. E contra excommunicationem incurrit ille, qui ejicit Episcopum aut Nuncium e territorio, in quo jurisdictionem habet, seu in quo munus, et officium suum obire debet, quia ejicit a suo territorio. Pariter qui ejicit Cardinales ab Ecclesiis suis titularibus excommunicationem incurrit, quia eos expellit a dominio, seu locis, in quibus jurisdictionem, et dominium habent, ita *Alterius*.

Utrum autem ejiciens praefatos Praelatos a terris, in quibus potestatem habent titulo patrimonii, seu haereditatis, vel in quibus nati sunt, vel domicilium habent, incidat in censuram,

(1) Nomine *Dioecesis* intelligitur universitas locorum, seu territorium, cujus jurisdictio in spiritualibus et gubernatio unico Praelato demandata est. Cap. *Episcopos* 7. q. 1.—*Territorium*, stricte loquendo, est universitas agrorum intra fines cujuscumque civitatis, terrae, castri, seu oppidi existentium. Appellatione *terrae* intelligitur civitas, villa, castrum, oppidum. — Nomine *dominii* significatur locus, qui sub jurisdictione hujus domini est.

probabilior sententia cum *Alterio* affirmat, tum quia in hoc casu verificantur verba articuli absolute excommunicantes ejicientem praefatos Cardinales, vel Praelatos a terris suis; terra enim, quae alicui titulo patrimonii, haereditatis, originis, vel domicilii competit, juxta communem et vulgarem loquendi modum dicitur sua; tum quia Summus Pontifex in gratiam dignitatis hoc privilegium concedens, absolute et indistincte loquitur, ac proinde par non est, ut nos hoc privilegium ad terras tantum ratione dignitatis aliqua ratione subjectas restringamus. Alii vero censent eos tantum incurrere hanc censuram, qui expellunt praedictos Praelatos a loco, in quo spiritualem vel temporalem habent jurisdictionem ratione dignitatis, non vero titulo patrimonii, haereditatis, originis vel domicilii. Unde expellens a Regno Episcopum, qui Episcopatui renunciavit, nullam ibi habens jurisdictionem, juxta primam sententiam cum *Alterio* hac censura ligatur, quia nomine terrae intelligitur locus, in quo Episcopus vivit, vel munus suum exercet, juxta secundam sententiam minus probabilem non incurrit. At in praxi cum simus in poenis, stricta facienda est interpretatio.

Utrum autem ejectio hic sub excommunicatione prohibita fieri debeat facto, an sufficiat verbis, seu praecepto, seu minis, communior sententia et tenenda docet sufficere verbis, quia solis verbis comminatoriis potest quis e loco expelli; requiritur tamen actus, idest ut Praelatus ob minas actu relinquat Dioecesim, et recedat; nam verba intelligi debent cum effectu, ita *Duard.* Hinc judices praecipientes Episcopo, ut e Dioecesi exeat, secuto effectu, ligantur excommunicatione. Idem dicendum de lictoribus mandata exequentibus, quia isti omnes dicuntur Episcopum e sua Dioecesi vel terra ejicere; excipe si sint coacti, ita Doctores.

At dictum est in initio hujus declarationis incurrere hanc censuram omnes, qui sine justa causa, et lethali culpa praedictas actiones patrant secuto effectu. Dictum est *omnes* ad significandum ligari hac censura omnes homines cujuscumque sexus, et conditionis existant, quoties delictum in hoc articulo interdictum committunt, sive sint privati, sive publici, modo rationis usu polleant, nec per ignorantiam, vel per aliam ju-

stam causam excusentur. Hinc Cardinalis offendens aliqua illarum actionum alium Cardinalem, Episcopum, vel Nuncium afficitur excom. hujus articuli, quia delinquit contra articulum, et licet ipse privilegio gaudeat, ne ab aliis offendatur, non tamen privilegium suffragatur, ut alios impune offendere valeat, ita *Ugol.* — Dictum est *sine justa causa*, quia si quis justam habeat percutiendi causam, uti si ad sui suorumque defensionem cum moderamine inculpatae tutelae Episcopum, vel Cardinalem percutiat, vel occidat, eximitur ab excommunicatione, quia non percutit injuste, et cum lethali culpa, censura enim supponit lethalem culpam, ita *Suarez*. Hinc si quis Cardinalem, vel Episcopum obsideat, non ut illum detineat, vel in carcerem conjiciat, sed ut castrum juste obtineat, non ligatur hac censura, quia justam habet causam id faciendi, jureque suo utitur; secus si obsideat ad castrum injuste obtinendum, quia haec videtur hostilis insecutio, id enim hostes communiter peragere solent.—Dictum est *cum lethali culpa* ad significandum gravem culpam requiri. Unde qui actionem aliquam venialiter tantum culpabilem ob materiae levitatem facit, non subjicitur excommunicationi; ut autem materia, seu actio levis censeatur, non solum inspicienda est corporalis laesio, verum etiam injuria, quae per hujusmodi actionem irrogatur. Fieri enim potest, ut actio physice, et entitative levissima sit, et nihilominus secundum moralem existimationem gravem injuriam contra honorem infert, et hoc in casu ad incurrendam censuram sufficit. Hinc qui percutit Cardinalem ignorans hanc excommunicationem, vel eum percutit nocte incedentem, vel mutato habitu, nesciens illum esse Cardinalem, non ligatur excommunicatione hujus articuli, etiamsi alias mortaliter peccet; quia in primo casu habetur ignorantia juris, in secundo ignorantia facti, nempe ignoratur qualitas personae.—Dictum est *secuto effectu*, quia verba cum effectu intelligenda sunt; unde qui conatur interficere, percutere, capere vel detinere, aut qui proponit insequi vel ejicere, sed re ipsa non insequitur vel non ejicit, istam excommunicationem non incurrit, ita communiter DD.

Denique notandum est quod si aliqua actio in hoc articulo vetita in praefatos Praelatos committitur, una contrahitur cen-

sura, non duplex, idest etiam illa articuli II, quatenus praedicti sint etiam clerici; nam art. V. se habet ad art. II. uti species ad genus. Insuper observandum, quod si fiunt plures actiones vetitae, et ad unum ordinantur, uti captio et carceratio, una incurritur excommunicatio; si vero distincte fiunt, et ad idem non ordinantur, uti percussio, carceratio, et ejectio, pluries eadem censura incurritur, quot nempe sunt actiones, quae perpetrantur.

At non solum interficientes, percutientes, capientes, detinentes, hostiliter insequentes, vel ejicientes Cardinalem, et alios Praelatos, de quibus in hoc articulo sermo est, vinculo censurae obstringuntur, verum etiam mandantes, ratum habentes, seu praestantes in praefatis actionibus auxilium, consilium vel favorem. Singula explicantur. — *Mandare* idem est, ac munus, officium, seu onus alteri imponere, seu jubere, rogare, aut committere alteri aliquid faciendum gratis, vel etiam pretio, tacite vel expresse. — *Ratum habere* idem est ac approbare aliquam actionem suo nomine factam. Sed ad hoc requiritur: 1.° ut percussio facta sit nomine vel in gratiam ratihabentis, ut eruitur ex cap. *Cum quis.* Hinc si quis approbat aliquam actionem, et de illa gaudet, nesciens suo nomine factam, non dicitur proprie ratum habere, licet graviter peccet ob consensum et affectum ad peccatum; nam ad ratihabitionem non solum requiritur, ut approbetur materiale factum, sed etiam ipsius qualitas, quod scilicet suo nomine gestum sit; 2.° ut ratihabitio sit exterius manifestata, sive per verba, sive per signa; Ecclesia enim nonnisi actum externum potest censura punire, cum ipsa non judicet de internis judicio poenali; 3.° ut ratam habens percussionem potuerit saltem habitualiter eamdem mandare vel consulere tempore, quo illa accidit; nam isthaec ratihabitio fictione juris retrotrahitur, et aequiparatur mandato. Si ergo ratam habens percussionem non erat, cum illa accidit, aptus saltem habitualiter ad dandum mandatum vel consilium, dici nequit ratihabitio retrotrahi, et mandato aequiparari. Hinc qui approbat percussionem, vel detentionem Cardinalis, aut alius Praelati sua contemplatione factam, non ligatur censura hujus articuli, si percussio perpetrata fuit eo tempore, quo is qui

approbat, amens erat vel infans; secus si ebrius aut dormiens. *S. Alph.* VII. 267. — *Auxiliari* est actus, quo quis opem fert ad patrandum delictum in hoc articulo damnatum; id autem contingere potest dando arma, vel alia instrumenta ad patrandum delictum, aut exhibendo pecuniam, aut occultando aliquem, ut data opportunitate possit aliquem Praelatum interficere.— *Consulere* est actus, quo quis suadet, verbis impellit, vel modum patrandi delictum docet, aut securitatem aperit, aut utilitatem secuturam ostendit. Attamen ut censura incurratur opus est, ut consilium influat in effectum, idest sit causa effectus. Quocirca qui homicidium Episcopi consulit alicui jam parato eundem occidere, non obstringitur excommunicatione, modo re ipsa suo consilio nulla ratione moveat delinquentem ad patrandum crimen. — *Favere* idem est ac commodum, seu utilitatem praestare, seu aliquid facere conferens, et juvans ad finem ab alio intentum. Hinc qui commendat vel laudat delinquentem, ut delictum committat, aut qui eundem tuetur, comitatur, vel alia simili ratione adjuvat, ut crimen tuto perpetret, dicitur favere. Attamen requiritur, ut incurratur censura, quod favor influat in effectum; nam si delinquens sine illo favore delictum adhuc commissurus erat, praestans favorem non ligatur censura.

Quaeres I. Utrum mandans, consulens. auxilians, vel favens principaliter excommunicetur, ita ut statim praestito mandato, consilio, vel auxilio ligetur vinculo excommunicationis; etiamsi nondum secutus sit effectus mandati, consilii, vel auxilii. Respondetur non ligari, antequam mandatarius, vel consultus rem perfecerit, et executioni tradiderit. Ratio est, tum quia Summus Pontifex primo excommunicat interficientes, mutilantes, percutientes etc, deinde excommunicationem extendit ad mandantes etc, tum quia verba absolute prolata intelligenda sunt cum effectu, tum quia Summus Pontifex excommunicat mandantes, vel auxilium, consilium, vel favorem praestantes ad ea, quae antea sub excommunicatione prohibuerat; sed antea sub excommunicatione actualem occisionem, mutilationem, percussionem prohibuerat, dicitur enim in textu: *interficientes, mutilantes, percutientes* etc, quae actualem offensionem important; ergo etiam in posteriori parte videtur solum prohibere manda-

tum, auxilium, consilium, vel favorem cum actuali occisione, mutilatione, percussione etc. Uno verbo mandatum, auxilium, consilium, vel favor accessorie, non vero principaliter vetantur.

Quaeres II. Utrum defensor vel receptator interficientis, vel percutientis Cardinalem, Episcopum, vel Nuncium censura hujus articuli obstringatur. Respondetur distinguendo: vel recipit et defendit illum ante patratum delictum, vel patrato delicto. Si ante patratum delictum, eam incurrit, quoties ex receptione vel defensione delictum committitur, quia hujusmodi receptator, et defensor vere dicitur auxilium, et favorem sua receptatione, seu defensione ad patrandum delictum praestare. Si vero recipit vel defendit post patratum delictum, vinculo hujus excommunicationis non innodatur, quia Summus Pontifex in hoc articulo intendit eos excommunicatione afficere, qui auxilium, consilium vel favorem praestant ad patrandum delictum; qui autem recipit, vel defendit post patratum delictum, non dicitur auxilium praestare ad patrandum delictum, *ita Navarrus.*

Quaeres III. Utrum, qui percussionem vel aliud delictum in Cardinalem, Episcopum vel Nuncium committi non impedit, cum commode impedire valeat, excom. hujus articuli incurrat. *Ugolinus* affirmat, quia ista excommunicatio afficit praestantes favorem, qui autem potest impedire, et non impedit, censetur favorem praestare. Alii cum *Bonac.* negant (excepto casu quo quis ex officio vel ex justitia impedire teneatur), tum quia qui non impedit, proprie loquendo non praestat auxilium, consilium vel favorem, cum negative se habeat, dum auxilium, consilium et favor positivum influxum importare videntur; tum quia versamur in materia poenali.

VI.

Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum saeculare ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium vel favorem praestantes.

In hoc articulo excommunicantur 1.° omnes impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori; 2.° recurrentes ad forum saeculare,

eludentes sententias judicum quorumcumque ecclesiasticorum; 3.° procurantes recipere a foro saeculari prohibitiones et mandata impedientia exercitium jurisdictionis ecclesiasticae; 4.° edentes talia mandata et prohibitiones; 5.° dantes in his actionibus auxilium, consilium et favorem. Singula explanantur.

Impedientes. Impedire, ut ait *Roncallius* tract. IV. cap. IV., significat actionem, qua quis alteri obstat, seu detinet, sive per vim, sive per metum, ne aliquid agat. Unde in re nostra qui id facit, ut Ordinarius invitus, aut Parochus, aut Judex Ecclesiasticus, aut Confessarius, aut quicumque jurisdictionem habens non agat, ea quae sunt jurisdictionis, aut ab agendo desistat, impedire censetur, sive id faciat auctoritate publica, sive privata, quia nulla fit distinctio in Constitutione, cum etiam privatae personae jurisdictionem impedire possint.

Et heic tria sunt notanda; — 1.° excommunicationem non incurrere illum, qui pro viribus Superiori obsistit, et omni conatu ejus jurisdictionem impedire aggreditur, quin ullus subsequatur effectus, quia in Const. dicitur *impedientes*, non impedire tentantes; sumus in odiosis, et stricta facienda est interpretatio; — 2.° hanc excommunicationem non incurrere illum, qui sine vi aut metu, sed precibus, pecunia, vel alia via impedit judicem ecclesiasticum, ne sua jurisdictione utatur, quia ut quis impedire dicatur, requiritur ut sit causa, ut alter invitus, et contra suam voluntatem cesset ab opere, quod intendit, quod heic non invenitur, ita *Alterius* disp. 17. cap. 1., *Filliuc.* tract. 17. n. 278., Bonac. q. 17. p. 1.; — 3° non incurrere hanc excommunicationem illum, qui impedit Superiorem, ne injuste sua jurisdictione utatur, uti si in suum non subditum vellet procedere, vel in causa, cui justa appellatio est imposita; quia Pontifex excommunicat impedientes jurisdictionem habentes, ne sua jurisdictione utantur, ita *Alterius, Filliuc., Bonac.* locis citatis.

At 1.° quinam dicuntur *directe*, quinam *indirecte* impedire; — 2.° quid sibi vult *exercitium jurisdictionis ecclesiasticae;* — 3.° quando impeditur hujusmodi *jurisdictio?*

Ad primum. Directe impedit, qui obsistit ipsi personae ecclesiasticae jurisdictionem habenti, eamque exercere volenti. Hinc

qui vi aut gravi metu, nempe vexando, terrefaciendo, in carcerem detrudendo, minando mortem, aut alio quocumque violenti modo impedit Episcopum, ne censuram ferat in aliquem, vel ne sententia executioni mandetur; vel Parochum ne duos in matrimonium conjungat; vel confessarium ne aliquem absolvat, vel cogit, ut indispositum absolvat, hic dicitur directe impedire. Indirecte vero impedit, qui non ipsi personae ecclesiasticae jurisdictionem exercere volenti obsistit, sed ei obsistit in alia re, vel in aliis personis cum aliquo vinculo sibi conjunctis. *In alia re* uti esset, si quis ad effectum impediendi jurisdictionem minaretur necem Episcopo praetextu injuriae sibi illatae. *In aliis personis* uti esset, si quis metum incuteret consanguineis, affinibus, vel familiaribus Episcopi, aut in carcerem detrudendo, aut vexando aut terrefaciendo, ut Episcopus ipsorum respectu a jurisdictione desistat; vel ministris necessariis, nempe scribis, apparitoribus, praeconibus Curiae Ecclesiasticae vi, minis imperio opponeretur, ne propria officia complerent, hoc esset indirecte impedire.

Ad secundum. Jurisdictio est facultas alicujus habentis publicam auctoritatem et eminentiam super alios ad eorum regimen et gubernationem. Est in re communis. *V. Ferraris.* Jurisdictio potest esse aut ecclesiastica, aut civilis. Jurisdictio ecclesiastica est illa, quae circa causas ad Dei cultum, et spiritualem animarum salutem pertinentes versatur. Et haec exercetur nedum in foro externo, sed etiam in foro interno seu conscientiae, et sacramentali. Jurisdictio civilis seu politica est illa, quae circa causas saeculares et profanas versatur, et temporalem reipublicae gubernationem respicit. Et haec exercetur solummodo in foro externo. Insuper potest esse aut ordinaria, aut delegata. *Ferraris* v. *Jurisdictio* n.° 2.

Ad tertium. Tunc impeditur exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, cum quis Ordinario, Parocho, Confessario obsistit, vel ne sua potestate utantur, nempe ne actum jurisdictionis emittant; vel ne in usu incoepto suae potestatis prosequantur; vel ut revocent quod jam executi fuerunt, veluti esset, si quis cogeret Episcopum ad revocandam suspensionem jam latam adversus aliquem. His igitur tribus recensitis modis impeditur

exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, et excommunicatio incurritur; sive jurisdictio, quae impeditur, sit ordinaria, sive sit delegata, quia nulla adest distinctio in Constitutione.

Unde eam non incurrit, qui impedit litigantem ne adeat judicem ecclesiasticum, vel eum compellit adire judicem laicum. Item eam non incurrit, qui molestiam infert Superiori per potestatem jam exercitam, quatenus aliquem suspendit; vel vi et metu eum compellit ad jurisdictionem exercendam. Similiter eam non incurrit, qui impedit actum ordinis, uti est sacra facere, vel qui impedit simplicem presbyterum propria munia obire, nempe docere, praedicare, quia per hos omnes actus habetur utique peccatum, at non impeditur exercitium jurisdictionis ecclesiasticae. Nec eam incurrit, qui Superiorem ecclesiasticum alia de causa, nempe ex odio adversus parentes, ex injuria accepta, ex bono ejus causa amisso, vel quia presbyterum suspendit ob adaesionem civili gubernio, in carcerem detrudit, unde exercitium jurisdictionis impeditur, quia per accidens hoc fit. Nec pariter eam incurrit, qui impedit jurisdictionem Praelati Regularis, tum quia per Constitutionem *Ap. Sedis* provisum est jurisdictioni Ecclesiae Catholicae, non vero jurisdictioni, quae competit Praelatis Ordinum Regularium; tum quia Rom. Pontifices, quando jurisdictionem Praelatorum Regularium tueri voluerunt, per peculiares Constitutiones eam firmarunt, ita *Reatinus.*

Quocirca innodantur censura Ministri, Praefecti Urbis, Praetores, Syndici, Rectoresque provinciarum, civitatum, omnesque et singuli Domini temporales, nec non privatae personae impedientes vi aut gravi metu Episcopum, quominus conferat ordines, provideat beneficia, excommunicet, suspendat, visitet dioecesim, vel provideat ea, quae sibi videntur expedire relate ad Seminaria proprie dicta; jus enim inspectionis in Seminaria, et tota res Seminariorum ex Trid. sess. 23. cap. 18. *de Reform.* est uni Episcopo reservata, ideoque Pius IX. allocutione 9 Decembris 1854. dixit: *in Clericorum Seminariis moderandis Episcoporum dumtaxat curam, et industriam debere versari, non civilis Potestatis.*

At praedictam censuram incurrunt non tantum impedientes

exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, sed etiam qui id faciunt per alios; dicitur enim in textu: *et ad hoc recurrentes ad forum saeculare, ejusque mandata procurantes, edentes, auxilium, consilium, vel favorem praestantes.* Haec verba aliam personarum classem denotant, nam particula *et* est disjunctiva, et valet *aut*, uti clare patet ex Bulla *Coenae*, ex qua hic articulus sumptus est, unde aliud comma constituunt, ita communiter.

Recurrentes in genere ii sunt, qui opem alterius contra aliquem implorant, quasi ab eo sint passi, vel patiantur injuriam, ita omnes. In re vero nostra recurrere est opem judicis saecularis contra judicis ecclesiastici sententiam implorare. Hic autem recursus, ut incurratur censura, debet 1.° fieri *ad hoc*, nempe ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, vel, uti exprimitur in Bulla *Coenae*, ad eludendum judicium fori ecclesiastici; hinc si quis recurrit alia de causa, nempe quia Superior ecclesiasticus de industria negligit jurisdictionem exercere, id est ferre sententiam, et damnum est in mora; vel quia non habet omnia media temporalia ad coercendos nolentes suae sententiae subesse; vel quia injustam sententiam protulit, nec alia ei suppetit via habendi quod suum est, iste recurrendo ad forum saeculare excommunicationem non incurrit, quia non recurrit *ad hoc*, nempe ad impediendum exercitium jurisdictionis, sed utitur jure suo; Ecclesia enim non praesumitur velle, ut quis injustae sententiae subjacere teneatur. Dixi *si nulla alia ei suppetat via ad suum obtinendum;* nam si adesset aliud supremum tribunal ecclesiasticum, ubi possit sua jura experiri, recurrendo ad forum saeculare excommunicationem incurreret. Debet 2.° fieri recursus *ad forum saeculare.* Forum est *exercendarum litium locus*, hinc recursus debet fieri ad laicum tribunal, uti patet ex verbis ipsius articuli, et confirmatur ex art. VIII. ejusdem Constitutionis, ubi Pius IX. volens omnes comprehendere, qui civili pollebant potestate sive judiciaria, sive administrativa, dixit: *recurrentes ad laicam potestatem;* ergo si dicitur in hoc articulo *ad forum saeculare*, quoniam sumus in poenis, ad solum forum saeculare restringi debet; haec est communior sententia. Hinc judices ecclesiastici se invicem

impedientes exercitium jurisdictionis ecclesiasticae recurrendo ad Superiorem Ecclesiasticum excommunicationem non incurrunt, quia perturbant tantum disciplinam ecclesiasticam, cui per praesentem Constitutionem provisum non est; secus vero si se invicem impediunt recurrendo ad forum laicale. Et heic praetereundum non est non effugere excommunicationem, qui recurrunt ad potestatem laicam *per abusum,* putantes Superiorem ecclesiasticum injuste egisse, uti damnavit Pius IX. in suo syllabo prop. 41. (1).

At recursus debetne suum sortiri effectum, ut excommunicatio incurratur? Acriter dimicant interpretes. Nonnulli putant excommunicationem incurri pro simplici recursu absque effectu. Nam, ipsi dicunt, si verba *ejusque mandata procurantes* conjungi deberent ad verbum *recurrentes*, sequeretur 1.° supervacaneum omnino fuisse exprimere *recurrentes,* quia qui mandata procurat, potest id etiam facere per recursum, ideoque comprehensi fuissent in verbo *procurantes*; 2.° posset unus recurrere, alter mandatum procurare, et nemo censuram incurreret; 3.° verbum *edentes* sequitur immediate *procurantes,* et utrumque verbum cum verbo *recurrentes* unum incisum efformant. Si igitur *procurantes* conjungi deberent cum recurrentibus, etiam *edentes* cum recurrentibus conjungere oporteret, cum unum incisum efforment; hinc sequeretur quod recurrentes deberent et procurare, et edere mandata ad incurrendam censuram, quo quid absurdius? Ceterum verbum *procurantes* non denotat *obtinentes,* sed significat sese adhibere ad mandatum obtinendum; et licet mandatum non obtineatur, tamen qui quovis opere se adhibuit ad idem obtinendum, semper procuravit mandatum, ideoque excom. incurrisse dicendum est. Hoc adeo verum est, quod in eadem Constitutione cum Pontifex effectum procurationis voluit, id expressit dicens: *Procurantes abortum effectu sequuto.* Alii e contra docent utrumque requiri, nempe et recursum et mandatum ad incurrendam censuram 1.°

(1) Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum jus quod vocant *Exequatur*, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant *ab abusu.* Lit. Apost: *Ad Apostolicae* 22 Augusti 1851.

quia simul haec verba sunt conjuncta per particulam et, ac unum efformant; 2.° quia Pontifex in hoc articulo omnem lapidem movit, ut jurisdictio ecclesiastica sarta tectaque custodiatur, quin sit impedita. Jam vero qui recurrit absque effectu, eam non impedit, ideoque censuram non incurrit; 3.° quia si utrumque non requireretur, nempe recursus et mandati procuratio, particula *et* inutilis esset, et potius dicendum fuisset *recurrentes ad forum saeculare, ejus mandata procurantes, edentes;* at hoc non habetur; ergo utrumque requiritur; 4.° quia cum Constitutio *Ap. Sedis.* lata sit ad limitandas censuras, incongruum est, eas hoc in capite sine evidenti ratione multiplicare. Quaestio igitur est; at in praxi cum res sit odiosa, et restringi debeat, haec secunda sententia est tenenda, licet peccent, qui recurrunt etiam effectu non sequuto.

Mandata procurantes illi sunt, qui directe et efficaciter sese adhibent, et instant ad mandatum obtinendum.

Per *edentes* vero intelliguntur judices, et omnes alii saccularis fori, qui mandata auctoritative condunt, et edunt ad impediendum exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, ita communiter. Unde excommunicationem non incurrunt scribae, praecones, cursores et alii materiales executores, qui nulla pollent potestate, et ad quos idcirco recursus non deferuntur. Heic autem notandum, quod non omnes qui edunt hujusmodi mandata excom. incurrunt, sed tantummodo qui in foro saeculari jurisdictionem habent, quia verbum *edentes* ordinem habet ad recurrentes ad forum saeculare, nempe denotat illos, quibus fit recursus in foro saeculari; hinc si ea edunt alii magistratus, qui forum non habent, uti Ministri Regni, Praefectus Urbis, aliique excommunicationem ex hoc capite non incurrunt; at eam incurrunt tanquam impedientes, si vi aut metu gravi incusso jurisdictionem habentibus id faciant.

Praecluditur tandem articulus cum verbis *aut auxilium, consilium, aut favorem praestantes.* Quae quidem verba ad totum textum referuntur, nempe ad impedientes, recurrentes, mandata procurantes, edentes, quia licet verbum *et*, id est *et ad hoc recurrentes*, etc. aliam personarum classem denotet, tamen semper secundum comma ad primum ordinem habet, videlicet

prohibetur auxilium, consilium et favorem praestare recurrentibus, procurantibus et edentibus ad hoc, ne impediatur exercitium jurisdictionis ecclesiasticae, ac proinde postrema verba ad totum textum referuntur. Nec praesumi potest postrema verba *auxilium, consilium, aut favorem* referri tantum ad secundarium, quod prohibetur, quin referantur ad principale, id est ad ipsos impedientes, ita *Bonac, Suarez;* licet pauci contrarium sentiant.

Auxilium praestantes hi dicuntur, qui cooperantur ad impediendum, uti esset qui tradit pecuniam litiganti *ad hoc*, ut possit recurrere *ad forum saeculare*, non vero alia de causa, id est ad lucrum faciendum; qui instat apud judicem laicum, ut mandatum edat; qui curat, ut litiganti facilis pateat ingressus ad forum laicale, ad finem impediendi exercitium jurisdictionis; qui causam defendit pro ipso recurrente, isti omnes dicuntur auxilium praestare. — *Consilium praestantes* sunt illi, qui efficaciter consulunt, hortantur, instruunt aliquem quo modo impedire jurisdictionem possit; vel consilium dant judici laico edendi hujusmodi mandatum; vel pandunt viam litiganti, qua possit obtinere mandatum; vel ei suadent facere recursum ad forum saeculare. — *Favorem praestantes* sunt illi, qui talem favorem praebent, ut in actionem influat, uti ex. gr. si quis litigantem summis precibus commendaret judici laico, ut in judicio faveat; vel si quis subornaret judicem laicum in favorem litigantis, ut in ejus favorem proferat sententiam contra Superiorem ecclesiasticum.

At auxilium, consilium aut favorem praestantes incurruntne excommunicationem pro simplici auxilio, consilio, aut favore praestito, aut sequi debet effectus? *S. Alphonsus* lib. VII. *de Censuris* dub. IV. n. 38. docet: si censura principaliter fertur in auxilium, consilium aut favorem praestantes, etiam effectu non sequuto incurritur censura; si accessorie, non incurritur. Jam vero in praedicto articulo censura accessorie fertur in auxilium, consilium aut favorem praestantes: ergo non incurritur censura nisi effectu sequuto.

Quaeres. Si mandatorum executores, uti superius dictum est, excommunicationem non incurrunt utpote executores, incur-

runtne eam ex alio capite, quatenus nempe auxilium, aut favorem praestant? Resp. si vi officii ea exequuntur, non incurrunt, quia coacti ab officio agunt, quatenus sunt subordinati; nec praesumi potest Ecclesiam velle anathemate mulctari eos, qui libere talia non agunt. Verum quidem est ex Bulla Coenae hanc excommunicationem mandatorum executores incurrere, at hoc erat expressum; si igitur in nostra Constitutione reticentur, dicendum praedictos eam non incurrere. Si vero non vi officii, sed libere se praestant ad ejusmodi mandata exequenda, eam incurrunt, non tanquam executores, sed tanquam auxilium vel favorem praestantes.

VII.

Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones: item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiae.

Romanus Pontifex fori ecclesiastici jura servari volens hunc edidit articulum, in quo et immunitati ecclesiasticae, et Ecclesiae libertati consuluit. Hinc duas continet partes, prima respicit eos, qui cogunt judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones; altera respicit eos, qui edunt leges vel decreta contra libertatem et jura Ecclesiae.

Ad primam partem quod attinet. Censura plectuntur *cogentes*; ii vero dicuntur cogentes, qui compellunt vi nempe morali, uti est jussum Superioris, metus gravis; hinc si precibus, suasionibus, consiliis inducitur judex laicus ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas, effugitur censura, quia nulla verificatur moralis coactio. At quinam nomine cogentium veniunt? Usque dum S. Univ. Inquisitio suum decretum non edidisset, in diversam interpretes abierunt sententiam, quia hoc verbum diversam patitur significationem, et potest denotare tum legum latores, qui vulgatis legibus Ecclesiae libertati adversis cogunt judices laicos ad trahendum ad suum tribunal per-

sonas ecclesiasticas, tum actores, qui vi legis judices cogunt. Hinc ad verbi sensum, et Pontificis mentem determinandam S. Univ. Inquisitio die 23 Jan. 1886. declaravit. *Cum de vero sensu et intelligentia hujus capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis non semel declaravit, caput* Cogentes *non afficere nisi legislatores, et alias auctoritates cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Hanc vero declarationem SS. D. N. Leo Papa XIII. probavit et confirmavit; ideoque S. haec Congregatio illam omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit.*

Ceterum in iis locis, in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in eis non datur jura sua prosequi nisi apud judices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere, ut clericos in forum laicorum convenire possint; eamque Ordinarii nunquam denegabunt, tum maxime, cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad judices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorumdem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino judicaverit. Ita Suprema Congreg. declaravit.

Attamen tunc tantum praedicti legislatores aliaeque auctoritates in censuram incidunt, cum recensita in articulo verificantur, nempe: — 1.° debent *directe vel indirecte* cogere. *Directe* esset, si ipsos judices vi legis latae, aut decreti, aut specialis jussus, aut metus incussi compellerent. *Indirecte* esset, si eorum familias, aut alio vinculo sibi conjunctos inique vexarent, aut damna inferrent, ad quae vitanda judex ad suum tribunal clericum trahere compelleretur. Unde si promissis, precibus, suasionibus, consiliis vetitum in articulo facerent, excommunicationem effugerent, quia nulla verificatur directa, vel indirecta coactio; — 2.° Debent cogere *judices laicos*, nempe eos qui in

foro jus dicunt; hinc si alios cogunt magistratus, uti Urbium Praefectos, militum Magistros, Irenarchas eam non incurrunt. Nomine autem judicum laicorum praecipue officia designantur non personae, unde veniunt nedum judices saeculares, sed etiam ecclesiastici, qui sine Rom. Pontificis facultate officium illud laicale exercent; — 3.° Debent cogere praedictos judices *ad trahendum ad suum tribunal.* Et hoc intelligitur sive causa sit civilis, sive criminalis; tribunal enim utrumque judiciorum ordinem complectitur. At quid sibi vult *ad suum tribunal?* Tribunal, ut ait *Isidorus, est locus sublimis et editus, in quo considentes Magistratus jus dicunt.* Hinc si legislatores, aut aliae auctoritates cogunt judices laicos ad trahendum non ad suum tribunal, sed coram se clericum ut moneant, reprehendant, vel etiam injuriis afficiant, excom. non incurrunt. Item si cogunt judices ad trahendum ad suum tribunal clericum tanquam testem, peritum, fidejussorem etc, quia in hoc articulo sub excom. prohibetur eos trahere in judicium uti reos. Similiter eam non incurrunt, si persona ecclesiastica trahat in judicium laicas personas, et judex vi legis proferat sententiam, quia persona ecclesiastica sistere se potest in laico judicio in causa non ecclesiastica tanquam actor, vetatur tantum trahi tanquam reus. Multo minus eam incurrunt, si clericus accedat ad laicum tribunal, ut coram judice se purget, et judex admittat purgationem, et sententiam vi legis proferat, quia judex eum non traxit, sed ipse sponte sua venit. — 4.° Debent cogere judices laicos ad trahendum ad suum tribunal *personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones.* Unicuique vero patet nomine personarum ecclesiasticarum venire omnes clericos, et utriusque sexus monachos, qui privilegio fori gaudent, sive sint excommunicati, sive suspensi, sive interdicti, quia censurae ecclesiasticae privilegia clericalia non tollunt. Per ea verba vero *praeter canonicas dispositiones* significantur nedum canones proprie dicti, sed et quaecumque conventiones a variis guberniis cum S. Sede initae, nempe Concordata, ubi haec facultas potestati laicae concessa fuisset (1);

(1) Concordata adhuc vigent, nam cum sint concessiones ab Ecclesia factae ad vitanda majora mala, uti merae gratiae sunt considerandae, ac proinde putari debent in suo vigore permanere, usque dum a Rom. Pontifice non revo-

sub iisdem verbis intelligitur etiam casus quo ecclesiasticus fuerit degradatus, aut alia causa jus fori amiserit; item denotantur ii casus, in quibus judex laicus a Summo Pontifice expressam obtinuerit facultatem trahendi ad suum tribunal personam ecclesiasticam pro causa in eadem licentia expressa.

Ad alteram partem quod attinet. Illi in hac parte comprehenduntur, qui possunt condere leges, vel decreta contra libertatem et jura Ecclesiae; uti sunt Imperatores, Reges, Deputati et Senatores sua suffragia dantes in gubernio constitutionali, Ministri, Urbium Praefecti, Municipia. Nam verbum *edere* in re nostra sibi vult *condere*, ita omnes (1). Hinc qui hujusmodi leges vel decreta non condunt, sed exequuntur, uti praecones, tabelliones; vel ad eorum normas jus dicunt, uti judices; vel iis utuntur, uti litigantes in movenda lite, eam non incurrunt, quia non sunt *edentes*. Et heic notandum quod hac censura ligantur nedum illi, qui novas edunt leges, sed et ii qui jam constitutis legibus innixi decreta contra libertatem et jura Ecclesiae promulgant; nam et hi uti conditores decretorum sunt habendi.

Decreta autem contra libertatem et jura Ecclesiae, ut excommunicatio incurratur, debent 1.° esse generalia, non vero particularia, nempe edita in singulos casus, vel singulas personas, quia decreta particularia in ipsa Constitutione in articulo praecedenti vocantur mandata, *ejusque mandata procurantes. Reatin.* 66.;—2.° *Debent* decreta vel leges respicere libertatem et jura Ecclesiae universalis, unde si sunt contra privi-

---

centur. Et licet nonnulli tueri conantur hujusmodi conventiones rationem pacti habere, etiam adhuc vigere dicendae sunt, quia ex quo una pars conventa pacta non servet, non sequitur etiam aliam partem ea nolle servare, sed ad summum ea posse non servare.

(1) In hoc differunt leges a decretis. Leges sunt praescriptiones a Suprema potestate, nempe ab Imperatore, a Rege, a Senatu communitati impositae, quae perdurant usque dum perdurat communitas, nisi abrogentur. Decreta vero a potestatibus inferioribus feruntur, nempe Ministris, Urbium Praefectis, Municipiis, et possunt esse vel generalia, vel particularia; si enim respiciunt singulos casus vel singulas personas, sunt particularia, et non sunt perpetua, sed temporanea.

legia alicujus Ecclesiae particularis, excommunicatio non incurritur, quia privilegia sunt exceptiones contra jus, ideoque nihil ederetur contra jura Ecclesiae.

Quoniam vero lex quaelibet vel decretum ante promulgationem non obligat, hinc edentes vel suffragium dantes tunc solum excommunicationem incurrunt, cum leges et decreta promulgata sint, licet postea effectum non habuerint.

At plurimi sunt modi violandi libertatem et jura Ecclesiae, hinc latissimo sensu sunt verba *edentes leges et decreta* accipienda, utpote quae innuunt quamcumque libertatis, et juris ecclesiastici violationem. Attingunt enim non tantum ea, quae sunt ordinis, et jurisdictionis, uti sunt leges de Regio placito, et Regio exequatur, de professione religiosa non suscipienda etc., sed et alia, quae ex sua natura Ecclesiae libertati competunt. Horum plura in Syllabo notantur (1), uti est jus docendi, acquirendi, possidendi, administrandi, agendi processiones, instituendi beneficia, erigendi confraternitates, pia sodalitia, Ecclesias, eligendi Praelatos, faciendi ordinationes, et alia his similia.

Praestantes tamen consilium, auxilium, aut favorem ad decreta ipsa edenda, item mandantes non ligantur excommunicatione, utpote non expressi in textu; nam censura lata in facientes non extenditur ad mandantes, auxiliantes, consulentes, nec ad faventes, nisi exprimantur.

VIII.

Recurrentes ad laicam potestatem, ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes; aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios laedentes, vel perterrefacientes.

Hic articulus in tres partes dividitur. In prima agitur de iis, qui recurrunt ad laicam potestatem eo animo, ut impediant litteras, vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel a Legatis

(1) Syllabus prop. 22. 26. 27. 29. 33. 42. 45.

ejusdem S. Sedis, aut Delegatis quibuscumque profecta. In secunda agitur de iis, qui eorumdem actorum promulgationem, vel executionem directe vel indirecte prohibent. In tertia agitur de iis, qui laedunt, aut perterrefaciunt sive personas ipsas, quae vel a Sede Apostolica, vel ab ejus Legatis, aut Delegatis quibuscumque obtinuerint rescriptum aliquod gratiae, aut justitiae, aut sententiam aliquam sibi favorabilem, sive alios, nempe patrocinatores, notarios, executores, aut personas quascumque, ad quas acta ipsa aliqua ratione referuntur. Quae quidem partes exprimuntur per verba *recurrentes, prohibentes, laedentes, vel perterrefacientes.*

Ad primam partem quod attinet. Subjectum censurae sunt omnes et singuli tam laici quam ecclesiastici, qui quovis modo sive appellando, sive supplicationem porrigendo, sive saeculare brachium invocando *ad laicam potestatem* recursum faciunt, nempe ad eos, qui in cives potestate proprie dicta pollent. Hinc si ad alium, jurisdictionem non habentem, etiam magni nominis et auctoritatis, uti militum Magistrum, Syndicum, Quaestorem fit recursus, excommunicatio non incurritur, quia in articulo dicitur recursum exhibendum esse *ad laicam potestatem,* nempe ad potestatem habentes, utpote sunt judices, urbium praefecti, praetores, magistratus, ministri regni, Reges, Imperatores.

At non sufficit quivis recursus etiam in re spirituali, ut excommunicatio incurratur, sed debet fieri ad impediendas litteras, vel acta quaelibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem S. Sedis Legatis, aut Delegatis profecta.—Litterae Apostolicae sunt illae, quae prodeunt sub R. Pontificis nomine sive in forma Brevis, sive in forma Bullae, vel Encyclicae, vel quavis alia.—Acta vero appellantur, quae Romae geruntur Pontificis mandato sive spirituale sive temporale negotium contineant, uti sunt processus, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, quae quidem in Bulla *Coenae* distincte referuntur. At interrogata Congr. S. Officii: Utrum per acta a S. Sede Apostolica profecta designentur tantum acta quae immediate a S. Pontifice proficiscuntur, an etiam quae mediate a SS. RR. Congregationibus proveniunt? Respondit die 13 Januarii 1892. *Negative ad 1.am*

partem, affirmative ad 2.am, facto verbo cum SS.—Legati sunt, qui ad Principes negotiorum gratia a Summo Pontifice mittuntur.—Delegati sunt illi, quibus peculiare negotium committitur. Ita Jus Canonicum. Recursus igitur exhibitus ad laicam potestatem ad praedicta impedienda excommunicatione mulctatur.

Unde excommunicationem non incurrit, qui nullo facto ad laicam potestatem recursu litteras Apostolicas impediret; nec eam incurrit, qui litteras Apostolicas laceraret, vel combureret, dummodo nullus adfuit recursus; nec eam incurrit, qui ad laicam potestatem, tanquam ad privatam personam recurrit implorando ejus auxilium, nempe ut intercedat apud auctoritatem ecclesiasticam, ut litterarum Apostolicarum dispositionem revocet, aut differat, licet id obtineat, quia ejusmodi agendi ratio uti recursus considerari non potest. Item eam non incurrit ille, qui in jus vocatus coram saeculari judice ut solvat pensionem litteris Apostolicis impositam, sese opponit, et eam respuit uti injustam, quia recursum non exhibuit; nec eam incurrit innocens per falsos testes injuste damnatus recurrendo ad laicam potestatem, ne injustae condemnationi per litteram Apostolicam habitae subjaceat, quando ad Curiam ecclesiasticam recurrere non potest, et periculum est in mora gravis damni, quia Summus Pontifex non vult in tali eventu excommunicationis gladio ferire innocentem grave damnum injuste perpessurum, quod alia ratione vitare non potest, nisi recurrendo ad laicam potestatem. *Bonac.* d. 1. q. XIV.

Ad secundam partem quod attinet. Omnes illi excommunicationem incurrunt, qui praedictorum directe vel indirecte promulgationem aut executionem prohibent. Hoc autem fieri potest dupliciter, vel *simpliciter* prohibendo litterarum Apostolicarum, vel actorum S. Sedis promulgationem vel executionem sine ulla conditione vel clausula, ne praefatae litterae executioni tradantur; vel prohibendo *secundum quid*, ne scilicet praedictae litterae executioni mandentur sine beneplacito, consensu, vel examine potestatis laicae; in utroque casu semper censura incurritur, quia violatur Ecclesiae Apostolicae auctoritas, ita *Bonac.* Cum autem in articulo sermo fit de promulgatione, nonnulli asserunt intelligendam esse eam promulgationem, quae

fit consueta forma et more, nempe juxta solemnitates et modos in jure statutos, quibus litterae, et acta S. Sedis Apostolicae promulgantur. Alii e contra dicunt hujusmodi solemnitates, quae pro temporum varietate diversae fuerunt in Ecclesia, substantiam actus non attingunt, hinc si pro temporum improbitate non possunt observari, quicumque sit modus, quo S. Sedes suas litteras, et acta promulgat, quisquis praedictorum promulgationem meliori modo factam prohibet, excom. incurrit. Quaestio igitur est inter Doctos. At odia sunt restringenda, ideoque tenendum est requiri promulgationem, quae consueta forma et more fit. Et heic notandum promulgationem differre ab evulgatione. Promulgatio est publica legis denuntiatio facta auctoritate Superioris ad obligationem in subditis inducendam. Evulgatio est ipsius legis promulgatae actualis notitia, quam quisque subditus habet. Hinc qui prohibet, nempe efficit, ut litterae et acta a Sede Apostolica profecta ad aliorum notitiam non perveniant excom. non incurrit, quia prohibet evulgationem, non promulgationem.

At quando directe, quando indirecte utrumque prohibetur, ex quo excommunicatio incurritur? Directe prohibetur, quando quis edicto, vel statuto generali, vel particulari praecipit, ne litterae Apostolicae promulgentur, aut executioni mandentur; vel ne litterae Apostolicae sine suo consensu vel beneplacito executionem habeant, ita *Reginald.* lib. 9. cap. 21. Indirecte vero multifarie prohibetur: — 1.° prohibendo, ne tabelliones et notarii conficiant acta, vel instrumenta super executione hujusmodi litterarum, et processuum; — 2.° prohibendo, ne instrumenta vel acta confecta super executione hujusmodi litterarum aut actorum tradantur parti, cujus interest; — 3.° capiendo partes actrices, vel ipsarum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, vel subexecutores litterarum, aliorumque decretorum Apostolicorum. Ratio, quia contingere aliquando solet, ut qui ipsas partes impetrantes litteras Apostolicas vexare non potest, vexet consanguineos, affines vel familiares, ut hoc pacto litterarum Apostolicarum executionem prohibeat; — 4.° prohibendo, ne executor, cui litterarum executio demandata est, ingrediatur civitatem, vel locum, in quo

executio demandata est; — 5.° impediendo quod alter obtineat Regium exequatur, quando eo ex jure civili opus habet.

Unde excommunicationem non incurrit, qui simpliciter non paret litteris Apostolicis, aut suum consensum non praestat; aliud est enim non parere litteris, aliud executionem illarum prohibere. Similiter hac excommunicatione non ligatur ille, qui litterarum Apostolicarum executionem aliquo casu impedire conatur, in quo rationabiliter putat illas locum non habere. Ratio est, quia hic non peccat mortaliter, et consequenter neque subjicitur excommunicationi, quae mortale peccatum supponit, ita *Bonac.* Item eam non incurrunt notarii, executores, subexecutores praedictarum litterarum, qui acta, vel instrumenta super illarum executione conficere, aut confecta parti tradere recusarent, nisi habito Principis, vel magistratus beneplacito, vel examine, quia excommunicatione mulctantur illi, qui prohibent executionem, non vero qui non exequuntur litteras aut acta a S. Sede profecta. Secus si prohibent, ne instrumenta vel acta ab aliis conficiantur, vel ne tradantur parti, cujus interest; aut si prohibent, ne alter litteras Apostolicas executioni simpliciter mandet, quia verificatur prohibitio, de qua loquitur in articulo. *Bonac.* Denique eam non incurrunt Clerici, seu Praelati Ecclesiae, ad quos frequenter litterae Apostolicae dirigi solent, si praefatis litteris non utantur, aut executioni non tradant, antequam Principis, vel magistratus beneplacitum, consensus vel examen accedat. Ratio est, quia Summus Pontifex excommunicat eos, qui prohibent executionem, non vero eos, qui non exequuntur; aliud est enim prohibere, aliud non exequi, ita *Reginaldus* n. 327. *Alterius, Duardus,* et alii.

Ex quo infertur subjectum hujus censurae esse omnes, qui praefatas actiones praestant. Utrum autem eas praestare debeant auctoritate publica, an sufficiat etiam auctoritate privata, quaestio est. Nonnulli censent privatam auctoritatem satis esse ad censuram incurrendam. Ratio est, quia Summus Pontifex absolute loquitur de prohibentibus; non solum autem magistratus, sed etiam particulares personae prohibere possunt, ita *Navarrus* cap. XXVII. n. 68. *Vivaldus* n. 95. *Ugolinus, Al-*

terius, Filliuc., quorum opinio non videtur improbabilis. At alii contra sentiunt, quia haec secunda articuli pars ad primam refertur; hinc sicut recursus debet fieri ad laicam potestatem, nempe ad eos, qui publica potestate pollent, ita isti ex recursu habito promulgationem vel executionem prohibere debent. Insuper Summus Pontifex excommunicatione mulctat eos, qui auctoritate, qua sunt praediti, possunt semper promulgationem et executionem prohibere, non vero illos, qui vel nunquam vel raro admodum, et certe nunquam juridice, id possunt, ita *Pennacchi;* ideoque quaestio est. At odia sunt restringenda, proinde tenendum requiri publicam auctoritatem ad excommunicationem incurrendam.

Ad tertiam partem quod attinet. Ex verborum contextu aperte constat mentem Summi Pontificis esse, ut personae in articulo recensitae offendantur occasione dictarum litterarum, et actorum a S. Sede profectorum ad incurrendam censuram, quia dicitur *aut eorum causa;* hinc si alia de causa offenduntur, uti si occiduntur ob privatas inimicitias, excommunicatio non incurritur. Subjectum igitur censurae sunt *laedentes vel perterrefacientes sive ipsas partes sive alios.* Verbum *laedere,* uti affirmat *Brisson* Voc. Jur. V. *Laedi,* laesionem corporalem stricto sensu significat. Et quoniam sumus in poenis, et in poenis verba stricto sensu sunt accipienda, sequitur tantum pro laesione in corpus praedictis patrata excommunicatio incurritur. *Perterrefacere* juxta vim vocis idem est, ac terrorem alicui inferre, ita *Cic.;* hinc illi dicuntur *perterrefacientes* qui metum plus quam gravem incutiunt. Dictum est *plus quam gravem,* quia ad incurrendam poenam gravem actio, quae certe grave peccatum attingit, requiritur. *Ipsarum partium* nomine veniunt ipsae personae, quae vel a S. Apostolica, vel ab ejus Legatis, aut Delegatis quibuscumque obtinuerunt rescriptum aliquod gratiae, aut justitiae. Rescriptum gratiae est illud, quo Papa confert, aut conferri mandat beneficium. Rescriptum justitiae est illud, quod ad lites conceditur. Per verbum *alios* intelliguntur illae personae, ad quas acta obtenta aliqua ratione referuntur, idest ipsarum partium agentes, patrocinatores, consanguinei, affines, familiares, ipsarumque litterarum executores. Plerumque enim contingere solet, ut qui

vexare non valet partes ipsas, quae impetrarunt, vel impetrare conantur gratias aut litteras Apostolicas, vexet consanguineos, affines, familiares, executores.

Quaeres. *Prohibentes, recurrentes, laedentes,* vel *perterrefacientes* quando excommunicationem incurrunt? *Recurrentes* uti ex contextu apparet, ex simplici recursu excommunicationem incurrunt, quia si in articulo VI. juxta aliquos effectus petitur, eo quod adsunt verba *ejusque mandata procurantes,* cum in hoc articulo hoc prorsus reticeatur, dicendum est simplicem recursum satis esse ad excommunicationem incurrendam. *Prohibentes* utrum eam incurrant ante secutum effectum, litigium est inter Doctos; at videntur eam incurrere, quia etiamsi effectus non sequatur, per simplicem prohibitionem Ecclesiae Apostolicae auctoritas semper violatur, ac proinde habetur crimen excommunicatione mulctatum. *Laedentes et perterrefacientes* eadem nunc allata ratione eam videntur incurrere etiam effectu non sequuto.

IX.

Omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices praedictorum.

Tria sub excommunicatione in hoc articulo vetantur. Primo prohibetur falsare litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, ac supplicationes gratiam vel justitiam concernentes. Secundo falso publicare litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis. Tertio falso signare supplicationes Summi Pontificis, aut Vice-Cancellarii, vel alterius vices ipsorum Gerentis. Haec tria singillatim enodantur.

Et in primis quid nomine litterarum Apostolicarum, vel supplicationum, et quid nomine falsationis venit? Litterae Aposto-

licae dicuntur illae, quae nomine Summi Pontificis expediuntur, sive sint Bullae, sive Brevia. Hoc autem discrimen intercedit inter Bullas et Brevia. Bullae plumbeo sigillo expediuntur, cujus altera facies habet impressa capita SS. App. Petri et Pauli, altera vero plana est et nuda. Brevia vero a solis Papae secretariis conficiuntur, et in cera rubra signantur sigillo Summi Pontificis cum impressione naviculae Petri. Supplicationes denique dicuntur illae petitiones, quae in scriptis Summo Pontifici, aut Vice-Cancellario, aut alteri vicem ipsorum Gerenti exhibentur ad obtinendam gratiam, ex. gr. dispensationem, indulgentias, aut ad obtinendam justitiam, ex. gr. ut causa alicui mandetur definienda, ita *Reginaldus*, *Alterius*, *Suarez*, *Ugol.* *Duardus*. Hinc sequitur litteras Sacrae Congregationis Cardinalium, aut Poenitentiariae, aut Episcopi, aut Nuncii, aut Legati a latere, aut Datarii non comprehendi sub nomine litterarum, vel supplicationum Apostolicarum, aut Vice-Cancellarii, aut Gerentium vices praedictorum, quia non expediuntur nomine Papae, aut ejus Vice-Cancellarii sed nomine ipsorum Commissariorum, ita *Navarrus*, *Alterius*, *Regin.*, *Duardus*, *Ugolin.*, *Grassius*. Insuper sequitur non comprehendi sub praedicto nomine litteras, quae nondum sunt expeditae, idest signatae, et munitae sigillo, seu plumbo. Ratio est, quia versamur in materia poenali, in qua stricta interpretatio facienda est. Summus enim Pontifex loquitur de falsariis litterarum Apostolicarum, et illae non appellantur litterae Apostolicae, quae nondum sunt perfectae, seu quibus deest aliqua conditio, ut litterae Apostolicae dicantur; sicut illud non est testamentum, in quo essentialis defectus reperitur.

Nomine falsationis in hoc loco intelligitur additio, mutatio, vel detractio aliqua a praefatis litteris, vel supplicationibus; nam falsa redditur scriptura quoties aliquid additur vel minuitur, quod antea positum, seu concessum non erat: ergo illa dici debet falsatio, qua aliquid additur, vel minuitur, quod antea non erat. Hoc autem multis modis contingere potest: 1.° aliquid addendo, seu scribendo, vel subscribendo; 2.° radendo, secando, aut levando; 3.° sigillum verum falsis litteris apponendo; 4.° signando falso sigillo, vel etiam vero, sed sine con-

sensu illius, ad quem spectat, ita *Ugolin.*, *Alterius, Duardus, Reginaldus, Suarez, Sayrus*, et alii communiter.

Hoc posito ut primi, nempe falsarii litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, aut supplicationum hanc excommunicationem incurrant, requiritur:—1.° ut falsatio fiat ex dolo malo, nempe animo decipiendi, et reapse sit talis, ut decipere possit. Hinc si quis per jocum, nempe ut ostendat suis amicis se perfecte chirographum alterius imitari, litteras Apostolicas falsaret, quin intenderet eas evulgare, etsi postea per accidens inculpabiliter evulgentur, excommunicationem non incurrit, quia deest dolus malus. Nam hic articulus loquitur de falsariis proprie dictis, nempe de iis, qui pravo animo litteras falsant;—2.° ut falsatio mutet sensum a concedente intentum. Ratio est, tum quia haec censetur materia notabilis, et pertinens ad substantiam litterarum vel supplicationum, quae in verborum significatione consistit; tum quia haec est vera, et formalis falsatio.

Ex quo sequitur:—1.° ad cognoscendam in hac re materiae gravitatem sufficientem ad censuram incurrendam, non esse attendendam verborum quantitatem, quae additur vel detrahitur, sed significationem; nam fieri potest, ut additione unius verbi mutetur sensus a Papa intentus, aliquando vero non mutetur mutatione nonnullorum verborum;—2.° illum non ligari censura contra falsarios lata, qui errorem grammaticae corrigit, aut etiam, qui verba aliqua addit, vel detrahit, quibus additis, vel detractis, adhuc remanet sensus a Papa intentus; haec enim non videtur materia sufficiens ad incurrendam censuram, cum non adsit formalis falsatio, nec quidquam fieri videtur notabiliter contrarium intentioni Summi Pontificis. Secus si verborum sensus mutetur, ita *Navarrus, Grassius, Toletus, Alterius, Filliuc., Ugol.*;—3.° illum huic censurae subjici, qui falsat litteras aliquid addendo, vel detrahendo, etiamsi forte parti, vel fisco grave damnum inde non sequatur. Ratio est, tum quia sequeretur nullum peccatum patrare, neque censuram incurrere, qui falsat litteras, quoties illarum falsatio in nullius damnum vergit; tum quia hic est vere falsarius; tum quia licet falsatio relate ad partem vel ad fiscum gravem jacturam non pa-

riat, relate tamen ad Superiorem, cujus auctoritas falsatione formali litterarum aut supplicationum contemni videtur, gravis ipsi injuria irrogatur, sufficiens ad excommunicationem incurrendam, ita *Alterius* lib. V.;—4.° illum hac censura ligari, qui extendit tempus in litteris expressum; uti si Summus Pontifex litteras concessit ad triennium, et impetrans mutavit in quinquennium, ita communiter DD.; — 5.° illum probabiliter excusari posse, qui litteras corrigit juxta mentem Summi Pontificis: uti si scriptor aliquid aliter expressit, ac in supplicatione a Papa concessum sit; cum enim corriguntur litterae juxta supplicationem a Papa signatam, non videntur proprie litterae falsari, sed potius falsitas tolli; uti si in supplicatione exprimebatur quartus *consanguinitatis* gradus, et Notarius apposuit *affinitatis,* tunc qui corrigit juxta supplicationem non incurrit excommunicationem, quia non falsat, sed falsitatem tollit, et veritatem apponit, ita *Duardus, Sayrus, Reginaldus, Ugolinus,* et alii contra *Suarez.* Quamquam cavendum sit, ne haec correctio fiat propria auctoritate, cum facienda sit per officiales seu Notarios ad hoc in Curia deputatos, nisi forte difficilis ad ipsos aditus esset, ut observant praefati Doctores.

Ex iis, quae supra diximus, infertur: — 1° impetrantes litteras mentito sibi nomine, idest sub nomine alieno, quod sibi falso imponunt, non ligari hac censura, quia obtinent veras litteras Apostolicas, quamvis incurrant notam falsarii proprii nominis, ita *Filliuc. tr.* XVI.—2.° comburentem, aut dilacerantem litteras Apostolicas non puniri poena hujus censurae, quia non dicitur falsare, ita communiter Doctores; — 3.° retinentem apud se litteras falsatas non teneri excommunicatione hujus articuli, quia in articulo non est sermo de retinentibus; — 4.° fautores, consulentes, aut mandantes falsationem non comprehendi in hoc articulo, quia non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem;—5.° falsantes litteras Apostolicas subjacere huic excommunicationi, etiamsi forte hujusmodi litterae Apostolicae sint invalidae ratione subreptionis, aut alterius causae, modo litterae completae sint, quia licet istae litterae per accidens careant effectu, et validitate ob subreptionem, nihilominus sunt verae litterae Apostolicae, et gravis injuria irrogatur Superiori, ita

Alterius contra *Duardum*, qui aliter sentit de falsantibus litteras invalidas; — 6.° falsantes litteras Apostolicas vel rescripta supplicationum ad tempus concessa, si tempus jam praeterlapsum est, excommunicationem non incurrere, quia ejusmodi litterae ob lapsum temporis praefixi inutiles omnino redditae sunt, ita *Pennacchi;* — 7.° falsantem litteras, quas Summus Pontifex tanquam persona privata scribit, non ligari excommunicatione, uti si amico scribat, ut ad se invisendum accedat. Ratio est, quia istae non dicuntur litterae Apostolicae proprie loquendo, et in poenis stricta facienda est interpretatio, ita *Ugolin.* c. II;—8.° illum affici excommunicatione, qui litteras, vel supplicationes falsat, quamvis illis postea non utatur, hic enim verus est falsator, ita communiter DD.;—9.° illum non teneri excommunicatione hujus articuli, qui verbum aliquod abrasit animo addendi aliud, sed poenitentia ductus non addidit, sed idem verbum iterum apposuit. Ratio est, quia non dicitur proprie falsator, cum idem in litteris sensus perseveret appositione verbi antea subtracti, ita *Regin.*, *Grassius*, *Duardus*, *Ugol.*;— 10.° falsantem litteras animo illis non utendi, sed statim perdendi et destruendi non affici excommunicatione, quia vere non vult corrigere, qui animum habet statim lacerandi, ita *Alterius.* At *Bonacina* contrarium tenet, et ei probabilius videtur, tum quia hic vere dicitur litteras Apostolicas falsare, tum quia Ecclesia non punit animum internum, sed actum externum peccaminosum, tum quia ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Alii, qui censuram hujus articuli incurrunt, sunt falso publicantes litteras Apostolicas etiam in forma Brevis. Illi sunt falso publicantes, qui vel veras litteras Apostolicas sed adulterinas, vel falsas ex integro confectas evulgant, non secus ac si authenticae essent. Hinc si quis falsas litteras confingit, et apud se retinet, quin eas evulget, excommunicationem non incurrit, quia excommunicatio publicantes attingit; nec eam incurrit pro prima parte hujus articuli, quae respicit falsarios litterarum Apostolicarum, non earumdem fabricantes, uti habebatur in Bulla *Coenae.* Item eam non incurrit, qui falsas litteras confingit, et evulgare incipit, at postea mali se poenitens illico eas subdu-

cit; quia publicare est ad multorum notitiam aliquid referre, proinde si ad paucos notitia pervenit, non dicitur publicata. Similiter eam non incurrit, qui falso publicat supplicationes gratiam aut justitiam concernentes, quia heic sermo est tantum de falso publicantibus litteras Apostolicas, non vero supplicationes. Nec eam incurrunt mandantes, quia non exprimuntur; unde si quis falsas litteras mandat publicare, est a censura immunis. Utrum autem incurratur censura quovis modo hujusmodi litterae publicentur, aut debeat fieri publicatio modo usitato pro auctoritativa publicatione, litigant DD. At sumus in poenis, et facienda est stricta interpretatio, ideoque in praxi de publicatione modo usitato facta intelligendum est.

Denique hac excommunicatione mulctantur falso signantes supplicationes sub nomine Rom. Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentium vices praedictorum. Illi dicuntur falso signare, qui vel falso sigillo vel etiam vero, sed sine consensu illius, ad quem spectat, alicui rescripto subscribunt. Hinc si quis litteras Apostolicas falso signat, excommunicationem non incurrit, quia ad eas excommunicatio non refertur.

Ex dictis colligitur: — 1.° litterarum Apostolicarum falsarios excommunicationem incurrere statim ac falsationem pravo animo complent, licet litterae non evulgentur; — 2.° falsas litteras confingentes tunc excommunicationem incurrere, cum falsae litterae evulgantur. Nam pro simplici falsarum litterarum fabricatione nulla lata est censura in hac Constitutione, prout lata fuit in Bulla *Coenae*; — 3.° falso signantes supplicationes, facta subscriptione, illico censuram incurrere, sive supplicanti pervenerint, sive non.

X.

Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius Sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

In hoc articulo mulctatur censura ille, qui absolvit complicem in re turpi, excepto casu articuli vel periculi mortis; dummodo non adsit alius confessarius vel simplex sacerdos, vel si adest, timetur grave scandalum vel infamia non absolvendo.

Subjectum hujus censurae sunt confessarii complicem in re turpi absolventes, quia Bulla *Sacramentum Poenitentiae* loquitur de confessariis. Hinc excommunicationem non incurreret simplex Sacerdos, idest qui non habet facultatem excipiendi confessiones, si complicem absolveret in periculo, vel articulo mortis constitutum, dum absque scandalo et ejus infamia facile posset alius confessarius approbatus moribundi confessionem audire, et eum absolvere, quia simplex sacerdos non est confessarius.

Materia vero est peccatum complicitatis. Nomine complicitatis intelligitur peccatum simul commissum formaliter contra sextum decalogi praeceptum, idest a poenitente cum confessario; et eruitur ex ipso verbo Constitutionis, nam *complex* sibi vult socium criminis. At contra sextum decalogi praeceptum cum alia persona peccari potest sive verbo, nempe obscoenis colloquiis, sive opere, hinc sequitur quod quovis modo praedictum crimen sit commissum, semper illud absolventes censuram incurrunt, ita *S. Alphonsus* lib. VI. 554. en verba: *Nomine peccati turpis venit omne peccatum externum contra sextum praeceptum, licet sit solus tactus, sive colloquium.* Et confirmatur ex decreto S. Officii die 28 Maji 1873. ubi legitur: *Comprehendi nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa, quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus, qui complicitatem important.* Peccatum autem, quod in hoc articulo sub censura absolvi vetatur, intelligitur peccatum quocumque tempore sit commissum, etiamsi confessarius nondum fuisset sacerdos, quia hic articulus nullam innuit distinctionem, nec habetur in Bulla *Sacramentum Poenitentiae.*

Insuper in hoc articulo sub censura prohibetur absolutio complicis, quando peccatum complicitatis est materia necessaria, sed si fit materia voluntaria, quatenus jam ab alio fuerit *complex* rite absolutus, et tunc indirecte idest cum aliis peccatis potest absolvi a confessario complice, quin incurrat censuram. Ratio est, quia caret jurisdictione in hunc poenitentem quoad peccatum, cujus ipse fuit particeps: at, deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, cessat prohibitio, nec deest jurisdictio. *Gury.* Et *S. Alphonsus* VI. 555. ait: *Absolutio a confessario complice impertita irrita est, ut sentio, etiam quoad*

mortalia, quae complex, qui nondum ab alio de peccato turpi fuerit absolutus, ipsi confiteatur. Hoc infero ex verbis ejusdem Bullae ubi dicitur: Atque ideo absolutio nulla atque irrita omnino. sit. *Secus vero censeo, si de peccato turpi ille jam fuerit absolutus, quia tunc cessat dispositionis suspicio, ob quam Pontifex jurisdictionem confessario abstulisse videtur.* At si peccatum complicitatis, cum fit materia voluntaria, a confessario complice indirecte, idest cum aliis peccatis, potest absolvi, et effugitur censura. Quid si poenitens hoc solum, etsi directe remissum, accuset? Quaestio est circa istiusmodi absolutionis validitatem (1), sed certo censura non incurritur, quia peccatum jam antea rite absolutum fuit, ideoque non habetur crimen contra Bullam.

---

(1) Cf. Bucceroni, Comm. in C. Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae.* Ed. 2.ª pag. 128. n. 75., qui hanc refert quaestionem, et ita eam exponit: Affirmat doctus Ballerinius nullam esse absolutionem ex responso quodam Benedicti XIV. Episcopo Brugnatensi, ubi fertur respondisse complicem a sacerdote complice absolvi non posse, etiamsi centies absolutus ab aliis fuisset; et probari potest ex ipsa Bulla; siquidem in ea absolute et generatim adimitur confessario jurisdictio in hujusmodi peccatum. Negat *Scavini*, « quia sicut Superiores non intendunt sibi reservare peccata, jam directe remissa, ita nec auferre jurisdictionem confessario in hoc casu, quia nulla est obligatio haec peccata iterum clavibus subjiciendi ». Negat etiam *Ithur.* cas. 41. n. 22., et hanc sententiam communem dicit. Ratio, quia peccatum illud « non est amplius materia necessaria confessionis, sed libera ». Et cas. 54. n. 16. quia, ait, « vinculum complicitatis stricte et proprie sumptum per confessionem alteri factam dissolutum est ». Cas. 48. n. 2-10. « quia peccatum complicitatis per absolutionem directe habitam est simpliciter delctum in ordine ad absolutionem a proprio complice recipiendam. Summus enim Pontifex complicem jurisdictione privans, hunc privavit ea jurisdictione tantum, quae necessaria est ad delendum illud peccatum. Hoc enim sensu lex Benedectina intellecta verissima est. Ergo ulterius non nisi arbitrarie extenderetur. » Ita quoque *Alasia* l. c. n. 2., aliique communiter. *Ios. D'Annibali* Summ. Theol. Mor. Ed. 2.ª P. 3. n. 192. nota 67., et Comm. in C. Apost. Sedis n. 80. 82. Ed. 3.ª, ubi nota 20.. « Ast ego, ait, neque Epistolas, neque Bullas Benedicti XIV., sed Constitutionem nostram cum primis consulendam puto. Sane hodie hic casus eodem jure, quo ceteri casus omnes reservati metiri debet. Atqui in ceteris, cum semel rite absoluti fuerint, reservatio cessat ».

Unde si quis alteri confessario cum aliis peccatis etiam crimen complicitatis fuit confessus, attamen defectu doloris confessio fuit invalida, si postea vere dispositus accedit ad proprium confessarium in peccato turpi complicem, et iste, renovata integra peccatorum confessione, eum absolvit, censuram incurrit, quia peccatum complicitatis est materia necessaria. Item dicendum, si quis a peccato complicitatis fuit ab alio confessario indirecte absolutus, quatenus ex oblivione inculpabili ei non manifestavit, si hic poenitens postea ad proprium confessarium complicem redit, non potest ab eo absolvi; et si iste eum absolvit, censuram incurrit, quia hoc peccatum est materia necessaria, et directe est absolvendum.

At ut peccatum complicitatis non possit absolvi, et absolventes incurrant censuram, requiritur: — 1.° ut peccatum sit grave, non leve, quia peccata levia non sunt materia necessaria sacramenti poenitentiae, possunt etiam ea non confiteri, nec pro peccatis levibus poena gravis infligi potest. Etenim *S. Alphonsus* VI. 554. ait: *Sub nomine peccati turpis non comprehenduntur peccata venialia inhonestatis, sive sint ex parvitate materiae, sive ex defectu advertentiae, aut consensus, quia venialia non sunt de obligatione in confessione manifestanda.* Ita quoque *Salmant.* 297;—2.° ut peccatum sit grave exterius, quia Ecclesia, licet posset, tamen non solet reservare peccata interna. Hinc si actus externus fuerit solummodo peccatum veniale, puta tactus manus, licet ab effectu libidinoso procedat, potest absolvi a confessario complice, nec incurritur censura, quia Superior sicut sibi non reservat peccatum externe tantum veniale, ita nec quoad peccatum complicitatis externe tantum veniale aufert jurisdictionem, ita *Salmant. Alasia, Amort* etc.;— 3.° ut peccatum sit certum, non dubium, quia non videntur Superiores velle reservare peccata dubia, nisi id expresse declarent, et hoc est juxta communem sententiam. Hinc, censent *Salmanticenses*, si adest dubium, an poenitens graviter peccaverit, licet confessarius certo mortale commiserit, peccatum non est reservatum, nec incurritur censura poenitentem absolvendo, quia Bulla intelligenda est de complici formali in peccato mortali turpi; — 4.° ut peccatum sit formale, idest cogni-

tum ab utraque parte, nam complicitas est in eodem crimine sociatio; jam vero si unus ignorat alium cum eo peccare, non habetur sociatio in eodem crimine, et per consequens peccatum non est reservatum. Hinc confessarius valide absolvit, et non incurrit censuram absolvendo puellam, quam dormientem, vel reluctantem impudice tangit, quia non absolvit a peccato complicitatis.

Statutis casibus in quibus censura incurritur, nunc superest videndum, quando censura non incurritur: — 1.° effugitur excommunicatio non solum in articulo vel periculo mortis, quando deest alius confessarius, vel simplex sacerdos, vel si adest, timetur grave scandalum aut infamia non absolvendo, sed etiam si infirmus ab alio simplici sacerdote, vel confessario abhorreat, quia v. g. consanguineus, inimicus. Ratio est, quia (uti eruitur ex sensu totius Bullae *Apostolici muneris*), Ecclesia in hoc casu non negat jurisdictionem confessario complici cum damno moribundi; si enim confessarius complex non absolveret, salus aeterna moribundi periclitaretur, quia alteri non confiteretur, et Ecclesia salutem non perditionem animarum exoptat; (1)—2.° non incurritur excommunicatio, si confessarius invincibiliter ignoret censuram, quia deest contumacia; utrum vero si ignorantia fuerit crassa seu supina incurratur censura, olim quaestio erat; at interrogata Cong. S. Officii: Utrum absolventes complicem in re turpi cum ignorantia crassa et supina hanc excommunicationem incurrant, an non? Respondit die 13 Januarii 1892.: *In casu incurrere, facto verbo cum SSmo;*— 3.° non incurritur, si confessarius, audita integra sui complicis confessione, eum non absolvit, quia censura est lata contra absolventes, ita *S. Alphonsus* VI. 556.; secus vero si confessarius fingit absolvere, licet non absolvat, recitando nempe orationem quandam, vel alia verba pronuntiando, aut etiam tacendo, ita ut videatur per signa, vel per manuum gestus re-

(1) Quaestio est inter Doctos, utrum extra articulum vel periculum mortis valida sit absolutio complicis in peccato turpi, si poenitens diu manere deberet in peccato, quia deest alius confessarius; vel si vere et non ficte horreat alteri confiteri. Usque dum non habetur aliqua decisio, uti dubia sententia est tenenda.

vera poenitentem a peccatis relaxare, uti declaravit Congregatio S. Officii. Episcopus enim Petrocorensis quaesivit: " Omnes ejusdem Constitutionis Commentarii docent, illum confessarium excommunicationi non subjici, qui complicem in peccato turpi absolvere fingit, sed reapse non absolvit. Contrarium tamen declaravit S. Poenitentiaria die 1ª Martii 1878. An potest Orator permittere ut in suo seminario doceatur praefata Commentatorum sententia responso S. Poenitentiariae contrario „? Emi Patres responderunt: *Negative, facto verbo cum SSmo*, die 10 Decembris 1883.; — 4.° non incurritur, si confessarius complicem suum inadvertenter absolveret, quia deest culpa, et non incurritur poena. Utrum autem in hoc casu valida sit absolutio, Theologi magni nominis in diversam abeunt sententiam. Nonnulli probabilius censent validam esse absolutionem, quia Bulla Benedicti XIV. praesumptionem et temerarium ausum requirit ad nullitatem; in textu enim legitur: *Prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso* excipere audeat, *sublata propterea illi ipsi quacumque auctoritate, et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam.* Alii putant esse nullam, quia lex Benedictina non est simpliciter prohibens, ne sacerdos complicem suum absolvat, sed ipso facto irritat actum, quem vetat, et efficit sacerdotem prorsus inhabilem ad sociam criminis absolvendam. Unde sacerdos nunquam criminis complicem absolvere potest, nisi in eo solo casu, qui in jure ipso excipitur, seu in mortis articulo vel periculo. *Gury* cas. 616.; — 5.° non incurritur, si confessarius absolvit poenitentem dubitans an sit suus complex (praemissa prudenti diligentia, et dubio perseverante), quia poena non incurritur nisi ob certum crimen. Insuper si Theologi tenent in hoc dubio posse poenitentem absolvi, quomodo incurri posset poena? Revera ait *Gury* cas. 619: *Durum est valde imo durissimum, sacerdotem adigere ad se prodendum, et turpitudinem suam manifestandam cum ingenti honoris jactura. Nec prae-*

sumendum est, prudentem legislatorem voluisse rerum jurisdictione privare cum tanto dubio circa rem ex una parte, et tanto famae detrimento ex altera. Numquid, dicit *Reatinus*, *confessarius quaevere debet a poenitente, an secum peccaverit?* et addit *Comm. Rom.: Lex prohibet absolutionem complicis in sensu vero et proprio, qui scilicet uti talis a confessario certo cognoscitur: at poenitens, de cujus complicitate dubitatur, non potest dici complex in sensu vero et proprio.* Igitur casus praesens recidere videtur in quaestionem jurisdictionis dubiae, in qua stante gravi causa probabilius absolvere licet, ita *Ithur.* t. 6. cas. 3., et per consequens effugitur censura.

Pius IX. per Cong. S. Inquisitionis 17 Junii 1866. declaravit, obtinentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Papalibus non ideo posse absolvere a casibus reservatis a Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum Poenitentiae*, qui duo sunt: 1.° casus attentantis absolutionem complicis in peccato turpi: 2.° casus personae falso denuntiantis sacerdotem de sollicitatione, qui est sine censura reservatus.—Die autem 4 Apr. 1871. declaravit, quod etiam obtenta facultate absolvendi a censuris speciali modo reservatis, semper excipitur absolutio complicis quoad turpia. Unde excommunicatio lata in attentantem absolutionem complicis hodie est specialissimo modo reservata, etsi casus occultus sit.

XI.

Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reddit us, ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.

Hic articulus excommunicatione percellit, tum usurpantes jurisdictionem, bona, redditus pertinentes ad ecclesiasticas personas ratione suarum Ecclesiarum, aut beneficiorum, nisi ob ignorantiam vel ob aliam causam excusentur: tum praedicta sequestrantes sine Summi Pontificis venia, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium. Quae quidem excommunicatio a Summo Pontifice lata est in commodum et utilitatem personarum ecclesiasticarum, ne in suis fructibus ecclesiasticis inique laedantur. Singula enucleantur.

Et in primis quid sibi vult usurpare? Hoc verbum, ait *Bonac.* disp. 1. q. XVIII. accipitur pro actione, qua quis alienum sibi adscribit, tanquam proprium, seu tanquam sibi debitum, licet sciat ad alium pertinere; vel, ut alii loquuntur, pro actione qua quis rem alienam rapit, non tanquam alienam, sed tanquam propriam, seu ac si ad se pertineret. Quamobrem is dicitur usurpare jurisdictionem, bona, redditus in hoc articulo expressos, qui eos sibi tanquam proprios vindicat, quasi potestatem in his habens, seu quasi jure proprio utens. Unde tam publicae, quam privatae personae possunt incurrere censuram hujus articuli, quia etiam privatae personae possunt occupare bona Ecclesiae tanquam sibi debita, ac proinde evadere usurpatores, uti ex. gr. si quis iniqua lege civilis Gubernii innixus tribunalia adit, et sibi vindicat, quod a patre, aut ab alio consanguineo Ecclesiae fuit relictum. *Bonac., Ugol.* Et haec est fere communis sententia, si paucos excipias asserentes occupationem, nisi fiat auctoritate publica, dici non posse usurpationem. Insuper eam incurrunt tam Ecclesiastici, quam laici, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; et quamvis Summus Pontifex praecipue intenderit consulere bonis Ecclesiasticorum, ne auctoritate laicorum offendantur, verba tamen generalia sunt, nec ad aliquos sunt restricta, et limitata, ita *Reginald., Ugolin.* etc.

Hinc sequitur:—1.° fures, latrones, et milites, qui bona, redditus Ecclesiasticorum furantur aut rapiunt, non incidere in censuram hujus articuli, quia non dicuntur haec bona usurpare juxta strictam, et formalem hujus verbi significationem, cum haec non subtrahant tanquam propria, seu ex praetenso jure, sed rapiunt tanquam aliena. Et ita quoque declaravit S. Univer. Inquisitio die 9 Martii 1870. Utrum vero incurrat censuram hujus articuli ille, qui bona Ecclesiasticorum ab alio usurpata emit, hoc quaesitum fuit. S. U. Inquisitioni, quae die 8 Julii 1874. respondit: *Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam; etenim praescindendo an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constit. Apostolicae Sedis art. XI., nulli dubium esse potest, quin*

comprehendatur a clarissima dispositione cap. XI. de Reform. Sess. XXII. Concilii Tridentini;—2.° eum, qui redditus ecclesiasticorum beneficiorum ab alio sublatos et apud se existentes non restituit ex negligentia solvendi, non ligari hac censura, quia non dicitur usurpare, cum illos non retineat tanquam sibi debitos, seu ad se pertinentes, licet sciat ab alio antea usurpatos fuisse, ita *Alterius*. Secus si illos tanquam proprios retineat, nempe volens sibi adjudicare, tunc enim dicitur usurpator, et parum refert esse primum, vel secundum usurpatorem;—3.° hac excommunicatione ligari illum, qui bona a suis praedecessoribus Ecclesiae tradita ad divina officia persolvenda sibi vindicat, tanquam ad se pertinentia, dicitans divina officia male administrari; aut qui in bello multas fecit expensas, quarum debitam a Principe compensationem non accipit, et ob id bona Ecclesiasticorum titulo compensationis accipit tanquam sibi debita, hic enim dicitur bona ad ecclesiasticas personas pertinentia usurpare, nisi forte ob bonam fidem, et ignorantiam excusetur, ita *Toletus, Reginaldus;*—4.° eum, qui clerico tantum ex fructibus beneficiorum subtrahit, quantum respondet suo credito, non affici hac censura, modo summam sui crediti non excedat. Ratio est, quia id facit justa de causa, nempe titulo compensationis, quae licite fieri potest servatis regulis, et conditionibus a theologis traditis, ita *Navarrus, Alterius, Filliucius*.

Insuper prohibetur hoc articulo *sequestrare*. Sequestrare, ait *Bonac.* disp. 1. q. XVIII., idem est, ac bona jurisdictionaliter deponere, seu impedire, ne ab ecclesiasticis personis, ad quas ratione Ecclesiarum vel beneficiorum pertinent, percipiantur. Ex quo patet, judices, quorum auctoritate sequestratio fit, incidere in hanc censuram; ipsi enim dicuntur sequestrare, cum hoc verbum jurisdictionem, et auctoritatem importet. Hoc tamen intelligendum quoties injuste id fit, id est sine ullo jure, vel sine Summi Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia. Hinc si quis a persona ecclesiastica quod suum est, obtinere non potest, et compellit judicem, ut sequestret ejus beneficii redditus, ipse non servat juris ordinem in repetendo rem suam, ideoque peccat non servando sacros canones (excipe si adsit aliquod Concordatum, quo

permittitur), at non incurrit censuram aeque ac judex, quia hac censura Summus Pontifex cavere intendit damna, et injurias Ecclesiasticorum, nullum autem damnum et injuria clerico in casu affertur.

Utrum idem sentiendum sit de ministris exequentibus sequestrum, litigant interpretes. Nonnulli, ut *Bonac.*, *Filliucius*, aliique, censent eos incurrere, tum quia sunt veri sequestrantes, tum quia exequens unum censetur cum judice mandante, et illius auctoritate operatur, et unum est utriusque delictum. Alii dicunt non incurrere, tum quia quoties Summus Pontifex cooperatores voluit comprehendere, eos expressit, prout in nonnullis ejusdem Constitutionis articulis invenitur, tum quia ipsi vi officii, et coacte agunt. Quoad sequestri actorem attinet, pariter quaestio fit, an censuram incurrat. *Bonacina* negativam sententiam tenet, tum quia excommunicatio lata contra facientes aliquid non afficit procurantes, nisi exprimantur, tum quia sequestratio jurisdictionem et auctoritatem importat, et actor auctoritative non agit, tum quia in antiquioribus Bullis *Clementis VII.* et *Pauli III.* erant expressi procurantes; si igitur in nostra Constitutione non sunt expressi, eam non incurrunt. Alii actorem eam incurrere censent, quia usu juris dicitur actorem sequestrare. Quaestio igitur est tam pro sequestri executoribus, quam pro actoribus; sumus in poenis et stricta facienda est interpretatio, ideoque usque dum certo non constat eos incurrere, pro eorum favore judicandum est.

Praeterea dicitur in textu: *jurisdictionem bona redditus*, nempe his verbis significatur materia hujus censurae. Nomine igitur jurisdictionis intelligitur quaevis potestas sive spiritualis, sive temporalis administrandi, gubernandi, jusdicendi. Jurisdictio autem potest esse aut spiritualis, aut temporalis, at de quanam jurisdictione heic loquitur? Si ad verbum *jurisdictionem* attendimus, de utraque jurisdictione loqui dicendum esset, quia quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Sed si contextum conspicimus, ad solam jurisdictionem temporalem coarctari debet. Revera in articulo VI. hujus Constitutionis satis superque Summus Pontifex jurisdictioni spirituali consuluit; ergo nisi velimus affirmare Rom. Pontificem bis, et frustra idem di-

xisse, asserendum videtur in hoc articulo agi de jurisdictione temporali. Insuper in hoc articulo agitur de bonis, et redditibus, qui sunt res temporales, consequenter etiam de jurisdictione temporali loqui dicendum est. — Per *bona* vero intelliguntur omnia bona, sive immobilia sive mobilia, et etiam jura ad eadem bona, quia nulla bonorum exclusio in articulo fit. — *Redditus* autem sunt annui fructus, sic dicti a verbo redeo, eo quod singulis annis redeunt, ita *Ugol., Duardus;* hinc in subjecta materia per *redditus* intelligitur quidquid res fert, aut percipitur intuitu rei, non vero alia de causa, ac proinde qui usurpat foenum, triticum, uvas, pensiones domorum, vel praediorum, census, ligatur censura hujus articuli, quia haec omnia nomine reddituum continentur. *Alterius., Ugol., Duard.*

Hoc posito ut censura hujus articuli incurratur, praedicta debent 1.° pertinere *ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum;* 2.° debent injuste usurpari, aut sequestrari. Unde patet subtrahentem jurisdictionem, bona, reditus Ecclesiasticis non subjacere huic excommunicationi, si haec ad eos ratione Ecclesiae, vel beneficii non pertinent. Personae vero ecclesiasticae sunt illae, quae sub laicorum genere non comprehenduntur, et gaudent privilegio fori, et canonis. Hinc venit *primo* Summus Pontifex, praeterea veniunt Cardinales, Episcopi, Patriarchae; *secundo* sacerdotes, aliique sacris initiati; *tertio* constituti in minoribus, modo servent ea, quae in Conc. Trid. sess. XXIII. c. 6. praescribuntur: quin imo hoc nomine, juxta communem loquendi modum, veniunt etiam tonsura initiati. At non sufficit, ut sint personae ecclesiasticae illae, quae in praedictis laeduntur ad incurrendam censuram; sed ad eas debent pertinere *ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum,* nempe debent praedicta ad ecclesiasticos pertinere, quatenus alicui Ecclesiae sunt adscripti, et inserviunt: uti sunt Ecclesiae Collegiatae, aut Cathedrales, in quibus nulla facta est divisio praebendarum, vel receptivae, in quibus quidquid percipit clericus, ratione Ecclesiae percipit. Hinc si bona sunt relicta Ecclesiae ad sacrum cultum exercendum, vel ad eam reficiendam, aut ornandam aut servandam, aut ad puellas honeste in matrimonio collocandas, haec bona usurpantes aut sequestrantes hanc cen-

suram non incurrunt, quia ad personas ecclesiasticas vere et proprie non pertinent, licet sint bona Ecclesiae. Additur *aut beneficiorum,* et quoniam nulla distinctio fit, intelligendum sive beneficium saeculare sit, sive regulare, sive juris patronatus laicalis; haec enim sunt beneficia stricto sensu accepta, consequenter qui usurpat, aut sequestrat bona aut redditus ecclesiasticis debitos ratione praedictorum beneficiorum hanc censuram incurrit.

Ex quo colligitur:— 1.° usurpantem aut sequestrantem jurisdictionem temporalem alicujus Episcopi, quae illi non competit ratione Episcopalis dignitatis, sed ratione patrimonii, nempe ob paternam in feudo successionem, vel ob alium titulum ipsi ratione personae competentem, censuram non incurrere. Nam Summus Pontifex consulere intendit personis ecclesiasticis in bonis ecclesiasticis, quae ipsis ratione beneficiorum ecclesiasticorum, vel Ecclesiarum competunt; non vero in bonis, vel fructibus profanis, alio titulo, quam Ecclesiarum aut beneficiorum debitis. *Cajet., Navar.;* — 2.° usurpantem jurisdictionem alicui delegatam, non affici hac censura. Ratio est, quia hujusmodi jurisdictio non competit illi, cui delegata fuit ratione beneficii vel Ecclesiae, sed ex commissione, alioquin non diceretur delegata, sed ordinaria; — 3.° usurpantem ea, quae sacerdos acquisivit pro celebratione missarum extra redditus beneficii, aut occasione audiendarum confessionum, vel funerum, aut pro concionibus aliisque hujusmodi functionibus, non ligari hac censura; quia haec bona non competunt illi sacerdoti ratione beneficii vel Ecclesiae, sed ratione propriae industriae et laboris;— 4.° usurpantem redditus, quos sacerdos percipere solet ex bonis patrimonialibus, ad quorum titulum promotus est ad sacros ordines non obstringi hac excommunicatione, quia isti redditus non competunt illi ratione Ecclesiarum vel beneficiorum; hujusmodi enim bona non sunt beneficia ecclesiastica. Idem a fortiori dicendum est de usurpante redditus aliorum bonorum patrimonialium, aut aliorum, quae beneficiarius emit nomine proprio, etiamsi ista emerit ex redditibus beneficii, vel Ecclesiae; iste enim non dicitur usurpare redditus ecclesiasticae personae debitos ratione Ecclesiae, vel beneficii, ita *Ugol., Cajet.;*— 5.° u-

surpantem redditus pertinentes ad sacerdotem ratione capellaniae, cujus titulum ipse non habet, censuram non incurrere quia capellaniae laicales non sunt beneficium, cum ad nutum capellanus amoveri possit, ideoque redditus non competunt sacerdoti ratione beneficii. Secus si hujusmodi capellaniae auctoritate Episcopi institutae sint, et propriam dotem habeant, et capellanus sit inamovibilis; tunc enim sub nomine beneficiorum includuntur, ita *Gloss., Clem., Dec.;* — 6.° usurpantem, vel sequestrantem redditus beneficii ecclesiastici, quod alter beneficiarius conduxit, non affici excommunicatione, quia non dicitur usurpare redditus pertinentes ad personam ecclesiasticam ratione beneficii, sed ratione contractus conductionis; hic enim qui conduxit, non percepit hos redditus tanquam beneficiarius, sed tanquam conductor, ita *Duardus;*—7.° usurpantem, vel sequestrantem distributiones, quas percipiunt beneficiarii, hac censura non ligari. Ratio est, tum quia in hoc articulo sub excommunicatione vetitum est usurpare, vel sequestrare bona ad ecclesiasticas personas pertinentia ratione beneficii vel Ecclesiae; distributiones autem non pertinent ad ecclesiasticos ratione beneficii, sed ratione interventus choro occasione beneficii, et potius dici possunt merces, et stipendium beneficiarii, quam fructus beneficii; tum quia in hoc articulo sermo solum est de bonis, et redditibus; distributiones autem proprie acceptae regulariter loquendo sub nomine bonorum et reddituum non comprehenduntur; tum quia versamur in materia poenali censurarum, et stricta facienda est interpretatio; — 8.° usurpantem, vel sequestrantem redditus beneficii vacantis, juxta aliquos hanc censuram non incurrere, quia mortuo beneficiario redditus non pertinent ad personas ecclesiasticas, et cum nullum sit damnum et injuria personae ecclesiasticae, censuram hanc non incurrit. At alii probabilius affirmant; tum quia Summus Pontifex consulere intendit libertati ecclesiasticae, et bonis ecclesiasticis, quod quidem valde frustraretur, et eluderetur, si redditus, beneficio vacante, impune distrahi, et usurpari possint, cum tunc temporis maximum periculum impendeat bonis ecclesiasticis ob defectum Pastoris, et possessoris; tum quia, beneficio vacante, adhuc verum est dicere redditus

illius pertinere ad ecclesiasticos, quia redditus beneficii vacantis sunt successoris; — 9.° clericos, qui caedunt arbores suorum beneficiorum, hanc censuram non incurrere quia sunt fures, non usurpatores; — 10.° usurpantem aut sequestrantem bona, redditus Montium Pietatis, Nosocomiorum, Confraternitatum laicalium auctoritate Episcopi erectarum, in hanc censuram non incidere, quia haec non pertinent ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum, sed incidit in censuram Tridentini; — 11.° usurpantem, aut sequestrantem bona aut redditus monasteriorum, hanc censuram non incurrere, quia si in Bulla *Coenae* erant recensita monasteria, nempe dicebatur *ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum beneficiorum*, in nostra Constitutione verbum *monasteriorum* praeteritur. Jam vero cogitari non potest Romanum Pontificem casu et inconsiderate egisse, qui mature re perpensa semper agit; hinc si hoc verbum reticuit, censendum est noluisse horum bonorum usurpatores in praedictam censuram comprehendere; — 12.° haeredem vel alium, qui bona immobilia vel mobilia, vel annuos redditus Ecclesiae relictos non consignat, censuram non incurrere. Ratio est, quia cum ante consignationem non possideantur ab Ecclesia, non dicitur usurpare bona vel redditus pertinentes ad ecclesiasticas personas ratione Ecclesiae, vel beneficiorum, ita *Filliucius.*

XII.

Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios Civitates, Terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.

Haec censura lata est specialiter in defensionem et favorem dominii temporalis Sanctae Sedis, illiusque supremae jurisdictionis; hinc censura plectuntur ii, qui invadunt, destruunt, detinent per se vel per alios civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; ii, qui usurpant, perturbant,

retinent supremam ejus jurisdictionem; et ii, qui ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebent; tres igitur partes hic articulus praesefert.

Ad primam partem quod attinet. Prohibetur 1.° *invadere per se, vel per alios.* Invadere idem est ac contra aliquem ire, idest, vim seu impetum inferre, vel in aliquem irruere: unde hoc verbum *invadere* importat vim, seu actionem violentam in alterum, ita *Ugol.*, *Duardus*, aliique. Hinc si quis pacifice, et sine armis, id est consensu Gubernatoris alicujus civitatis eam invadit, excommunicatione hujus articuli afficitur tanquam *usurpator*, non prout *invasor*, quia defuit vis, et violenta actio. Verba vero *per se vel per alios* significant actionem, quam quis facit per se ipsum, vel per interpositam personam, idest mandato; unde ligatur excommunicatione ille, qui invadit per se immediate, aut per milites et exercitum. Haec autem verba *per se, vel per alios* referuntur etiam omnibus aliis actionibus in hoc articulo principaliter prohibitis, uti patet legenti textum. Prohibetur 2.° *destruere.* Destruere idem est ac corrumpere, seu extructum diruere, seu demoliri, et devastare. Non autem requiritur, ut tota destruatur civitas aut terra, sed satis est etiam partem destruere, quia in textu nulla fit distinctio. Prohibetur 3.° *detinere.* Hoc autem significat rem injuste occupatam non restituere, vel ut alii DD. communiter ajunt, nihil aliud est, quam rem acquisitam sponte tenere, etiamsi ipse detinens non invaserit. Ex quo sequitur haeredem illius, qui injuste invasit, vinculo hujus articuli obstringi, si civitatem, aut terram a parente inique occupatam detineat. Item dicendum de legatario, vel donatario, vel emptore, cui legato, vel donatione, aut venditione terra antea inique occupata relinquitur, donatur, venditur, et eam legatarius, vel donatarius, vel emptor detinet, quia isti omnes injuste detinent, cum nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat, ita *Ugol.*, *Filliuc.*

Jura autem ad Ecclesiam Romanam pertinentia, ex quorum invasione aut detentione censura incurritur, sunt intelligenda in hoc articulo principaliora, quae scilicet a Suprema jurisdictione, soli Principi competente, dimanare possunt, uti jus gubernandi, jus vitae et necis, jus imponendi tributa, creandi

magistratus et similia. — Ex quo patet censuram non incurrere illos, qui invadunt, destruunt, detinent bona privatorum in terris Ecclesiae Romanae existentia, quia in Constitutione excommunicantur invadentes, destruentes, detinentes loca vel jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, bona autem privatorum, proprie loquendo non dicuntur ad Romanam Ecclesiam pertinere, sed ad particulares et privatas personas, ita *Alterius*. Nec in eam incidit, qui invadit, destruit, vel detinet loca, vel jura pertinentia ad Summum Pontificem, non quatenus Pontifex et Rex temporalis est, sed ut privatus. Ratio eadem est, quia non dicuntur invadere, destruere, detinere loca vel jura Ecclesiae Romanae et Summi Pontificis, alioquin hujusmodi bona non transferrentur in haeredes Summi Pontificis, sed ad Pontificis successores in dignitate devolverentur. E contra excom. incurrit, qui invadit, destruit, detinet urbes, ad quas summus Pontifex Gubernatores vel Judices mittit.

Ad alteram articuli partem quod attinet. Prohibetur sub censura *usurpare*, *perturbare*, *retinere supremam jurisdictionem*. Ille autem *usurpare* dicitur, qui aliquid tanquam sibi debitum, et ad se pertinens accipit. *Perturbare* significat impedire, seu quovis modo obstare verbis, vel factis, ut suprema jurisdictio exerceatur, nempe ut leges ferantur, promulgentur, executioni mandentur, vel rebelliones promovere. *Retinere* est rem occupatam non restituere, nempe supremam jurisdictionem usurpatam exercere, quin restituatur legitimo Principi, ita *Sayrus*, *Duardus*, et alii, qui rite observant ad incurrendam pro hac secunda articuli parte censuram non opus esse, ut suprema jurisdictio vi, et armis usurpetur, perturbetur; sed satis esse, ut id fraude et dolo fiat absque vi; in hoc enim differt usurpatio et perturbatio ab invasione. Nullimode autem dubitandum est in hoc loco agi de jurisdictione temporali, tum quia Summus Pontifex spirituali jurisdictioni art. VI. sufficienter consuluit, tum quia id aperte colligitur ex praecedentibus verbis istius articuli, in quibus Summus Pontifex de bonis et juribus temporalibus locutus est.

At quid venit nomine *supremae jurisdictionis*? Intelligitur, ait *Bonac.* disp. XXI. n.° 18, ea quae competit Summo Pontifici,

ut Princeps est, circa res magni praejudicii, uti sunt causae status, causae sanguinis, confiscationis bonorum et similia; haec enim in statu ecclesiastico ad supremam Romanae Ecclesiae auctoritatem pertinent, et in his de re magni momenti agitur.

Hinc sequitur: — 1.° eum, qui executionem sententiae causa punitionis corporalis, aut confiscationis bonorum latae a Summo Pontifice, vel ab ejus delegato impedit, seu perturbat, affici excommunicatione hujus articuli, quia supremam jurisdictionem Romanae Ecclesiae impedit, seu perturbat; — 2.° illum, qui in aliquam Romanae Ecclesiae civitatem, vel locum intrat, asserentem se Commissarium, seu Legatum esse Summi Pontificis, excommunicationis poena obstringi, quia constitutio hujusmodi Commissariorum ad Supremam Romanae Ecclesiae jurisdictionem pertinet, et consequenter gerentes se tanquam Commissarios supremam jurisdictionem usurpant; — 3.° vendentem civitates, vel oppida Ecclesiae Romanae affici excommunicatione hujus articuli, quia venditio civitatum et oppidorum res magni praejudicii est, et ad supremam pertinet jurisdictionem, ita *Ugol.*, *Duardus;* — 4.° eum, qui impedit exigere tributa, vel seditionibus regimen et ordinem mutare conatur, hanc censuram incurrere, quia supremam jurisdictionem perturbat. Secus si ob famem cives movet.

Et heic duo sunt notanda: — 1.° quamlibet harum actionum sufficere ad excommunicationem hujus articuli incurrendam. Ratio est, quia subjecta materia exigit, ut praedictae actiones disjunctive accipiantur, alioquin sufficienter consultum non esset bonis Ecclesiae Romanae, quia raro et fere nunquam istae actiones simul fiunt. Quin imo nonnullae praedictarum actionum simul poni non possunt; revera destruere et detinere incompossibilia sunt; quod enim destructum est, detineri non potest. Hinc qui invadit civitatem, etiamsi illam detinere non possit, censuram incurrit; sic qui eam detinet, licet non invaserit, pariter excommunicatione afficitur; — 2.° relate ad detentores vi hujus articuli solos viros Principes hanc excommunicationem incurrere; non item Senatores et Deputatos, quippe, qui non quasi singuli, sed quasi Ordines retinent, ita *Comm. Rom.* pag. 397, quem refert Jos. D'Annibali, aliique.

Superest nunc, ut postremam hujus articuli partem explicemus, in qua actiones minus principales et accessoriae vetantur, idest auxiliari, consulere, favere singulis praedictis. *Auxilium praestare* importat actum, quo quis opem fert ad patrandum delictum. *Consulere* est actus, quo quis suadet, verbis impellit, vel modum patrandi delictum docet, aut securitatem aperit, aut utilitatem secuturam ostendit. *Favere* idem est, ac commodum seu utilitatem praestare, seu aliquid facere conferens seu juvans ad finem ab alio intentum. Hinc sequitur eum, qui equos, arma, milites, opes, pecunias, aut res alias praebet, aut consulit, suadet, hortatur, aut transitum per sua loca concedit ad faciendam aliquam actionem principaliter prohibitam, nempe ad invadendum, destruendum, perturbandum, usurpandum, detinendum, quod Apostolicae Sedi vi dominii temporalis competit, affici excommunicatione hujus articuli, quia auxilium, consilium et favorem ad praedicta praebet.

Ut autem censuram incurrant auxilium, consilium, favorem praebentes, requiritur formalis cooperatio, ac proinde proxima opera, quae non consistit solum in intentione, sed in actione, et quidem non ex ignorantia, aut gravi metu, sed ex deliberata voluntate procedente; quod constat ex S. Poenitentiariae responso 10 Dec. 1860. " *Censuras ecclesiasticas juxta Litteras Apostolicas die 26 Martii 1860. incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in foro conscientiae, utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscujusque conscientia* „. Hinc qui aedes locant, victualia praebent, censuram non incurrunt, quia cooperatio est remota.

At quid dicendum de iis, qui officia retinent in Romana ditione, possuntne dici favorem praebere ad supremam jurisdictionem retinendam? Si officia illius sunt naturae, ut tantummodo ad publicam tranquillitatem tuendam, et ad ordinem inter cives servandum attendant, possunt retineri, quin censura incurratur, quia bonum commune id expostulat, secus societas in interitum duceretur, modo juramentum non praestetur, quo usurpatori obedientia illimitata polliceatur, et modo nihil agatur contra leges divinas et ecclesiasticas. Si vero officia mere po-

litica sunt, quae ad servandum regimen intendunt, utrum possint suscipi absque peccato et censura, id quaesitum fuit Sacrae Poenitentiariae,quae respondit: *Posse haec officia tolerari, dummodo non agatur de officiis, quae directe et proxime influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem, et exerceri possint absque periculo laesionis legum divinarum et ecclesiasticarum. In praxi vero quilibet ex dictis Officialibus aut personis Ditionis Pontificiae, qui paratus sit stare mandatis S. Sedis, caute moneatur, ut consulat Episcopum seu Loci Ordinarium, qui in singulis casibus decernet juxta mentem SS. Domini.* Hoc vero intelligendum est, dummodo non praestetur juramentum illimitatae obedientiae Italiae Regi, sed tantum obedientiae mere passivae in iis omnibus, quae legibus divinis et ecclesiasticis non adversantur, juxta formam a s. m. Pii VII. approbatam, uti declaravit eadem S. Poenitentiaria. Jam vero in spolii manutentionem ex officio illi influunt, qui repraesentant primum Magistratum in unaquaque civitate, terra et loco, quod ab E.mo *Pacca* a secretis Status Pii VII. an. 1807. declaratum fuit.

At quid dicendum de ducibus et de militibus, qui Statum Pontificium, et almam urbem invaserunt? Quoad illos duces et milites, qui voluntarie sese obtulerunt ad dictum opus, vel etsi conscriptionis vi compulsi libenti animo invaserunt, procul dubio censuram incurrerunt. Quod si conscriptione coacti prorsus involuntarie invasionem illam peregerunt, nec duces, nec milites eam incurrerunt, quia sese ad illum actum denegantes gravia mala pertimescebant, et leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo.

Quaeres I. Utrum ad incurrendam excom. per se sufficiat quaelibet actio accessoria, aut necesse sit, ut aliqua actio principalis sequatur? Respondetur actionem accessoriam per se non sufficere, nisi aliqua actio principalis sequatur. Ratio est, quia cum actiones accessoriae intuitu principalium prohibeantur, excommunicatio non incurritur, nisi secuta sit aliqua principalis actio.

Quaeres II. Utrum praestans plures ex praefatis actionibus tot excommunicationes incurrat, quot sunt actiones, quas praestat, uti si invadat, destruat, detineat, perturbet etc.? Respon-

detur tot excommunicationes incurrere, quot sunt actiones moraliter interruptae, quia plura sunt numero peccata in hac Constitutione prohibita, et per consequens plures censurae incurruntur. Si vero transgressiones non sunt moraliter distinctae, uti si quis civitatem invadit, et statim destruit, tunc sicut unum est numero peccatum, ita una excommunicatio contrahitur.

A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis, nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint.

De censura lata his verbis *contra praesumentes absolvere excommunicationes speciali Rom. Pontifici reservatas sine debita facultate,* quoniam est simpliciter Rom. Pontifici reservata, cum de istis pertractatur, sermo instituitur. Heic tamen animadverre oportet quod si hujusmodi censurae sp. modo Rom. Pontifici reservatae in articulo vel periculo mortis a simplici confessario absolvuntur, si infirmus convalescit debet se praesentare legitimo Superiori, et si se non sistit coram eo, in eamdem censuram incidit. Id vero non est dicendum, si quis absolutus fuerit a censuris simpliciter reservatis, uti declaravit S. Univ. Inquisitio. Enimvero quaesitum fuit — I. An obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint poenitentes absoluti a censuris Summo Pontifici reservatis, idem sonet ac obligatio se sistendi coram Summo Pontifice? — II. Et quatenus negative, in quo consistat obligatio standi mandatis Ecclesiae? — III. An obligatio standi

mandatis Ecclesiae sit sub poena reincidentiae? — IV. An ista obligatio standi mandatis Ecclesiae etiam pro censuris Summo Pontifici simpliciter reservatis urgeat? — V. An Decretum S. Officii (23-30 Junii 1886.) obliget ita, ut praxis ante hoc decretum servata non sit deinceps toleranda? — VI. An absolutio in casibus urgentioribus, virtute decreti praelaudati data, directa sit vel indirecta? — In Feria IV die 30 Martii 1892. respondit: — Ad I.um *Obligationem standi mandatis Ecclesiae importare onus sive per se, sive per confessarium ad S. Pontificem recurrendi ejusque mandatis obediendi, vel novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pontifici speciali modo reservatis.* — Ad II.um *Provisum in praecedenti.* — Ad III.um *Affirmative.* — Ad IV.um *Negative.* — Ad V.um *Decretum diei 23 Junii 1886. omnino obligare, praximque contrariam tolerandam non esse.* — Ad VI.um *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Sabbato vero insequenti, die 2 Aprilis; facta de his SS. Domino Leoni Papae XIII. relatione, Sanctitas Sua resolutiones Emorum et Revmorum Patrum adprobavit et confirmavit.

APPENDIX

—

EXCOMMUNICATIONES SPECIALI MODO ROM. PONTIFICI RESERVATAE LATAE POST CONST. AP. SEDIS.

XIII.

Ex Constit. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873. excommunicatione latae sententiae speciali modo R. Pontifici reservata plectuntur — I.° *Canonici et Dignitates Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiae vacantis curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quaesito colore in nominatum et praesentatum a laica potestate (idest a supremis moderatoribus rei publicae quovis no-*

mine nuncupentur) ex S. Sedis concessione seu privilegio, vel, ubi consuetudo viget, a Capitularibus ipsis electum ad eandem vacantem Ecclesiam. — 2.° Nominati et praesentati, vel ut supra electi ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent (sive per se, sive per alium) sub nomine Provisoris, Vicarii generalis, aliove nomine, ex concessione et translatione in eis peracta a Dignitatibus et Canonicis aliisque, qui, deficientibus Capitulis, Vicarios deputant aut vacantes Ecclesias legitime administrant. — 3.° Ii omnes qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem praestiterint, cujuscumque status, conditionis, praeeminentiae et dignitatis fuerint.

Praefati Canonici et Dignitates mulctantur poena privationis fructuum ecclesiasticorum beneficiorum, quorumcumque aliorumque reddituum ecclesiasticorum per eos respective obtentorum, eo ipso incurrenda, et a Rom. Pontifice tantum relaxanda; sic nominati vero et praesentati etiam jure, quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerat, ipso facto privati existunt.

XIV.

Sacrae Poenitentiariae quaesitum fuit: — 1.° An omnes et singuli societati, vulgo *Società cattolica per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano, ed in ispecie al popolo romano*, nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, vel adhaerentes, excommunicationis majoris poenam ipso facto incurrant? — 2.° Et quatenus *affirmative*, an hujusmodi excommunicatio sit Rom. Pontifici reservata? S. Poenitentiaria, attentis omnibus expositis, et inspecta natura ac fine hujusmodi societatis, facta praemissorum relatione SS. D. N. Pio PP. IX., et eodem approbante, ad proposita dubia respondet, ut sequitur: — Ad I.^{um} *Affirmative.* — Ad II.^{um} *Ipso facto incurrere excommunicationem speciali modo Rom. Pontifici reservatam.*

CAPUT II.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

I.

Docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis poena latae sententiae: *item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Const.* Suprema. *7 Julii 1745:* Ubi primum. *2 Julii 1746:* Ad eradicandum. *28 Septembris 1746.*

Textus iste affleit 1.° docentes. vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicatione latae sententiae; 2.° docentes, vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a poenitente nomen complicis. prouti damnata est a Bened. XIV. Uti videtur duas continet partes.

Ad primam partem quod attinet. tria sunt enucleanda: 1.° quaenam sit materia. 2.° quinam sint subjectum, 3.° quid requiratur ut propositio ab Apostolica Sede damnata in hoc articulo comprehendatur.

Materia hujus primae partis sunt propositiones ab Apostolica Sede damnatae sub censura latae sententiae. Nomine autem Apostolicae Sedis venit Romanus Pontifex. ideoque propositiones debent esse damnatae a Rom. Pontifice, et quidem directe; sumus enim in poenis. Hinc si damnatus est totus liber. qui propositiones erroneas continet. et quis aliquam harum propositionum docet. aut defendit. hanc censuram non incurrit, quia propositio non est directe damnata. Item si propositio damnata sit a Concilio Oecumenico. qui eam docet. aut defendit, censuram non incurrit. quia nomine Apostolicae Sedis non venit Concilium Oecumenicum. Neque eam incurrit, qui docet, aut defen-

dit propositionem ab aliqua ex SS. Congregationibus damnatam sub censura latae sententiae, quia nomine Apostolicae Sedis non veniunt Romanae Congregationes: excipe si decretum damnationis ab aliqua Rom. Congregatione fuerit editum de mandato et auctoritate Pontificis ad universam Ecclesiam; hoc enim in casu Rom. Pontifex per organum Congregationis locutus est, ideoque ab Ipso damnata dicenda est propositio. Denique eam non incurrit, qui docet aut defendit propositiones in corpore Juris damnatas sub excommunicatione latae sententiae, quia nomine *corporis Juris* non venit Apostolica Sedes.

Subjectum censurae sunt omnes docentes, vel defendentes praedictas propositiones. *Docentes* illi dicuntur, qui aliquid alteri tradunt, ut discat, quod ignorat. Hoc autem fieri potest, aut publice, nempe in schola, in conventu, in libro, aut privatim idest inter amicos, familiares; aut verbis, aut scriptis. At quovis modo doceatur semper censura incurritur, uti eruitur ex textu, et suadet ratio, nam scripta idem operantur ac verba. Ad hoc autem opus non est, ut quis propositioni damnatae assentiat, sed satis est, ut exterius eam doceat. Hinc si quis mente tantum propositioni damnatae assentit, quin eam doceat, aut defendat, censuram non incurrit. E contra eam incurrit, si mente doctrinam catholicam, et veram tenet, et exterius lucri causa propositionem damnatam docet aut defendit, quia ponit opus a lege sub censura prohibitum; Summus enim Pontifex in bonum Religionis et fidelium factum externum heic sub censura prohibet, ac proinde qui factum ponit, nempe docet aut defendit hujusmodi propositiones, censuram incurrit. Quod si propositio fuit damnata sub censura ut haeretica, vel si fuit sub censura proscripta simul ut haeretica, erronea etc., qui cum adhaesione intellectus et pertinacia voluntatis eam docet vel defendit, habendus est ut haereticus, et excom. specialiter reservatam incurrit. Denique si quis asserit, aut pronunciat coram aliis propositionem damnatam sub censura animi levitate, aut per jocum, aut per exercitationem scholasticam, censuram hujus articuli non incurrit, quia eam non docet, nec defendit. — *Defendentes* illi dicuntur, qui scriptis, aut verbis demonstrare adnituntur tales propositiones minime esse dam-

nandas, idest earum patrocinium suscipiunt, et veluti veras tuentur. Ad incurrendam praedictam censuram haud oportet, ut utrumque fiat, sed unum sufficit, nam particula *vel* disjunctionem denotat, hinc satis est tantum docere, aut tantum defendere. Denique dicitur in textu *sub excommunicationis poena latae sententiae.* Hinc si propositio est damnata absque censura, utpote sunt propositiones a Pio IX. damnatae in Syllabo, qui eas docet, aut defendit, peccat, at in nullam incidit censuram. Nec eam incurrit, si censura lata est ferendae sententiae. Nihil autem refert, quod censura non sit reservata, lex enim generaliter lata, generaliter est intelligenda; hinc dummodo propositio sit damnata sub excommunicatione latae sententiae, sive sit reservata excommunicatio, sive non, semper qui eam docet, aut defendit, censuram hujus articuli incurrit. Propositiones damnatae ab Apostolica Sede sub excommunicatione latae sententiae multiplices sunt, videlicet 41. contra *Lutherum*, 79. contra *Bajum*, una quae est circa confessionem et absolutionem per litteras vel internuntium, 45. damnatae ab Alexandro VII., 65. damnatae ab Innocentio XI., 68. damnatae contra *Molinos*, una quae est de peccato philosophico, 31. damnatae ab Alexandro VIII., denique 5. damnatae a Bened. XIV. contra duellum.

Ad alteram articuli partem quod attinet, ut clarior evadat explicatio, praemittere juvat sancitum a Bened. XIV. in praedictis Constitutionibus, quarum tenore hic articulus fuit confectus. Benedictus enim XIV. sciens in *Lusitania* nonnullos confessarios, falso animarum zelo succensos, exquirere a poenitentibus nomen complicis, non modo suadendo, sed etiam adigendo, idest absolutionem renuentibus denegando, ad hujusmodi praxim destruendam edidit Constitutionem *Suprema,* in qua hanc praxim damnavit, proscripsit, reprobavit (1).

(1) En verba: *Pervenit enim haud ita pridem ad aures nostras, nonnullos istarum partium confessarios.... perversam quamdam et perniciosam praxim in audiendis Christifidelium confessionibus.... invehere, atque introducere coepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii hujusmodi, seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non*

At non obstante tali *Constitutione*, cum damnata praxis jampridem, tanquam Christifidelibus salutaris, in nonnullorum confessariorum mentem irrepsisset, isti contra ipsam Apostolicam Constitutionem loqui ausi fuere. Qua de re Bened. XIV. aliam edidit Constitutionem *Ubi primum,* in qua primam confirmavit, praedictam praxim iterum reprobavit, et de novo poenas contra transgressores tulit, nempe contra omnes praesumptuose docentes vel defendentes hanc praxim, tanquam licitam, excommunicationem inflixit Papae reservatam, et suspensionem ab audiendis confessionibus ferendae sententiae contra illos confessarios, qui denegant absolutionem poenitenti nolenti complicem manifestare, sancivit (1).

---

inducere modo suadendo conarentur: sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent, atque compellerent: immo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari.... Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico nostro ministerio deesse videamur.... notum vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes nostras in forma Brevis literas reprobari, atque damnari tanquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum, quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli Sacramentalis violationem, atque ab ejusmodi Poenitentiae sacramenti, tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem. Ex his verbis colligitur nomine complicitatis heic non venire peccatum contra sextum Decalogi praeceptum, sed peccatum in quavis materia, quia verba generaliter prolata, generali modo sunt intelligenda.

(1) En verba Bullae: *Statuentes insuper ac decernentes, ut quicumque..... ausus in posterum fuerit docere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur, ac reprobatur: vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem, vel ea, quae in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio quocumque, etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis, vel pro tempore existente R. Pontifice, absolvi. Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a Nobis in praeinsertis Literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione, pravaque interpretatione salva*

Hisce tamen Constitutionibus editis quoniam nonnulli eas non ultra Lusitaniam, ad quam missae erant, extendi dictitabant, idem Benedictus XIV. tertiam edidit Constitutionem *Ad eradicandum*, in qua declaravit: *Decernimus et declaramus, memoratam praxim in se ipsa et ubique locorum ac temporum Apostolica Auctoritate reprobatam atque damnatam esse, et censeri debere.*

Hoc posito patet, quod ut excommunicationem hujus articuli quis incurrat, necesse est ut doceat, aut defendat tanquam licitam praxim inquirendi nomen complicis juxta eum sensum, quem reprobavit Bened. XIV. in praedictis Constitutionibus, quia dicitur in textu *prouti damnata est a Benedicto XIV.* Jam vero praxis damnata a Bened. XIV. erat exquirendi a poenitentibus nomen complicis non modo suadendo, sed quoque adigendo, nempe absolutionem renuentibus denegando: ergo si in hac secunda articuli parte generaliter sub excommunicatione prohibetur docere, vel defendere praxim, prouti damnata est a Benedicto XIV., sequitur utrumque doceri, vel defendi debere, ut excommunicatio incurratur, nempe esse licitum inquirere nomen complicis, et denegare absolutionem, si quis complicem manifestare renuat; et hoc apparet ex contextu, quia Pius IX. ad Constitutiones Benedicti XIV. refertur, Benedictus autem XIV., ex utroque praxim constare in Constitutione *Suprema* declarat, quia utrumque in unico periodo conjungit per verba *non modo, sed quoque;* hinc non sufficit ad excom. incurrendam, ut unum tantum quis doceat, aut defendat. Hoc adeo verum appareret, ut si disjunctive haec duo possent accipi, frustra Pius IX. adhibuisset verba *prouti damnata est a Bened. XIV. in Constitutionibus Suprema, Ubi primum, Ad eradicandum;* at hoc co-

---

sint, et immunia: verum etiam ne quis in Sacramenti Poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia unquam recedat; idcirco omnibus et singulis Confessariis utriusque cleri.... prohibemus, ne.... poenitentes interrogare praesumant de nomine socii seu complicis.... eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos.

gitare de Apostolica Sede incongruum est, utpote quae omnia mature perpendit, et decernit.

Unde sequitur: — 1.° quod si in Constitutione *Ubi primum* excommunicatione mulctatur ille, *qui ausus fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim, vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem*, consequens est quod plena scientia requiritur ad censuram hanc incurrendam, et excusat ignorantia crassa seu supina; — 2.° quod si quis malitiose exquirit nomen complicis, aut denegat absolutionem poenitenti nolenti nomen complicis manifestare, nempe hanc praxim sequitur, non incidit in hanc censuram, quia non docet, nec defendit licitam hujusmodi praxim; — 3.° sufficere ad hanc censuram incurrendam vel docere, vel defendere, quia particula *vel* disjunctionem denotat, ideoque non utrumque requiritur, uti supra dictum est.

Denique notandum quod confessarii bene possunt, et tenentur ad integritatem confessionis servandam, exquirere circumstantias necessarias, nempe vel quae speciem mutant, vel exquirendae sunt, ut poenitentis conscientiae consulatur, puta si confessarius exquirat, an persona complex sit in primo vel secundo gradu, si ligata voto, si sit ancilla, si habitet in eadem domo, licet veniat in cognitionem complicis. *S. Alph.* VI. 491. Hinc si quis docet, aut defendit in praedictis casibus licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, denegando etiam absolutionem poenitenti uti indisposito, si rivelare renuat, hanc censuram non incurrit, quia haec praxis non est illa damnata a Benedicto XIV., haec enim requiritur ad integritatem confessionis, illa autem non requiritur, sed est perniciosa saluti fidelium, qui a Sacramento abalienantur, et proximo, cujus fama laeditur; unde merito fuit reprobata, dum haec admittitur a Doctoribus ad integritatem confessionis.

II.

Violentas manus. suadente diabolo. injicientes in Clericos. vel utriusque sexus Monachos. exceptis quoad reservationem casibus et personis. de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat.

Hoc articulo Pius IX. privilegium clericorum. quod in canone *si quis* Concilii Lateranensis comprehenditur. penitus confirmavit: ideoque prout in favorem clericorum non stricte. sed latissime ipse intelligendus est.

Materia istius excommunicationis est violenta. et injuriosa manuum injectio. Nomine violentae injectionis manuum intelligitur actio externa. injuriosa. violenta. consistens in facto seu opere. et afficiens personam ecclesiasticam. Hinc tres conditiones requirantur. ut hujusmodi actio sit materia excommunicationis. — Prima. ut sit actio violenta et injuriosa: hoc enim significant illa verba *violentas manus injicientes:* et dicitur *violentas manus*. nempe desumitur denominatio a manu. quia manus est instrumentum consuetum. per quod vis injuriosa inferri solet. — Secunda conditio est. ut actio violenta. et injuriosa attingat clericum. ut colligitur ex illis verbis *in clericum vel monachum*. Hinc qui clericum verbis contumeliosis afficit. vel eum paratur percutere. et non percutit. vel clam eum furatur. vel dormientem vestibus spoliat. censuram non incurrit. quia non sunt actiones violentae in clericum. E contra ea ligatur qui in faciem clerici conspuit. vel eum conspergit aqua. pulvere. conspurcat luto. evellit crinem. aut violenter eum detinet. ut illum vestibus aut pecuniis spoliet. aut illum claudit in aliquem locum. a quo exire nequit sine magno dedecore. quia sunt actiones violentae et injuriosae clerico. Similiter qui illum cogit per cibum. vel potum veneno infectum; nam hujusmodi actio ita est violenta. ut dissolvat compositum. et est magis violenta. et injuriosa quam sit injectio alapae. aut pulveris. aut salivae. At hanc censuram non incurrit. antequam venenum operari incipiat. nam antea non aderat actio violenta. cum ve-

nenum sine ulla vi exhibitum fuerit, uti supponitur, et haec est communior et probabilior sententia. Item eam incurrit, qui scoplum explodit in clericum, qui ob terrorem moritur, quamvis igneo globulo ne leviter quidem tactus, vel laesus fuerit. Haec enim censetur actio violenta, et injuriosa in clericum. Necesse tamen non est, ut actio violenta personam clerici immediate afficiat, sed sufficit mediate. Hinc si actio violenta et injuriosa fit circa rem adhaerentem clerico, etiam censura hujus articuli incurritur, v. g. violenter injiciendo manus in fraenum equi, cui clericus insidet, aut lacerando vestem clerici aut feriendo equum, aut frangendo fraenum equi, dum clericus eo utitur, aut ita insequendo clericum, ut cogatur se praecipitem dare in fluvium ad se eripiendum e manibus insequentis; secus si clericus a justitia civili quaesitus ob patratum crimen cadat inter fugiendum, eo quod hujusmodi casus per accidens sequitur, nec agentibus imputatur, nisi forte eum praeviderint. — Tertia conditio est, ut actio violenta et injuriosa sit mortaliter peccaminosa. Ratio est, tum quia in textu dicitur *suadente diabolo*, tum quia excommunicatio non incurritur, nisi ob mortalem culpam; neque sufficit, ut procedat ab actu mortali interno, sed requiritur, ut actus ipse externus sit capax mortalis culpae, nisi enim gravis culpae capax sit, non potest gravi poena puniri. Ideo qui clericum percutit ita leviter, ut actus exterior omnibus consideratis non censeatur sufficiens ad mortalem culpam, non afficitur excommunicatione, quamvis mortaliter peccaverit in intentione. Hinc qui percutit clericum ob subitam iram, ex motu primo-primo, vel secundo-primo, aut jocose vel casualiter, aut percutit clericum ad defensionem sui vel suorum, vel eum percutit causa correctionis et disciplinae, modo non ita excedat modum in percutiendo, ut excessus pertingat ad culpam mortalem, praedictus in omnibus recensitis casibus censuram non incurrit, quia actio non est mortaliter peccaminosa. Ex opposito, qui leviter percutit clericum, ita tamen, ut illa percussio censeatur valde illi injuriosa, excom. incurrit, quia haec actio censetur graviter violenta clerico, et est mortaliter peccaminosa.

Subjectum hujus censurae sunt omnes et singuli, qui cleri-

cum vel monachum percutiunt, aut aliam violentam et injuriosam actionem sive immediate, sive mediate contra eos agunt; sive sint viri, sive foeminae, sive laici, sive clerici, etiam in maxima dignitate constituti, excepto Papa, sive sint superiores, sive sint inferiores, modo superiores id non agant ex officio, seu causa correctionis. An autem incurrant censuram hujus articuli etiam impuberes, nonnulli affirmant juxta veterum canonum interpretationem; alii communius et merito negant. Ait enim *S. Alphonsus* VII. 14.: *Advertendum tamen, quod censurae generaliter latae a jure, vel ab homine non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit in lege.* Hinc si impuberes exprimuntur in violatione clausurae Monialium, et omittuntur in hoc articulo, dicendum quod non incurrunt, nam legislator quod voluit expressit, quod tacuit nolle censetur.

At videamus oportet quousque se extendant illa verba *in clericos, vel utriusque sexus monachos.* Nomine *clerici* intelligitur initiatus prima tonsura, aut aliquo ordine, etiamsi conjugatus sit, dummodo cum unica virgine, et gerat habitum clericalem et tonsuram, et non sit bigamus ex reali bigamia; bigamus enim privatur privilegio clericali. Hinc sequitur; — 1.° eum affici excommunicatione, qui percutit clericum degradatum verbaliter tantum; clericus enim verbaliter degradatus gaudet privilegio canonis; secus si percutiat degradatum realiter;—2.° qui percutit clericum irregularem, aut excommunicatum tolcratum, aut vitandum, aut affectum alia censura; adhuc enim dicitur percutere clericum, quia per irregularitatem, vel censuram non amisit nomen clerici, aut privilegium canonis; — 3.° qui percutit clericum, qui in sacris constitutus matrimonium contraxit, et consummavit, quia revera percutit clericum gaudentem privilegio canonis, dummodo habitum et tonsuram deferat; nam per bigamiam similitudinariam non amittitur privilegium canonis, ex cap. *Altercationis, S. Alph.* VII. 270. At ea non afficitur ille, qui percutit clericum, qui habitum deponens saecularibus negotiis se ingessit, nec post tertiam monitionem sui Praelati resipuit, cap. *Contingit;* nec mulier, quae, ad propriam servandam pudicitiam, clericum percutit, modo verbis non possit eum avertere, quia est ad sui defensionem. *S. Alphonsus*

VIII. 275; nec qui ipso facto percutit clericum turpiter agentem cum matre, sorore, filia, uxore, ex cap. *Si vero de sent. exc.;* nec qui percutit clericum, qui amisit privilegium canonis.

Nomine *monachi* intelligitur quilibet religiosus utriusque sexus professus, conversus, vel etiam novitius ex communi Doctorum sententia. Item omnes vitam agentes in communi sub aliquo Praelato, ut sunt Moniales etsi cum votis simplicibus, et quamvis in earum communitate non fiat professio, ut sunt sorores Filiae Charitatis, ac mulieres viventes in Conservatoriis, quamvis religio non adhuc sit approbata, quia cum religiose vivant, censentur personae ecclesiasticae. *S. Alph.* VII. 271. Item seminaristae; item eremitae addicti servitio alicujus loci sacri sub Episcopi obedientia et approbatione.

At in istam censuram incidunt mandantes, consulentes, non impedientes, ratam habentes clerici percussionem? Nonnulli eam incurrere censent, ex veterum canonum interpretatione; alii melius opinantur non incurrere. Enimvero vi canonis Concilii Lateranensis *Si quis suadente diabolo* tantum clericorum percussores incidebant in excommunicationem, non vero mandantes, consulentes, non impedientes, ratum habentes; aliae autem Pontificum Bullae hunc canonem ad praedictos extenderunt, nempe ad *mandantes*, et *consulentes* vi capitis *Mulieres de sent. exc.;* ad *non impedientes* vi capitis *Quantae;* ad *ratum habentes* vi capitis *Contingit.* Hinc si Pius IX. in praesenti Constitutione tantum canonem Concilii Lateranensis retinuit, in quo praedicti censura non plectuntur, sequitur quod per novam Constitutionem praedicti eam non incurrunt. Eo vel magis quod in articulo V. censurarum sp. mo. reservatarum eos expressit, et in hoc articulo II. eos reticuit; est igitur inferendum quod in hoc articulo eos comprehendere noluit.

Exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat. Haec postrema hujus articuli verba denotant, quod illi casus relate ad clerici percussionem, qui praeterquam a Rom. Pontifice, etiam ab aliis poterant absolvi, adhuc possunt, et illae personae, quae ex jure aut privilegio ob clerici percussionem ab aliis poterant absolvi, etiam nunc possunt. Idcirco his verbis iis

omnibus, qui ante praesentem Constitutionem poterant ab hac censura absolvere, eadem servatur potestas. Pius enim Papa IX. nihil quoad facultatem immutare voluit. At quinam sint hujusmodi casus, quaenam sint hujusmodi personae remanet enucleandum. Ut hujusmodi casus intelligantur, animo recolendum est theologos triplicem percussionem distinguere, nempe levem, mediocrem seu gravem, et enormem. Levis est illa, quae nullum imprimit vestigium, et ea est, quae fit pugno, palma, pede etc. Dicitur levis, non quia est peccatum leve, ad incurrendam enim excommunicationem non sufficit culpa levis, sed gravis requiritur: sed dicitur levis respectu ad gravem vel enormem. Attamen percussio levis potest enormis evadere: 1.° ratione personae laesae, si illa sit in dignitate; vel personae laedentis, ut si officialis laicus auctoritative percutiat clericum; 2.° ratione gravis scandali, ut si percussio fiat in platea, tempore functionum sacrarum; 3.° ratione modi, ut si quis clerici vultum stercore foedaret. In dubio percussio judicatur gravis, ne occasio detur laedendi statum ecclesiasticum. *S. Alph.* III. 274. Percussio mediocris seu gravis ea est, quae aliquod imprimit vestigium, uti quando extrahitur dens, vel copia capillorum evellitur. Percussio enormis est, quando intervenit occisio, mutilatio, lethale vulnus, ossium fractio etc.

Hoc posito si percussio est levis, quamvis publica, ex jure potest Episcopus absolvere per se, vel per alium *ex cap. Pervenit de sent. exc.* Potest per se ex facultate Episcopis concessa in dicto cap. *Pervenit;* potest per delegatum, quia facultas absolvendi in percussione levi est facultas quasi ordinaria, quae competit Episcopo ratione dignitatis; qui autem habet potestatem ordinariam, potest illam delegare. Addo etiam Vicarium Generalem posse per seipsum absolvere, et dare aliis facultatem absolvendi, quia facit unum tribunal cum Episcopo. Item dicendum de Vicario Capitulari. Si vero percussio est gravis vel enormis, sed occulta, neque deducta ad forum contentiosum (nec alia ratione sit specialiter Papae reservata) ex cap. *Liceat* possunt etiam Episcopi absolvere, quia per Const. *Ap. Sedis* non est derogatum hujusmodi *Caput* quoad censuras simpliciter reservatas. Si percussio est gravis vel enormis, sed publica, tantum

Romanus Pontifex potest absolvere, aut ejus Legatus a latere, quia hic Pontificia gaudet auctoritate, ex cap. *Ad eminentiam de sent. exc.* Imo etiam legati missi possunt absolvere in Provincia ad quam mittuntur, ex cap. penult. *De officio Legati.*

Personae (quibus innuit textus per verba *exceptis..... personis*), quae ob clerici percussionem, licet publicam gravem seu enormem, possunt ab Episcopo absolvi, sunt — 1.° Clerici collegialiter, seu communiter viventes, qui se gravi et non enormi percussione affecerunt (1). — 2.° Janitores, aut Officiales Principis, qui causa sui officii, idest arcendae turbae, levi aut gravi percussione clericum percusserunt (2). — 3.° Impuberes (si tamen huic censurae subjiciantur), isti enim absolvi possunt ab Episcopo, non solum ab excommunicatione ob levem, sed etiam ob gravem aut enormem percussionem factam tempore impubertatis, etsi post pubertatem petant absolutionem (3). — 4.° Mulieres cujuscumque sint aetatis et conditionis possunt absolvi ab Episcopo ob percussionem publicam, etiamsi fuerit enormis (4). — 5.° Moniales subjectae Ordinariis se invicem, vel Clericos percutientes possunt absolvi ab Episcopo, etiamsi percussio sit gravis, aut enormis (5). — Moniales vero exemptae se invicem etiam graviter, aut enormiter percutientes possunt absolvi a suis Praelatis Regularibus, vel ab aliis ab ipsis deputatis, quia privilegia Regularibus concessa, eorum Monialibus communicantur, ut expresse concedit Sixtus IV. (6). — 6.° Servi idest mancipia, non conductitii et liberi (nisi percussio ita fuerit enormis, ut ad vitandum scandalum, et in exemplum aliorum oporteat eos ad Sedem Apostolicam mittere), possunt ab Episcopo absolvi, si eorum absentia magnum domino detrimentum inferret, et aliunde dominus in laesione inferenda particeps non fuerit (7), ita *Sayrus.*

(1) Cap. *Quoniam de vita et honestate clericorum*, et cap. *Pervenit.*
(2) Cap. *Si vero de sent. excom.*
(3) Cap. *Pueris.*
(4) Cap. *Mulieres de sent. excom.*
(5) Cap. *De Monialibus.*
(6) In Bulla aurea *Monialibus Praedicatorum et Minorum.*
(7) Cap. *Relatum.*

Alii (recensiti in textu), qui, licet non Episcopi, possunt clerici percussorem absolvere, sunt 1.° Praelati saeculares jurisdictionem quasi Episcopalem habentes in territorium et personas determinatas, uti ait *S. Alphonsus* VII. 279., quia, ut refert idem *S. Doctor* VII. 79. nomine Episcoporum veniunt Abbates, et alii jurisdictionem Episcopalem habentes, ita quoque *Sanchez*, et *Salm.* Si igitur Episcopi ex. cit. cap. *Pervenit* possunt absolvere a percussione levi, quamvis publica, ita haec facultas etiam praedictis Praelatis saecularibus competit.—2.° Praelati regulares possunt suos subditos, et Novitios absolvere ab excom. contracta, nedum ob percussionem levem, et mediocrem seu gravem ex cap. *Monachi*, et cap. *Illorum*, sed etiam ab excom. contracta ob percussionem enormem ex Bullis Clementis IV. incip. *Virtute*, Sixti IV. incip. *Regimini*. Si vero religiosus percussit religiosum alterius claustri percussione mediocri seu gravi absolvendus est non solum a suo Superiore, sed etiam a Superiore religiosi percussi ex cap. *Cum illorum*, quamvis unus Superior possit vices suas alteri committere. Si vero religiosus percussit clericum saecularem, debet ab Episcopo absolvi, quando percussio est levis, cap. *Religiosi de sent. exc.*; quando autem est gravis aut enormis, mittendus est ad Summum Pontificem, uti eruitur ex cap. *Cum. illorum. Bonac.*

III.

Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

Praefatae censurae subjiciuntur omnes et singuli, qui aliquam ex actionibus prohibitis in citato articulo faciunt. Quaenam autem sint hujusmodi actiones vetitae sub censura, summatim ad quatuor reduci possunt.— Prohibetur 1.° pugnare in duello, vel ad illud provocare, vel ipsum acceptare; 2.° duello quovis modo cooperari; 3.° duellum de industria aspicere; 4.° illud permittere, aut non prohibere. Haec omnia declarantur.

Ad primum quod attinet censuram incurrunt, qui duellum perpetrant, modo habeat illas qualitates, quae stricto sensu duellum constituunt; nempe requiritur, ut sit pugna singularis suscepta ex condicto, et ex privata auctoritate, cum periculo occisionis vel gravis vulneris, designato tempore, loco et armis. Arma vero debent esse lethalia, nempe instrumenta inter ipsos paria, quae grave vulnus aut occisionem inferre possunt. Quamobrem si pugnis, bacillis, ferro acie retusa, brachiis, vel alio instrumento non periculoso dimicatum sit, non est duellum, et censura non incurritur, etsi mors aliquando subsequatur, tum quia de raro contigentibus lex non curat, tum quia duellum fieri debet armis vel instrumentis, ex quibus vulnus, vel mutilatio, vel occisio sequi solet. Secus dicendum est, si fiat saxis, aut cultellis, vel etiam baculis, et fustibus: nam haec sunt instrumenta, ex quibus vulnus et occisio sequi solet, et hoc in casu esset vere duellum, et censura incurreretur, ita *Ugol.*, *Lucas*, *Floronus*, *Peregr.*, *Reiff.* et alii. Duellum potest fieri vel publice, nempe affixis chartulis, designatis testibus, patrinis, vel privatim, at quovis modo fit, semper censura incurritur. Ex hoc infertur censuram non incurrere: 1.° milites et alios, qui ob privatas inimicitias se ipsos invitant ad pugnandum, et districtis ensibus alter alterum occidit, quia non adfuit assignatio temporis cum determinatione loci; 2.° illos, qui sese obviam habentes, diffidunt se in tali loco, quo statim tendunt, et ibi pugnant, eadem ratione; 3.° illum, qui cum altero contendens, cum armis destitutus sit, domum adit ad capienda arma, nulla facta ad duellum provocatione, et postea rediens ad inimicum, illum ira percitus diffidit, et statim aggreditur, quia haec non est pugna ex condicto, statuto loco et tempore.

At non solum duellum perpetrantes, sed etiam *simpliciter ad illud provocantes*, *vel ipsum acceptantes* praedictam censuram incurrunt. Unde qui provocat ad duellum, etsi non acceptetur, aut non sequatur, semper censura ligatur, quia simpliciter provocantes hac poena mulctantur. At cum duellum sit pugna singularis suscepta *ex condicto*, sequitur in hujusmodi provocatione requiri voluntatis determinationem, ut censura incurratur. Hinc si quis injuria affectus in instanti, seu in actu primo-primo a-

lium provocat ad duellum, censuram non incurrit, quia deest voluntatis deliberatio, quae nedum ab excommunicatione, sed etiam a peccato gravi excusat, nisi actus subsequenter confirmatus fuerit. Et heic duo sunt notanda: — 1.° ut praedicta censura incurratur, requiritur ut provocatio sit contra certam, non vero incertam personam, aut generatim contra quemcumque. Nam si secus habebatur in veteri jure, in hoc articulo Pius IX. a veteri recedit, et loquitur de duello simpliciter et absolute, prout scilicet nunc communiter fit; at nunc perpetratur per provocationem determinatae personae; provocatio igitur debet fieri contra determinatam personam ad incurrendam censuram; — 2.° requiritur, ut in provocatione sit determinatus locus et tempus; hinc si quis alteri dicit; te provoco ad duellum, censuram non incurrit, quia verba *simpliciter ad illud provocantes* non denotant simplicem provocationem sine determinatione loci et temporis, uti nonnulli censent, sed significant *provocantes*, praedictis stantibus, excom. incurrere, licet duellum a lacessito non acceptetur, vel alia de causa non sequatur. Revera determinatio loci et temporis essentiam duelli attingit, quod autem ad essentiam pertinet nunquam per novam juris dispositionem sublatum censetur, nisi legislator id expresserit, vel talem loquendi modum adhibuerit, qui secus statuere evidenter ostendat. Ad *acceptantes* quod spectat, ipsi censura ligantur statim ac duellum acceptatur, etsi postea non sequatur. At si subita ira, aut motu primo-primo duellum acceptant, ab ea excusantur, quia deest deliberatio. Item ab ea excusantur *acceptantes*, si in provocatione defuit loci et temporis determinatio, nempe si dicat provocans: te provoco ad duellum, et ipse respondeat: accepto.

Secundo loco in hoc articulo prohibetur sub censura quaevis in duello cooperatio, nempe dicitur: *quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem praestantes.* At quinam censendi sunt complices in duello? — 1.° *patrini et testes,* qui duello adsistunt, ne quid contra aequalitatem pugnantium committatur. Si autem officium patrini acceptant, et ad locum statutum comitantur duellantes eo animo, ut duellum impediant, et gravissimum damnum arceant, censura non ligantur, quia non fa-

vent, sed duellum impediunt; — 2.° *mandantes*, at mandatum debet esse efficax, ita ut ex eo duellum sequatur; hinc si prorsus in duellum non influit, quatenus duellantes nullimode ad pugnandum excitantur, quia jam pugnare firmiter statuerint, censuram non incurrunt. Item ab ea excusantur, si revocarunt mandatum, et revocatio innotuit mandatario, quia in hoc casu sola malitia mandatarii videtur esse causa duelli; — 3.° *consulentes*, at consilium debet influere in duellum, secus non habet rationem consilii, ac proinde nulla poena reportari debet. Si vero *consulentes* suo consilio magis excitarent duellantium voluntatem, vel magis illam confirmarent, tunc suo consilio ad illud influerent, et consequenter excommunicationem incurrerent. At si consilium praebent duellantibus cessare a duello, vix alteruter vulneratur, dum parati erant usque ad mortem pugnare, censura non incurritur, quia suadetur minus malum ad majus vitandum; — 4.° *ii* etiam *complices* censendi sunt, qui provocatoria scripta, libellos, epistolas, earumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, typis impresserint, subscripserint, intimaverint, vel ore tenus provocationem ad partes contendentes denuntiaverint, vel locum et arma designaverint, vel qui pugnantes ad locum certaminis comitati fuerint, vel qui e loco certaminis eos, qui duellum impedire potuerint, et voluerint, amoverint, vel qui duellantes excitaverint; — 5.° *ii*, qui ad id scelus opem vel favorem praestant, nempe qui arma pugnaturo in duello accomodant, aut vendunt ad hoc, ut possit sequi duellum; vel equos, et commeatus ad hoc praebent. Omnes siquidem praedicti duello cooperantur, et utpote complices, et operam aut favorem praestantes, hac censura ligantur.

Tertio prohibetur in hoc articulo duellum de industria aspicere, nempe dicitur: *nec non de industria spectantes*. Spectatores *de industria* illi dicuntur, qui non fortuito, non casu, sed deliberate se conferunt publice ad locum certaminis ad hoc ut duellum aspiciant. Hinc si quis ex loco occulto duellum inspicit, quin sciatur, et videatur a duellantibus, censuram non incurrit, quia sua praesentia non acuit pugnam. Item qui fortuito per locum certaminis transiens, aut alia de causa ibi existens curiositate

ductus duellum aspiceret, hac censura non ligatur, quia hic articulus loquitur de spectatore *de industria.*

Demum non solum duellum perpetrantes, aliique praedicti vinculo istius excommunicationis obstringuntur, verum etiam *illud permittentes, vel quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis. Permittentes* sunt illi Principes saeculares, qui vel lege lata, vel ore tenus duella fieri concedunt; nec non illi domini locorum, (ii nempe qui habent jurisdictionem), qui in terris suis locum dant ad duella perpetranda. *Non prohibentes* sunt illi, qui auctoritate sua possent impedire, quominus duella fiant, et tamen id negligunt; vel quatenus sciant ea perpetrari, et cum possint vi sui officii ea impedire, non prohibent; vel quatenus post commissum crimen et veniam et impunitatem concedunt, et ita alios a tali crimine patrando non arcent. Unde permittentes *positive*, non prohibentes *negative* duello cooperantur. Unde hac excommunicatione non afficiuntur illae personae privatae, quae charitatis officio prohibere duellum possent, et tenerentur, ex. gr. parentes, amici, aliique, et tamen id negligunt; isti enim nulla auctoritate sunt praediti, et textus afficit illos, qui auctoritate pollent, et ex justitia (ob officium quod habent), tenentur duella prohibere. Hinc dominus fundi, ubi accedunt duellantes, dici non potest *non prohibens*, quia nullam auctoritatem habet eos ejiciendi; posset quidem adire publicam auctoritatem, ut pugnam impediret; at ex se nullam auctoritatem habet, ideoque passive se habendo censuram non incurrit.

Quaeres. Excommunicatio incurritur statim ac praestita est aliqua praedictarum actionum, etsi aliqua ratione duellum non fieret, an sequuto duello? Quaestio est. Nonnulli censent censuram incurri etiam non sequuto duello, ea ratione ducti, quia in hoc articulo excommunicantur simpliciter *provocantes et acceptantes* ideoque quoties ex actionibus praedictis habetur acceptatio et provocatio, censura incurritur, etsi pugna sequuta non fuerit. Alii secus putant, et ita ratiocinantur. In hoc articulo nonnullae actiones principaliter et absolute prohibentur, aliae quasi minus principaliter et accessorie. Actiones principaliter et absolute prohibitae sunt pugnare in duello, ad illud

provocare, ipsum acceptare; ceterae vero accessorie prohibentur. Jam vero juxta communem theologorum sententiam actiones accessoriae excommunicationi non subjiciuntur, nisi relate ad factum principale, quoties nempe verificatur. Cum enim Rom. Pontifices in suis Constitutionibus complices, idest mandantes, consulentes, favorem praebentes, etc. principaliter excommunicatos voluerint, id declararunt, uti Clemens VIII. in subjecta materia declaraverat. Hoc autem deduci nullatenus potest ex citato articulo, qui nullum indicium praebet; ergo si duellum sequutum non fuit, censura non incurritur. Insuper exceptis duellantibus ceteri omnes excommunicantur uti complices, quomodo enim dici possunt complices in duello, nisi duellum perpetratum fuerit? quomodo dici queunt spectatores de industria, nisi aliquid aspectum fuerit? ideoque dicendum requiri duelli executionem, ut recensiti complices excommunicationem incurrant. Nec valet, isti dicunt, adversariorum ratio, nam usque dum non probetur actiones accessorias ad omnes et singulas actiones principales referri, eorum illatio deduci non potest. At sumus in poenis, et stricta facienda est interpretatio.

S. R. et Univ. Inquisitioni proposita fuerunt duo sequentia dubia: 1° Potestne medicus rogatus a duellantibus duello assistere cum intentione citius finem pugnae imponendi, vel simpliciter vulnera ligandi ac curandi, quin incurrat excommunicationem Summo Pontifici simpliciter reservatam? Potestne saltem, quin duello sit praesens, in domo vicina vel in loco propinquo sistere proximus ac paratus ad praebendum suum ministerium, si duellantibus opus fuerit? Quid de confessario in iisdem conditionibus? Emi PP. haec dubia ad examen revocarunt, ac re mature perpensa, respondendum censuerunt. *Ad 1.um non posse, et excommunicationem incurri. Ad 2.um vero et 3.um quatenus ex condicto fiat, item non posse, et excommunicationem incurri.* Romae 31 Maji 1884.

IV.

Nomen dantes sectae Massonicae, *aut* Carbonariae, *aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; earumve occultos coryphaeos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint.*

Textus iste afficit 1° nomen dantes sectae Massonicae, aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis, quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur (1); 2.° iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes; 3.° non denuntiantes occultos coriphaeos ac duces, donec non denuntiaverint.

Ad primum quod attinet, ut praefata censura incurratur, requiritur: — 1.° ut secta sit massonica, aut carbonaria, aut alia ejusdem generis. Secta massonica dicitur illa, cujus scopus est divinam Ecclesiae auctoritatem, et leges acerrime oppugnare, legitimam Principum etiam saecularium potestatem frangere, omnia uno verbo tum sacra tum civilia conculcare: imo si fieri posset Christianam Religionem funditus evertere. Carbonariorum societas docet integrum esse, seditionibus excitatis, reges ceterosque imperantes sua potestate expoliare. Hinc si qua secta alium finem sibi proponit, et ad alium scopum a secta massonica aut carbonaria diversum tendit, censura hujus articuli non plectitur; — 2.° requiritur, ut praedictis sectis nomen detur, etsi ille, qui dat nomen, nihil agat, aut machinetur, quia ad eas pertinere sub censura prohibetur, modo alii aut palam, aut clandestine aliquid contra Ecclesiam vel legitimas potestates conspirent, aut machinentur; nam si nemo conspirat aut machinatur, secta nullatenus dici potest. Ecclesia enim non in abstracto rem considerat, et poenas indicit, sed in concreto,

(1) Societates occultae, de quibus in Pontificiis Constitutionibus sermo est, eae omnes intelliguntur, quae adversus Ecclesiam vel gubernium sibi aliquid proponunt, sive exigant a suis asseclis vel non juramentum de secreto servando.

dummodo scilicet in sectis ea agantur, quae ipsa proscribit. Unde qui animo tantum hujusmodi sectis adhaeret, quin eis nomen dederit, censura non ligatur, quia non ponit factum sub censura prohibitum. Attamen ad incurrendam censuram non requiritur, ut juramentum praestetur vel de secreto servando, vel de opere praebendo, vel de obedientia ducibus, quos non agnoscunt; articulus enim non loquitur de juramento, sed de machinatione contra Ecclesiam, vel legitimas potestates, quod patet etiam ex decreto S. Inquis. in simili re edito die 5 Augusti 1846. Hinc qui nomen dat alicui sectae, cujus scopus innotescit, utpote est secta Massonica, Carbonaria, Mazziniana, Universitaria, Juvenis Italiae, Communistarum, Socialistarum, Internatiolistarum, Nihilistarum aut Fenianorum, quae sibi proponit Hiberniam a potestate Anglorum eximere, uti declaravit Suprema Inquisitio die 12 Januarii 1870. (1), illico censuram hujus articuli incurrit. Quod si quis inconsulto alicui sectae adscribitur, quin indolem cognoscat, si statim ac eam apprehendit, ab ea non recedit, hac censura ligatur.

Et heic notandum, etsi in articulo dicatur censuram incurri ab eo, qui nomen dat alicui sectae, quae contra Ecclesiam machinatur, hoc verbum *contra Ecclesiam* non esse accipiendum lato sensu, secus comprehenderentur etiam omnes sectae haereticales, quae etiam contra Ecclesiam machinantur, sed eo sensu quem indicat textus, nempe quod secta divinam Ecclesiae auctoritatem, ejusque leges oppugnare debet. Unde qui nomen dant societati Biblicae, aut Veterum Catholicorum, aut Clerico

(1) *Cum dubitatum fuerit a nonnullis, an societas Fenianorum comprehensa censeatur inter Societates damnatas in Pontificiis Constitutionibus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa IX..... decrevit ac declaravit, Societatem Americanam seu Hibernicam, Fenianorum appellatam, comprehendi inter societates vetitas ac damnatas in Constitutionibus Summorum Pontificum et praesertim in nuperrima ejusdem Sanctitatis Suae edita quarto Idus Octobris 1869. incip.* Apostolicae Sedis, *qua sub num. IV. excommunicationi latae sententiae Rom. Pontifici reservatae obnoxii declarantur « Nomen dantes sectae Massonicae aut Carbonariae etc. ».* Ex decreto S. Rom. et Univ. Inquisitionis. Feria IV. die 12 Januarii 1870.

liberalium, hac censura non ligantur, quia hujusmodi societates a secta Massonica aut Carbonaria discriminantur; nam prima sibi proponit Protestantium errores disseminare, altera infallibilitatem Pontificis non admittere, tertia reconciliare Ecclesiam cum civili gubernio. Uno verbo hic articulus non respicit sectas mere religiosas, adversus quas stat censura 1.mi articuli *Omnes a Christiana fide apostatas* etc., sed illas, quae naturam massonicam et carbonariam praeseferunt, nempe fidem nullatenus attingunt. Revera Pius IX. in hoc articulo renovavit, quod in Allocutione *Multiplices* 27 Septembris 1865. damnavit, et in citata Allocutione illas sectas reprobavit, quae sectae Massonicae, aut Carbonariae indolem et naturam induunt. Demum si quis machinatur contra potestates illegitimas, scilicet contra eos saeculares Principes, qui injuste alienas provincias invaserunt, sibique usurparunt, censuram non incurrit, quia textus ait *contra legitimas potestates.*

Secundo loco excommunicantur iisdem sectis favorem qualemcumque praestantes. At quinam sunt, qui ejusmodi sectis favorem praestant? Possunt mirifice deduci ex Constitutione Clementis XII., nempe sunt ii, qui sectas propagant, confovent, ac in suis aedibus seu domibus receptant, atque occultant, vel potestatem, seu commoditatem faciunt, ut alibi convocentur, vel iisdem aliquid ministrant, sive alias consilium, auxilium, vel favorem palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel per alios, quoquo modo praestant, nec non alios hortantur, inducunt, provocant, aut suadent, ut hujusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, vel ipsos quomodolibet juvent, ac foveant. At heic abs re non erit animadvertere, quod Reges etiamsi sectas Massonicas publice convocari tolerent, praedictam censuram non incurrunt, quia Reges excommunicationem non incurrunt, nisi exprimantur, uti sunt expressi in articulo praecedenti; hinc si in hoc articulo Pontifex eos tacuit, noluisse eos comprehendere censendus est.

Postremo censura plectuntur omnes, qui *occultos coryphaeos ac duces non denuntiant, donec non denuntiaverint.* Dicitur *occultos coryphaeos, et duces*, non quatenus alii sectarii non sint denuntiandi, sed quatenus tantum pro occultis coryphaeis, et du-

cibus adest censura, nisi denuntiantur. Enimvero per Constitutionem *Ap. Sedis* Pius IX. limitavit censuras, sed nihil immutavit quoad obligationes. Unde si in veteri jure sectarii sive occulti sive publici erant denuntiandi, adhuc manet fidelibus onus denuntiandi ceteros simplices sectarios, at absque censura; quae obligatio est gravis, si agitur de gravi communi damno vitando, licet denuntiatio vergeret in grave damnum proprium vel suorum, quia damnum commune praevalet privato. Ad ejusmodi denuntiationem tenentur non solum ii, qui ex propria scientia, sed etiam qui ex testibus fide dignis notitiam facti acceperunt, ut ex decretis S. Poenitentiariae constat. Attamen quoad istam obligationem diversimode est loquendum pro simplicibus sectariis, et pro occultis coryphaeis et ducibus. Cum simplices sectarii in praesens sint pene innumeri, et in diem crescant, et a Superioribus puniri non possint, et cum secta Massonica aut Carbonaria tantopere invaluerit, inutilis omnino evaderet denuntiatio, at ad opus inutile nemo tenetur, hinc pro istis fideles ad eam non tenentur. Ad rem ait *Bonacina: Non esse obligationem denuntiandi, quando certo scitur, vel probabiliter creditur, nullum remedium adhibendum esse a Praelato facta denuntiatione, nullus enim obligatur ad opus inutile.* Quod si, cessante temporum improbitate, utilis evaderet, reviviscit obligatio; vel si in aliquo loco aliquid posset contra eos auctoritas Ecclesiastica, fideles ad eam tenentur. At res secus se habet, si sermo est de occultis coryphaeis et ducibus; pro istis enim semper adest etiam nunc temporis obligatio eos denuntiandi sub censura hujus articuli, quia utile erit semper Episcopo et auctoritati Ecclesiasticae, pro animarum cura eos cognoscere. *At dices* sectarum coryphaei et duces non amplius occulti, sed manifesti sunt, ac proinde etiam inutile erit pro eis denuntiatio; sed huic difficultati jam respondit S. Officii Congregatio in Instructione 1° Feb. 1871, et declaravit esse denuntiandos (1). Quod si certissime constaret coryphaeos et duces

(1) S. Officii Congregatio cuidam Episcopo in locis Missionum degenti sic respondit « *Ne in re tam gravi, quaeque tanti interest incolumitatis Ecclesiae, salutis animarum, publicaeque tranquillitatis, quempiam indormire sinas, persuadere tibi debes, non sine gravissimis causis R. Ponti-*

praedictarum sectarum esse notorios Episcopo et auctoritati Ecclesiasticae, quatenus sunt manifesti, quia seipsos manifestarunt, et tunc hoc in casu inutilis omnino esset denuntiatio, et ab ea fideles excusantur, uti eruitur ex textu, ubi legitur: *occultos coryphaeos et duces esse denuntiandos.*

Haec autem denuntiatio facienda est aut Ordinario loci, aut aliis ad quos spectat. Et quoniam denuntiationes a publico Ecclesiae bono postulantur, ad eam omnes tenentur, quamvis sint fratres, sorores, pater aut mater. Id enim constat ex responsione S. Poenitentiariae 1821, quae ad quaesitum: An filius patrem, soror fratrem denuntiare debet, et vicissim? Respondit: *Cum de Carbonariis agitur, a filio patrem, a sorore fratrem germanum, et vicissim debere denuntiari.* Et ratio id suadet, quia agitur de publico Ecclesiae bono, uti antea dictum est.

At pro omissa denuntiatione quale tempus requiritur ad incurrendam censuram? In hoc articulo non determinatur, sed intelligendum est illud tempus, quod statuitur pro denuntiatione sacerdotis, aut confessarii sollicitantis, et haeretici, idest infra mensem a die scientiae obligationis; excipe si adsit justa causa differendi obligationem, quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo. Quod si contracta fuit excommunicatio pro culpabili denuntiationis omissione, poterit haec, facta postea denuntiatione, a quolibet confessario absolvi, uti eruitur ex textu *donec non denuntiaverint*, quia cessat reservatio: at

---

ficem e sua specula, ex qua totam Ecclesiam omnesque simul circumstantias circumspicit, excommunicationem illam jampridem latam multo mitioribus terminis cohibitam retinuisse. Quamquam haud difficile cuique erit, aliquam per se causam videre injunctae denuntiationis, licet, ut ais, praesidentium ac membrorum nomina, saltem in secta Massonica et Carbonaria, publice typis dentur. Caeteris enim praetermissis, quis sane dicere aut nosse valeat, utrum qui in publicis ephemeridibus apparent, specie tantum ac nomine tenus coryphaei ac duces sint, veri autem machinationum artifices directoresque delitescant? Aut quis etiam divinet utrum perpetuo et constanter ducum nomina evulgare velint? Vides igitur non inutiliter neque sine causa praeceptum esse, ut coryphaei, saltem qui occulti sint, denuntientur.

non possunt haec verba significare, quod facta denuntiatione cessat ipsa censura, quia censura semel contracta non potest tolli, nisi per absolutionem.

Denique sciendum, quod qui praedictis sectis nomen dederunt, non possunt absolvi, licet emissi juramenti se doleant, et tamen externe cum iisdem sociis adhuc communicant, uti declaravit S. Officii Congregatio 5 Julii 1837. Satis enim non est, quod quis erroribus suis interne renuntiet, si externe eos profiteri videatur. Hinc quae sunt observanda, continentur in Pagella casuum, quae a S. Poenitentiaria locorum Ordinariis conceditur (1).

V.

Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes.

Pius IX. in hoc articulo jus commune quoad immunitatem localem integrum servavit, quin imo roboratum voluit, quia per Const. *Ap. Sed.* fuerunt limitatae censurae, sed non fuit immutatum jus vetus quoad jura, onera et privilegia. Ideoque cum Pontifex excommunicatione mulctavit " *Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes, aut violantes* „, de illa immunitate asyli loqui voluit, quae antea vigebat, eodemque modo, eademque ratione. Immunitas igitur asyli, seu immuni-

(1) Legitur in praedicta pagella sub n.° VII: *Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui sectis vetitis Massonicis aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, aut favorem praestiterunt; ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant, ad Ordinarium quam primum caute trasmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda, injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis; nec non absolvendi eos, qui ejusmodi sectarum duces et magistros occultos denuntiare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia, et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis, vel aliis, ad quos spectat, prout de jure, denuntiandi.*

tas localis est jus, quod competit Ecclesiis, aliisque locis sacris, quo malefactores in ea confugientes extrahi non possunt, nec in vita, nec in membris puniri queunt. Multos effectus parit haec immunitas:—1.us est, ut existens in Ecclesia capi nequeat in Ecclesia a laica potestate;—2.us est, ut non apponatur impedimentum, propter quod existenti in loco sacro non deferantur alimenta, vestitus aut alia, quae ad vitam necessaria sunt;—3.us est, ut existenti in loco sacro nulla vis, aut damnum inferatur;—4.us est, ut dum reus in Ecclesia existit, damnari nequeat ad mortem, vel poenam saltem corporalem;—5.us est, ut delinquens per vim extractus ab Ecclesia restituatur Ecclesiae;—6.us est, ut actus, quo delinquens a saeculari judice per vim extrahitur a loco sacro, juridice nullus sit; nam factus est ab eo, qui non habet jurisdictionem extrahendi, et delinquenti competit jus, ne a loco sacro extrahatur. Hinc qui aliquam ex praedictis vetitis actionibus perpetrat, immunitatem asyli ecclesiastici violat; quin imo haec immunitas violatur, non solum quando hae actiones vetitae fiunt contra reos immunitate asyli gaudentes, sed etiam quando non servatur forma praescripta in extrahendis reis immunitate carentibus. Nonnulla enim in Jure Canonico sunt excepta delicta, pro quibus non gaudetur immunitate; sed semper est servanda quaedam forma in extrahendis hujusmodi reis ab Ecclesia, uti praescripsit Gregorius XIV. in Const. *Cum alias*, et Benedictus XIV. in Const. *Ex quo*, nempe ab Ecclesiastico judice videndum est, num reus patrarit crimina, propter quae immunitate prorsus expoliatur, ejusque auctoritate, ac praesente viro ecclesiastico, quem ipse designarit, reus de asylo dimovendus est. Qua forma omissa, etiam haec immunitas violatur.

Hoc posito materia hujus excommunicationis sunt omnes actiones antea recensitae, quibus violatur immunitas localis quoad asylum delinquentium. Subjectum vero sunt omnes et singuli sive privati, sive publica auctoritate praediti, qui ausu temerario quovis modo ex praedictis immunitatem localem violant, aut eam violare jubent. Hinc ad incurrendam excommunicationem duo requiruntur, nempe vis, et ausus temerarius. Requiritur *vis*, quia canones prohibent violentam extractionem;

quoties igitur non habetur violentia adhibita contra reum, immunitas localis non violatur, ex cap. *Inter alia de immunit.* Unde si quis blanditiis aut promissionibus, dolo aut fallaciis obtinet, ut reus in loco asyli existens inde exeat, et extra locum sacrum eum capit, censuram non incurrit, quia reus non capitur in loco sacro, nec fit violentia reo in loco sacro. Nec eam incurrit, qui in Ecclesia capit reum seipsum voluntarie offerentem. Ratio est, quia non dicitur violenter extrahi; dummodo non ligetur in ipsa Ecclesia, quia licet nulla vis adhibeatur, tamen semper Ecclesiastica immunitas violatur, uti pluries in similibus casibus S. C. I. decrevit. Requiritur *ausus temerarius*, quia ita statutum invenitur in textu. Hic autem *ausus temerarius* verificari debet tam pro violantibus, quam pro eam violare jubentibus, ut censura incurratur, uti satis superque declaravit S. Un. Inq. 1 Feb. 1871. in Instructione ad quemdam Ordinarium, qui nonnulla dubia proposuit. In hac igitur Instructione invenitur: *In quarto dubio plura a te congesta sunt. Et primum anxium te exhibebas circa magistratus catholicos, et gubernii servos, qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum, ne omnes excommunicationi subjaceant, quae in Const. Ap. Sed. est quinta inter excommunicationes latae sententiae R. P. reservatas,.... Qua te anxietate ut eximerent Em. Patres, audita etiam SS. Oraculo, monitum te voluere, in ea formula verba*, ausu temerario *utrumque verbum complecti. Ex quo intelligas eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat, quem porro, utpote omnis excusationis expertem, excommunicationi subjacere, mirum esse non debet.*

Ex hac Instructione colligitur ausum temerarium tunc haberi: — 1.° cum quis libere agit, quia dicitur *ab aliis minime coactus.* Unde milites, qui contra vel praeter voluntatem coguntur a suis ducibus eam violare, hanc censuram non incurrunt. Item neque ea ligantur duces et officiales etiam civiles, qui non sponte, sed a propriis Superioribus coacti ecclesiastici asyli violationem exequi mandant. Nec ei subjiciuntur, qui sub metu gravi amittendi proprium officium eam violant, tum quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo, tum quia deest *ausus teme-*

rarius, nempe plena libertas agendi, nam qui sub metu gravi agit, non omnino libere agit; — 2.° cum quis *prudens ac sciens* vetitum opus ponit, uti eruitur ex Instructione, nempe sciens Ecclesiae prohibitionem et censuram, tamen in spretum Religionis et censurae immunitatem violat, aut eam violare mandat; — 3.° cum quis nullam habet causam, quae eum a censura excusat; quia in Instructione legitur: *utpote omnis excusationis expertem.* Hujusmodi causae ex DD. esse possent ignorantia, contraria consuetudo, aliquod concordatum initum inter S. Sedem et civilem potestatem, quo Rom. Pontifex aliquid ex communi jure prohibitum fieri concessit. Concordata enim per Const. *Ap. Sed.* abrogata non fuere.

Et heic nonnulla sunt notanda: — 1.° cum in articulo dicatur *violantes*, sequitur realem violationem requiri ad censuram incurrendam. Hinc qui attentat violare, et ob aliquam causam impeditur, censura non ligatur, quia delictum non est perfectum et consummatum; — 2.° cum dicatur *violare jubentes*, sequitur consulentes aut favorem praebentes censurae non subijci, quia sumus in odiosis, et stricta facienda est interpretatio. A fortiori ab ea excusantur ratam habentes aliquam ex praefatis actionibus, quia ratihabitio est posterior facto, et qui ratam habet violationem, non dicitur violare, sed approbare factum.

Utrum autem violare jubentes immunitatem asyli ecclesiastici excommunicationem incurrant effectu non sequuto, litigant DD. Nonnulli censent eam non incurrere, quia poenae accipiendae sunt cum effectu. Alii secus sentiunt, quia mandantes principaliter excommunicantur, nam considerantur aeque ac violantes, cum in textu dicatur: *ausu temerario violare jubentes, aut violantes;* hinc si litigant interpretes, dicendum rem esse dubiam, et pro lege dubia, non potest certo censura incurri.

VI.

Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. Decori *praescriptam.*

Textus iste afficit 1.° violantes clausuram Monialium per ingressum absque legitima licentia; 2.° eos introducentes, vel admittentes sine praedicta licentia; 3.° Moniales infringentes legem clausurae per egressum absque legitima Superiorum licentia, extra casus et formam a S. Pio V. praescriptam.

Ad primum quod attinet. Materia hujus primae partis est ingressus in clausuram Monialium absque legitima licentia: Subjectum sunt omnes cujuscumque generis, aut conditionis, sexus vel aetatis, modo sint doli capaces, clausuram violantes. Haec duo enucleantur. Clausura est spatium quod intra januam monasterii semper clausam continetur, seu est locus monasterii, intra quem Moniales sistere debent, et a quo egredi nequeunt sine violatione praecepti, vel voti. Clausura autem potest esse aut Papalis, quae nempe imponitur, et decernitur auctoritate Rom. Pontificis; aut Episcopalis, quae statuitur ab Episcopo. At heic intelligitur clausura Papalis; hinc qui Episcopalem clausuram violant, censuram non incurrunt. Similiter nomine Monialium veniunt religiosae votis solemnibus obstrictae; nam Constitutio nostra de illis Monialibus, et de illa clausura loquitur, de qua loquitur Conc. Tridentinum, et Const. S. Pii V. (1). In

(1) S. Congregationi Episcoporum et Regularium duo sequentia dubia proposita fuere die 1.ª Augusti 1839. 1.° Utrum, si non sint solemnia vota, moniales nihilominus teneantur ad clausuram servandam, quam voto simplici vovent, sub censuris a Tridentina synodo edictis, ubi Episcopus clausuram restituerit? II.° Utrum etiam excommunicationis incurrat poenam, qui sine licentia ingrediatur septa monasterii, ubi clausura ab Episcopo restituta fuerit? Sacra Congregatio respondit: Ad 1.um *Negative quoad poenas a sacris canonibus et Apostolicis Constitutionibus praescriptas: Af-*

hoc igitur articulo prohibetur in Monialium monasteria ingredi absque legitima licentia. Ingredi est totum corpus intra clausuram collocare, hinc si uno tantum pede quis ingreditur, et reliquum corpus extra clausuram consistit, vel e contra, censuram non incurrit, quia actus non est completus, et non potest dici in monasterium ingressus. Additur *sine legitima licentia.* Olim ex decreto Tridentini licentia in scriptis danda erat, sed cum Pius IX. omiserit haec verba *in scriptis*, non incurrunt censuram, qui ore tenus a legitimo Superiore licentiam ingrediendi monasterium obtinent, et ingrediuntur. Illa autem dicitur legitima licentia, quae datur ab habente facultatem eam concedendi, (1) et stante necessitatis causa (2), quae necessitas sit oportet re-

---

firmative relate ad censuras ab Episcopo fortasse impositas. Ad II.um *Affirmative, si ab Episcopo decreta fuerit.*

(1) Facultatem ingrediendi monasteria Monialium concedere potest Superior, qui monasterio praeest, et cujus est clausuram Monialibus indicere; quia cui ligandi facultas competit, solvendi etiam potestas competere solet, juxta illud: *res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

Hinc sequitur: 1.° Episcopum in monasteriis sibi subditis posse auctoritate ordinaria hanc facultatem concedere; auctoritate vero delegata in monasteriis Summo Pontifici subjectis. Idem dicendum de Vicario Generali Episcopi, et de Vicario Capitulari sede vacante; 2.° facultatem ingrediendi monasteria, quae Regularibus subjecta sunt, concedendam esse a Generali, Provinciali aliove immediato conventus seu monasterii Praelato. Utrum autem requiratur etiam licentia Episcopi, litigant Doctores. Hanc quaestionem refert *S. Alphonsus VII. 224*, et probabilius non requiritur; 3.° Abbatissam non posse facultatem ingrediendi monasterium concedere, quia ille concedere potest facultatem ingrediendi monasterium, ad quem pertinet clausuram Monialibus indicere: ad Abbatissam autem non spectat clausuram indicere, cum etiam ipsa onere clausurae teneatur. Hoc tamen intelligendum est, nisi Episcopus, aliusve legitimus Superior hanc facultatem Abbatissae delegaverit. Cum enim Moniales aliorum opera saepissime indigeant, nec facile ad Episcopum aditus pateat, jure merito Episcopus aliusve legitimus Monialium Superior potest hanc facultatem Abbatissae, vel confessariis delegare in casibus saepe contingentibus, si ita expedire judicaverit.

(2) *Lucidi* in Opere *de Visitatione* Tom. II. pag. 136. n. 19. ait: *Licentia ingrediendi in monasterium, ut sit valida, oportet ut adsit causa*

spectu Monialium, non vero respectu ingredientis, uti saepe declarasse S. Congregationem testatur Fagnanus, quia ad ipsius monasterii solam utilitatem permittitur ingressus. Hinc censuram incurrit, qui sine licentia Superioris ingreditur, etiamsi alioquin justam habeat ingrediendi causam, ob quam Superior licentiam concessisset. Similiter eam incurrit, qui obtinuit licentiam ab Episcopo vel Superiore Regulari, sed nulla extante necessitatis causa vitio obreptionis vel subreptionis in supplici libello, quia dispensatio concessa ab inferiore absque causa est nulla. Pariter eam incurrit, qui obtinuit licentiam ex causa, quae erat tempore concessionis licentiae, sed tempore ingressus defuit, quia Summus Pontifex illam subesse vult tempore ingressus, ideoque cessante causa dispensationis cessat dispensatio. Item qui licentiam obtinuit ex causa, quam falso narravit Superiori, si tempore ingressus necessitatis causa supervenit, non potest ingredi, et ingrediendo censuram incurrit, quia tempore concessionis deerat causa. Quod si Superior est conscius nullitatis causae sibi expressae, et nihilominus vult licentiam concedere, aut si suo proprio motu licentiam concedere voluit sine causa, qui cum hac licentia ingreditur, etiam censuram incur-

---

necessitatis. Et *Bonac.* q. IV. p. IV. n. 1. scribit: *Facultas ingrediendi claustra Monialium concedi non potest, nisi ob causam necessitatis monasterii, seu Monialium manifestam, cui aliter commode occurri non possit, quam ingressu extraneorum in monasterium, quia secus frustra clausurae obligatio inducta fuisset, si quavis de causa facultas ingrediendi concedi possit.* Et hoc praescribit Trid. cap. 5. sess. 25: *Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis.* Haec autem necessitas non est accipienda *phisice* pro strictissima necessitate, sed *moraliter*, idest quando aliquid in monasterio per ipsasmet Moniales commode fieri non potest absque ingressu extranei. Ratio est, tum quia praecepta Ecclesiae benigne accipiuntur, ideoque moralis necessitas ab ipsorum adimpletione regulariter loquendo excusat, tum quia in capite *Periculoso* non exprimitur strictissima necessitas, sed causa rationabilis. Ita *Sanchez.* Addunt tamen *Sanchez, Mirand. et Rodriquez* minorem causam requiri pro ingressu foeminae in monasterium Monialium, quam pro ingressu viri, pro ingressu diurno quam nocturno, pro ingressu consanguineae, quam extraneae, et pro ingressu in priora receptacula, quam interiora.

rit, tum quia nomine licentiae non intelligitur simpliciter libera voluntas, sed voluntas prudentis arbitrio accomodata, tum quia hujusmodi licentia irrita est, utpote ab inferiore collata sine justa causa. Qui vero bona fide sine justa causa licentiam accipit, et ingreditur, excusatur a peccato, et a censura. At Superior absque necessitatis causa licentiam concedens, quamvis peccet, nullam incurrit censuram, quia hujusmodi excommunicatio nullibi expressa reperitur. In necessitatibus autem urgentibus, quae moram non patiuntur, et alias grave damnum immineret, non requiritur ulla licentia ad ingrediendum, prout in casu mortis, incendii, violentiae, et similium, quia lex humana in tanto discrimine non obligat, ut docet *Sanchez*. Hinc potest quivis Sacerdos in casu repentini morbi ingredi ad ministrandum Moniali sacramentum Poenitentiae, aut Eucharistiae, et etiam Extremae Unctionis, uti docent Doctores, quia tunc licentia rationabiliter praesumitur concedi immediate a Papa, ideoque ingrediens nullam incurrit censuram. Excipe nisi Abbatissa habeat generalem facultatem a Praelato praebendi licentiam; hoc enim in casu per expressam licentiam praedictus sacerdos ingrederetur. *S. Alphonsus* VII. 225.

Subjectum vero censurae hujus primae partis sunt omnes, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint, clausuram violantes. Hinc sequitur: 1.° non solum viros, verum etiam foeminas non posse Monialium monasteria sine licentia ingredi, etiamsi justam ingrediendi causam habeant, secus censuram incurrunt; 2.° etiam impuberes, modo sint doli capaces, idest ad rationis usum pervenerint, hac censura ligari, uti eruitur ex textu; 3.° etiam Episcopos, locorum Ordinarios, et S. Romanae Ecclesiae Cardinales, si extra casus necessarios, et non servatis aliis de jure praescriptis, in monasteria Monialium ingredientes hac censura mulctari, quia textus absolute loquitur de personis cujuscumque conditionis, et status. Utrum autem Reges et Reginae, Imperatores et Imperatrices absque legitima licentia in Monialium monasteria ingredientes hac censura plectantur, dissident Doctores. *Bonacina* probabiliter censet eos incurrere, quia textus absolute loquitur de personis cujuscumque generis et conditionis. Alii probabilius negant, quia ex generali regula juris

Reges et Reginae, Imperatores et Imperatrices non incurrunt censuram, nisi exprimantur, et reapse Pius IX. in hac Constitutione, quoties eos in nonnullis articulis comprehendere voluit, eos recensuit; hinc si eos heic reticuit, noluisse eos comprehendere censendus est (1). Hinc in praxi censura non incurritur, quia nisi certa sit, ea non incurritur.

Ad secundum quod attinet. Ille dicitur *introducere*, qui intus mittit, nempe qui sua actione positiva causa est, ut alter ingrediatur, hinc Monialis, quae januam ingredienti aperit, manu trahit, aut aptat scalam (si ingressus fit per fenestram), aut alicui consilium praebet, aut jubet, vel approbat, ut ingrediatur, afficitur hac censura, quia directe cooperatur ingressui. *Bonac.* q. IV. p. VI. n. 11. Ille vero dicitur *admittere*, qui recipit, idest qui indirecte cooperatur ingressui, videlicet negative se habendo, dum ex officio impedire tenetur ingressum, et facile potest. *Bonac.* loc. cit. (2). Hinc sequitur: — 1.° Monialem, quae tenetur ex officio impedire ingredientem, et non impedit, hanc censuram incurrere, quia indirecte ingressui cooperatur, et consequenter ingredientem admittere censetur. Istae esse possent Abbatissa, aliaeque monasteriorum Prelatae, et Praefectae januae, quia ex officio ingressum in monasterio impedire tenentur; — 2.° privatas Moniales, quae non obstant ingredienti, hanc censuram non incurrere; cum enim non teneantur ex officio impedire, non censentur directe vel indirecte ingressui cooperari. Id tamen intelligendum modo actionem ali-

(1) Ferraris ad verbum Moniales art. III. n. 53. ait: *Imperatores, Imperatrices, Reges et Reginae; eorum filii et filiae possunt absque incursu excommunicationis aliarumque poenarum ingredi cum sua decenti comitiva in Monasteria Monialium, quia hujusmodi personae ratione excellentiae et dignitatis non comprehenduntur in dispositionibus odiosis, nisi exprimantur. Sanchez. Rodriq. Tamburini.*

(2) Ferraris V. Monialis art. III. n. 59 ait: *Nomine monialium introducentium vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem, veniunt omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes et auctoritative, sive ratione sui officii permittentes, ut intrent.*

quam positivam non praestent, qua faciunt aliquem ingredi; tunc enim directe cooperarentur ingressui, uti si aliquem invitarent, aut manu traherent etc., hoc enim in casu essent dicendae introducentes; — 3.° privatam Monialem, quae alteri Moniali mandat, vel consilium praebet, ut aliquem ingredi faciat, vel admittat, non affici hac censura; tum quia juxta communem loquendi modum, non dicitur admittere, sed remote cooperari ingressui; tum quia ex regula generali censurae latae in facientes non ligant mandantes vel consulentes, nisi exprimantur. Secus dic, si invitet aut consilium praestet ipsimet ingredienti, ut ingrediatur; tunc enim ligatur, quia directe et immediate cooperatur ingressui. *Bonac.* loc. cit.

Ad tertium quod attinet. Moniales e monasterio licite egredi non possunt, sed requiritur facultas Superioris cum justa et gravi causa, secus incidunt in praedictam excom. Hoc significatur per verba textus *extra casus et formam.* Casus autem in motu Pii V., qui incipit *Decori et honestati,* tres tantummodo exprimuntur. Primus est magnum incendium. Secundus est infirmitas leprae. Tertius est infirmitas epidemiae. Nomine autem epidemiae declaravit S. Congreg. intelligi tantum veram et realem pestem. Sed dicunt *Bonac. Sanchez* aliique venire non solum morbum vere pestilentem, sed quemcumque morbum contagiosum, qui alios inficere solet, ut est morbus gallicus, morbus S. Lazari, ignis S. Antonii, et similes (1). Ut autem recensiti casus in Motu Pii V. a censura excusent, opus est, ut Monialibus in monasterio existentibus alia ratione consuli nequeat, quam exeundo. Quamobrem si Moniales curari possunt in monasterio absque aliarum infectione, aut si incendium in monasterio grassatur, et Moniales ad aliam monasterii partem absque vitae periculo se recipere, et incendium evadere valent, non possunt e monasterio exire, quia cessat justa exeundi causa, secus censuram incurrunt. *Bonac.* loc. cit. Finita curatione,

(1) Hinc non sufficit ad egrediendum infirmitas gravis sine periculo infectionis aliarum, tum quia hic casus non excipitur in Const. S. Pii V., tum quia alias magnum sequeretur damnum clausurae, cum tales morbi in monasteriis sint frequentes. Verum utrum Moniali concedi possit facultas exeundi non solum ob tres allatas causas, sed etiam ob alias similes,

aut cessante causa egressus Monialis statim tenetur reingredi, nempe infra paucos dies, secus peccat, sed in nullam incidit censuram, quia ipsa jam egressa est cum licentia.

Forma autem quae servanda est juxta praescriptum S. Pii V., ut praedicta censura effugiatur, est quod causa non tantum a Superioribus, quibus cura monasterii incumbit, sed etiam ab Episcopo sit cognita, et expresse in scriptis approbata, en verba: *Quae tamen* (idest causa) *praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiam si praedicta monasteria ab Episcoporum, et Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita, et expresse in scriptis approbata sit.* At monialis a peccato et a censura excusatur, si a claustro urgente necessitate exeat, non obtenta a legitimo Superiore facultate, quando nempe periculum est in mora, et Superior ob distantiam consuli nequit. Ratio est, quia hic casus per epikejam exceptus videtur, cum necessitas lege careat, nec Superior praesumatur velle Monialem in tali eventu ad clausuram obligare (1).

---

quin incurratur censura, *Bonacina. Barbosa* aliique dicunt sufficere ad egrediendum causas similes, quin incurratur censura, uti bellum imminens, inundatio fluminis, aut aedificii ruina. At in hisce casibus si adest aditus et tempus, nempe si periculum patitur moram, requiritur omnino ex praefata Constitutione S. Pii V. ad egrediendum licentia in scriptis ab Episcopo, et etiam a Praelato Regulari, si monasterium sit exemptum, secus incurritur censura, quia non servatur forma praescripta a S. Pio V.

(1) At in hoc casu praedicta monialis, quae urgente necessitate exiit non obtenta licentia, tenetur post egressum admonere Superiorem, si potest, quamdiu extra monasterium existit, quia cognitio causae pertinet ad Superiorem, et fieri potest, ut causa quae Moniali legitima videbatur, a Superiore non approbetur, et consequenter Monialis ad clausuram statim redire cogatur. Dixi *quamdiu extra monasterium existit*, quia si Monialis, cessante causa egressus, ad monasterium rediit, non tenetur ex vi clausurae praecise suum egressum Superiori significare, quia ipsius facultate et approbatione non amplius indiget, ita *Sanchez.*

VII.

Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes.

Materia hujus censurae est violatio clausurae Regularium virorum. Subjectum sunt mulieres, quae in eam ingrediuntur, et Superiores et alii eas admittentes. Haec duo explicanda occurrunt.

Ad primum. Nomine clausurae Conventuum, in quam est foeminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium, quod intra septa monasterii, seu Conventus continetur, idest claustra, cellae, officinae, coenaculum seu refectorium, dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi. Est communis. Viridaria, seu horti, prata, et claustra conjuncta cum Conventu veniunt nomine clausurae, ita ut mulieres in ipsa ingredientes excommunicationem incurrunt, ita S. C. Episcop. et Reg.; secus vero, si ipsa viridaria et prata sint a clausura separata clavi et muro convenienti. *Ferraris.* V. Conventus *art. 111.* Chorus Ecclesiae Religiosorum, ait *Bonac.* q. V. p. 1. non est obnoxius clausurae, quia est pars Ecclesiae, nec intra monasterii septa continetur. Et hoc verum est, etiamsi Religiosi soleant ibi se inducere, et praeparare ad celebrandum; militat enim eadem ratio. Quod si ad chorum non patet accessus, nisi per partem aliquam monasterii clausurae subjectam, et tunc clausurae subjectus censendus est. Sacristia, ad quam non patet aditus nisi per januam, quae est in claustro, comprehenditur sub clausura; consequenter licitum non est foeminis in illam ingredi, ut communiter fatentur Doctores. Sacristia vero, cujus janua in Ecclesia existit, ita ut Religiosi ad illam accedere nequeant, nisi per Ecclesiam transeant, non est subjecta clausurae, quia intra monasterii septa non continetur. Si vero sacristia duas habeat portas, unam in Ecclesia existentem, alteram in claustro Religiosorum, probabilius arbitror, ait *Bonac.* loc. cit., hujusmodi sacristiam nomine monasterii comprehendi. At cl. *Ferraris* loc. cit. inquit: *praxim fere ubique videri contrariam,* ideoque di-

cendum in eas mulieres ingredientes censuram non incurrere. Infirmariae, seu domus deputatae ad recipiendos infirmos, vel ad excipiendos Religiosos tanquam hospites, non obstringuntur clausura, quia nomine monasterii non comprehenduntur; non enim Conventum habent, et Ecclesiam. Idem dicendum de monasteriis, in quibus nondum positus est Religiosorum Conventus, sed solum nonnulli Religiosi pro fabricae servitio deputati sunt. Idem affirmandum de illis domibus, in quibus in forma Conventus seu collegii non vivitur, nec ibi est Ecclesia cum Eucharistia instar aliorum monasteriorum, ita *Bonac.* loc. cit. Denique mulieres, quae vadunt in prima claustra ad hauriendam aquam, modo Conventus habeat alia claustra invia mulieribus, non violant clausuram, nec excom. incurrunt.

Ad secundum. Subjectum hujus censurae sunt mulieres clausuram Regularium virorum violantes, et Superiores, aliique eas admittentes. Regularium nomine huc veniunt, qui vota solemnia emittunt, non qui aliis religiosis Congregationibus, in quibus aliqua vota simplicia emittuntur, sunt addicti, unde non est habenda uti excommunicata illa mulier, quae clausuram alicujus domus hujusmodi Congregationum violaverit. Mulierum vero nomine veniunt omnes foeminae cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis, dummodo usu rationis pollent; quia qui usu rationis carent, legibus Ecclesiae non subjiciuntur. Unde parvulae puellae, nempe impuberes, utpote rationis usu pollentes, in lege comprehenduntur, quia si Conc. Tridentinum *sess. XXV. de Regularibus et Monialibus cap. V.* pro clausura monasteriorum Monialium statuit: *Ingredi autem intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel aetatis fuerint,* a fortiori videtur non esse tolerandum in conventibus et monasteriis virorum, ut puellae licet parvulae ingrediantur, et egrediantur ad libitum. *Ferraris.* Hinc si ingrediuntur, peccant, at nullam incurrunt censuram, quia impuberes ex generali lege, nisi exprimantur, censuram non incurrunt, prout in hoc articulo non sunt expressi; sed eam incurrunt eas admittentes. Similiter foeminae amentes et fatuae etiam in hoc articulo comprehenduntur, et prohibitioni subjiciuntur, quia ad impudicitiam excitare possunt, unde si ipsae defectu usus rationis

a peccato et censura excusantur, censuram tamen incurrunt, qui eas admittunt. In hanc censuram incidunt mulieres, etiamsi nullus Religiosus in monasterio sit; hoc enim per accidens fit.

Excipiuntur tamen ab hac prohibitione et censura: 1.° Reginae, Imperatrices ac ipsarum filiae, ut docent *Suarez De censura* disp. XXII. sess. 6. n. 12., *Sanchez.* lib. VI. cap. 17. n. 9., *Bonac.* q. IV. p. II. n. 5., quia istae sunt speciali nota dignae, et nihilominus de ipsis nullum verbum de prohibitione reperitur in hac Constit. (1). 2.° Fundatrices, quae fundum concesserunt vel situm monasterii, vel propriis sumptibus illud aedificare ceperunt, aut redditibus dotaverunt; quibus insuper remittitur decens comitatus aliarum, ita *Sporer, et Elbel* n. 650. Hoc tamen declaravit Benedictus XIV. intelligi, dummodo istae habeant privilegium a Sede Apostolica in forma Brevis, illudque exhibeant locorum Ordinariis, vel Praesulibus monasterii. *S. Alph.* VII. 231.

Excipiuntur pariter ab hac censura incurrenda mulieres, quae Regularium virorum clausuram ingrediuntur ex privilegio, vel causa gravis necessitatis. Ratio primi est, quia ingressus foeminarum in monasteria Religiosorum jure Pontificio interdictus est; ergo privilegio Summi Pontificis licitus fieri potest; ejus enim est legem relaxare, cujus est condere. At privilegium debet esse obtentum post Constitutiones Pii V. et Gregorii XIII., quia privilegia antea obtenta revocata fuerunt ab iisdem Pontificibus in suis *Motibus*. Ratio secundi est, quia praecepta Ecclesiae benigne accipienda sunt; jugum enim Christi suave est, et onus ejus leve, hinc si instat necessitas, cui alia ratione commode occurri nequeat, nisi per mulierum ingressum, possunt hae ingredi absque peccato et censura. Unde sequitur licere foeminae ingressum, si monasterium in eo loco positum sit, in quo alius non inveniatur, qui certo morborum generi mederi sciat

(1) Cl. *Ferraris* V. Conventus ait: *Imperatrices earumque filiae possunt intrare in monasteria Religiosorum cum sua decenti comitiva, quia cum Pontifices in suis Constitutionibus non fecerint mentionem de illis, credendum est noluisse ipsas comprehendere sub prohibitione.* Et *Schmalzgrueber* in suo jure Canonico *tract. XXXV.* scribit: *Ingredi in monasteria virorum possunt Imperatrices, Reginae, earumque filiae, et aliae foeminae, quae illas comitantur.*

praeter foeminam ejus rei peritam, ita *Sorbus*. Item possunt a peccato et poenis excusari foeminae eadem ratione ingredientes, si fugerent ad evitandam necem. *S. Alph.* VII. 231. Utrum autem possint etiam ingredi causa divini officii, seu ratione pietatis, uti olim poterant, dicendum non amplius posse, quia Benedictus XIV. in Bulla *Regularis* prohibuit quibuscumque foeminis ingredi clausuram Religiosorum sub praetextu pietatis ac religionis; tantum id concessit nobilibus foeminis de familia Fundatorum, vel insignium Benefactorum, qui de hoc Indultum Apostolicum obtinuerint. Qua prohibitione Benedicti XIV. revocata manet Constitutio S. Pii V. incipiens, *Decet Romanum Pontificem,* ubi permittebatur ingredi in claustra Religiosorum causa processionis, audiendae Missae, vel concionis, aut sepulturae, aut magni concursus. *S. Alph.* VII. 231.

Denique censurae hujus articuli subjiciuntur Superiores, aliique eas admittentes. Per hoc verbum *admittentes* exprimitur quod minimum est, sed non excluditur quod majus est; hinc si exprimuntur *admittentes* a fortiori comprehenduntur *introducentes*, et per *admittentes* heic intelliguntur omnes tam Superiores, quam subditi, qui directe vel indirecte in causa sunt, ut mulier ingrediatur. Non veniunt igitur tantum illi, qui ex officio tenentur talem ingressum impedire, et non impediunt, quia in textu dicitur: *Superiores et alii*, et vox *alii*, prout generica, amplectitur omnes Religiosos, quod non habetur in articulo praecedenti, ubi absolute dicitur *admittentes*, ac proinde diversa data fuit explicatio. Dixi *omnes religiosos*, quia *admittere* est eorum, qui intus sunt, nempe domesticorum, ideoque censuram non incurrunt extranei admittentes, sed tantum qui intra clausuram sunt, nempe Religiosi. *Admittentium nomine*, inquit *Ferraris*, V. Conventus art. III. n. 30. *veniunt omnes Religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative sive ratione sui officii permittentes, ut intrent.* Et subdit n. 31. *Religiosus etiam, qui nec introduxit, nec admisit, nec consuluit, nec invitavit, nec januam, aperuit, nec recepit, nec auctoritative, neque ratione officii sui*

permisit mulierem intrare, aut hujusmodi, sed eam jam introductam ex urbanitate salutat, aut ex decentia status illius per Conventum comitatur, incurrit poenas taxatas contra admittentes, recipientes, aut introducentes, si ipse sit causa efficax, quod foemina diutius detineatur in Conventu. Si tamen comitaretur, ut ea citius e Conventu egrederetur, et per rectam et breviorem viam ad egressum urgeret, nullam poenam incurreret. Matthaeucci.

VIII.

Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

Materia istius excommunicationis est duplex 1.° dare temporale pro spirituali, aut e contra in beneficio; 2.° mediatorem esse, seu procurare, ut temporale tradatur pro spirituali, vel e contra, effectu sequuto, quia ista actio videtur accessorie prohibita.. Ut autem materia hujus excommunicationis recte intelligatur, duo explicanda sunt: 1° quid nomine simoniae realis venit; 2.° quid nomine beneficii intelligitur.

Ad primum. Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali adnexum pro re temporali. Simonia potest esse mentalis, conventionalis, realis et confidentialis; de hac postrema in sequenti articulo sermonem habebimus. Mentalis est, quae intra mentem sistit, nempe habetur cum quis dat alicui temporale cum animo illum obligandi ad reddendum sibi spirituale, vel viceversa, sed absque ullo pacto externo, aut signo. Conventionalis est, cum adest pactum tacitum vel expressum, sed a neutra parte executum, et haec dicitur pure conventionalis; si vero ex una parte impletum est, mixte conventionalis appellatur. Realis autem est, cum pactum jam impletum est. *S. Alph.* III. 49. Insuper ad rectam hujus articuli intelligentiam praemittere oportet simoniam aliam esse de jure divino et naturali, et est prohibita quia mala; alia est de jure ecclesiastico, et est mala quia prohibita. Prima committitur in emptione et venditione rerum sacrarum, vel earum, quae sunt sacris adnexa, videlicet vel sunt sacra secundum suam sub-

stantiam, vel quia causaliter, vel effectualiter, vel per adnexionem spiritualia sunt. Altera vero consistit vel in emptione et venditione aliquorum officiorum temporalium Ecclesiae, ut Oeconomi, Sacristae, Procuratoris, etc. quae ab Ecclesiae prohibentur; vel in permutatione, aut resignatione beneficiorum, quae justissime Ecclesia vetuit, nisi fiant de licentia Sedis Apostolicae.

Variis simoniae speciebus declaratis satis aperte colligitur, quaenam sit simonia realis, de qua sermo est in textu, et quae omnino requiruntur, ut censura incurratur, unde ab hac excom. rei simoniae mentalis et conventionalis sunt excepti.

At ad praedictam censuram incurrendam requirituine utriusque traditio, nimirum rei et pretii, an sufficit traditio rei spiritualis, licet pretium differatur, aut postea forte non detur? Nonnulli affirmant, uti *Salm.* cap. IV. n. 9., *Sot.*, *Caj.*, *Pal.*, quia contractus venditionis perficitur vix contrahentes conveniunt de pretio, etiamsi pretium non sit solutum. hinc inito pacto dandi beneficium pro pretio temporali, si accepto beneficio illico pretium non solvitur, censura incurritur. Alii cum *S. Alph.* probabilius negant, tum quia nisi habeatur traditio rei spiritualis et pretii, actus non est completus, tum quia in jure nullibi inflinguntur poenae contra simoniam non utrinque completam, et in poenis stricta facienda est interpretatio. Et haec sententia est in praxi tenenda. At omnes generatim consentiunt sufficere ad incurrendam censuram, si pars tantum pretii promissi solvatur, nempe sit inchoata solutio, ex. gr. promissum est centum, et cum confertur beneficium datur decem, quia ex utraque parte intelligitur perfecta simonia.

Ad secundum. Quid nomine beneficii hoc in loco intelligitur, cujus occasione ista excommunicatio incurritur, dum simonia committitur? *Cajet.* cap. 75, *Navar.* cap. 27. n. 116, *Suarez* tom. V. *de censura* disp. 22, *Filliuc.* aliique asserunt intelligi non solum beneficia proprie accepta, verum etiam quodlibet munus spiritualis regiminis, ut est officium Generalis, Prioris, Provincialis, Guardiani, aut aliud simile in aliquo regulari ordine. Ratio est, tum quia textus noster generaliter loquitur, tum quia licet hujusmodi munus non sit beneficium proprie ac-

ceptum, est tamen officium ecclesiasticum, quod beneficio comparatur. At *Bonac.* disp. II. q. III. p. 24. probabilius censet nomine beneficii intelligi ea solum, quae proprie beneficia vocantur. Ratio est, quia si Summus Pontifex voluisset quaelibet officia spiritualis regiminis complecti, clarius locutus fuisset, quamobrem cum in materia poenali versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potius restringenda. Ita quoque sentiunt *Navarrus, Lessius, Azor,* aliique. Et haec sententia est in praxi tenenda. Unde sub nomine beneficii in hoc articulo non comprehenduntur pensiones, Vicariae ad nutum amovibiles, Capellaniae non collativae, quia beneficia proprie non sunt; nec in hoc articulo comprehenditur officium Inquisitoris, Legati aut similium, quae beneficia ecclesiastica proprie non sunt. Hinc licet praedicta emi aut vendi absque peccato simoniae non possint, tamen excom. non incurreret, qui hoc faceret.

At subjungitur in textu *in beneficiis quibuscumque;* hinc sive beneficia sint majora, uti Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, sive minora uti sunt cetera, sive sint saecularia sive regularia, sive curata sive simplicia, sive residentiaria sive non, sive reservata et affecta sive non, sive electiva, sive patronata, sive collativa, sive provisa per concursum, cujuscumque naturae sit beneficium, in eo simoniam realem committentes excom. incurrunt.

Subjectum istius excommunicationis sunt omnes, qui simoniam realēm in beneficiis quibuscumque committunt, et omnes, qui favore aut mediatione procurant, cooperantur, ut temporale detur, aut accipiatur pro collatione beneficii, aut pro electione aut praesentatione ad ipsum, sed effectu sequuto, quia cooperatio videtur accessorie prohibita. At incurruntne etiam istam excommunicationem S. R. E. Cardinales, Episcopi, aliique majores Praelati? Litigant interpretes. Nonnulli negant, quia in sequenti articulo volens Rom. Pontifex omnes comprehendere addit *cujuscumque sint dignitatis,* cum itaque ejusmodi verba in hoc articulo de simonia reali non adhibuerit, censendum illos excipere voluisse. Alii cum *Bonac., Salm.* (1), aliisque

(1) *Bonac.* disp. 1. q. 1. p. IV. n. 15. quaerit « Utrum Episcopi ligentur

verius affirmant, quia hic articulus generaliter loquitur: *Reos simoniae realis in beneficiis quibuscumque:* ergo comprehendit omnes, qui hoc crimen committunt. Nec obstat quod in articulo sequenti indicatur expresse excommunicatio in omnes reos simoniae confidentialis, cujuslibet sint dignitatis. Nam ibi peculiaris occurrit ratio addendi expresse haec verba, quia non obstante declaratione Pii V. in Const. *Intolerabilis,* non pauci Theologi in simonia confidentiali ab excommunicatione excipiebant Cardinales, Episcopos, aliosque majores Praelatos, et interdicto dumtaxat eosdem subjacere autumabant. Hinc Pius IX. ad quaestionem tollendam expressit verba *cujuscumque sint dignitatis.* Cum igitur ejusmodi ratio nec alia heic militat, sequi-

---

censura lata generaliter a Summo Pontifice, et sibimetipsi respondet distinguendo: si est excommunicatio, Episcopi ligantur, nisi illorum fiat exceptio; lex enim generalis generaliter intelligenda est, ita *Suarez* disp. V. sect. 4. Ratio est, tum quia Episcopi sunt subditi Summo Pontifici, tum quia ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. Si vero censura generaliter lata a Summo Pontifice est suspensio, vel interdictum, dicendum est Episcopos non ligari, nisi fiat illorum expressa mentio, cap. *Quia periculosum de sent. excommunicationis in 6.°*, ita communiter Doctores. An vero Cardinales ligentur censuris generaliter latis? *Azor* p. I. lib. V., *Salas. De legibus, Ugolinus* ostendunt Cardinales ligari censuris generaliter latis, ut patet ex rationibus allatis de Episcopis. Neque obstat, inquit *Ugolinus,* ipsorum fieri aliquando expressam mentionem; hoc enim non tollit, quin censeantur comprehensi in censura generaliter lata, etiamsi ipsorum non fiat expressa mentio; nam aliquando fit expressa mentio ad tollendum omne dubium, et abundans cautela non nocet ».

Salm. trac. X. c. I. p. 13. ajunt: « Episcopi vero sub generali censura interdicti, aut suspensionis non continentur, nisi de his mentio fiat; et ideo licet peccent contra praeceptum continens illam, non tamen eam incurrunt, quia ipsis conceditur in cap. *Quia periculosum de sent. excommunicationis in 6.°*, quod nisi exprimuntur, non subjiciuntur dictis poenis. Idem dicendum est de Cardinalibus, sed quia in dicto capite solum fit mentio de suspensione, et interdicto, non vero de excommunicatione, communis fert Doctorum sententia subjacere legibus, aut mandatis sub excommunicatione praecipientibus: etiamsi de illis expressa mentio non fiat, et incurrere talem excommunicationem, si contra dictas leges agant. » Ita quoque sentiunt *Pal., Cand., Sayr., Bonac., Suarez.*

tur quod haec verba praetermissa fuere non quia excipiebantur Cardinales, Episcopi aliique majores Praelati, sed quia de eis mentionem facere superfluum erat.

IX.

Reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, et Patrum decretis contraria (1), Pius IX. in hoc articulo excommunicatione percussit eos, qui simoniam confidentialem in beneficiis committunt. Simonia confidentialis dicitur ea, quae fit hoc pacto, ut beneficium, vel fructus in totum, vel in partem restituantur, vel reserventur ipsimet resignanti, conferenti, eligenti, vel praesentanti, aut alteri juxta ipsius electionem.

Materia igitur istius excommunicationis sunt confidentiales collationes et resignationes beneficiorum. Hoc autem fieri potest vel per accessum, vel per ingressum, vel per regressum, vel per pensionem. Per accessum committitur simonia confidentialis, quando quis volens conferre beneficium alicui inhabili per aetatem, illud confert alteri cum pacto, ut beneficium dimittat statim ac inhabilis fiat habilis. Per ingressum committitur, quando quis beneficium sibi collatum ante captam ejus possessionem alteri resignat, servato sibi jure beneficii possessionem ingrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per regressum committitur, quando quis post captam beneficii possessionem illud alteri resignat, servato sibi jure in eamdem possessionem regrediendi, si iste beneficium sit dimissurus. Per pensionem denique committitur, quando quis suum beneficium alteri resignat reservans sibi juxta aliquos, vel alteri ex privata auctoritate aliquam pensionem (2).

(1) Ita Trid. sess. XXV. cap. 7. *de Reform.*

(2) Utrum sit simonia confidentialis, an communis tantum si *sibi* reservetur ex privata auctoritate aliqua pensio, quaestio est. At sumus in poenis et odiosis, et stricta facienda est interpretatio.

Ut autem haec censura incurratur requiritur: — 1.° ut simonia confidentialis committatur in collationibus, aut resignationibus beneficiorum, non autem pensionum aliarumve rerum: immo nec in permutationibus beneficiorum, uti tenent *Nav.*, *Suarez, Lessius*, *Laym.*, *Pirhing*, quia verba odiosa non sunt extendenda ultra id, quod significant, nam in textu dicitur *reos simoniae confidentialis in beneficiis quibuslibet.* Hinc si confidentia est de aliis rebus temporalibus, vel etiam spiritualibus conferendis nulla ratione ad illud beneficium resignatum spectantibus, quamvis in his et similibus casibus quaedam simonia confidentialis reperiatur, non tamen illa est, de qua Pontifices loquuti sunt, et ad quam innuit praesens articulus; — 2.° pactum saltem tacitum ab utraque parte initum, ut omnes cum *S. Alph.* III. 87. tenent; hinc si quis resignat beneficium alteri sine pacto, sed cum spe, ut ille ex sola gratitudine iterum illud resignet in sui favorem, vel ei solvat aliquid ex beneficii fructibus, hanc censuram non incurrit, quia in hoc casu simonia esset mentalis. Neque eam incurrit beneficii collator, aut illud resignans, si suum animum obligandi alterum ad iterum resignandum declaret, sed recipiens non intendit se obligare; quia hic reipsa non dicitur accipere beneficium in confidentiam, cum non annuat spei et fiduciae resignantis; — 3.° ut pactum interveniat super beneficium ipsum, vel ejus fructus; hinc si quis confert vel resignat beneficium Cajo cum confidentia, ut aliud beneficium resignet, vel pensionem ex alio beneficio ei solvat, erit simonia communis, uti notant *Suarez, Laymann, Pirhing*, sed non confidentialis in hoc articulo sub censura vetita, quia non comprehenditur sub speciebus simoniae confidentialis supra enumeratis; — 4.° ut resignatio beneficii in confidentiam facta fiat in manu Superioris, quia si quis resignaret beneficium cum confidentia, sed auctoritate propria, peccaret utique, sed non incurreret praedictam censuram, quia talis resignatio esset nulla, etiam quando illa simoniaca pactio non intervenisset. *S. Alph.* III. 90.; — 5.° ut pactum confidentiale saltem ex una parte impletum sit, nempe sit datum et acceptum beneficium, licet accipiens suam promissionem non impleverit, vel pensionem non solverit; secus erit simonia pure conventio-

nalis, pro qua non adsunt poenae. Necesse enim non est, quod pactum confidentiale ex utraque parte impletum sit, ita omnes ex Bulla S. Pii V. *Intolerabilis,* in qua idem habetur. Ratio est, quia receptio beneficii in confidentiam est actio sub censura prohibita, nec aliud desideratur. Haec autem excommunicatio incurritur statim post receptionem beneficii ante captam illius pacificam possessionem, quia recepto beneficio completa videtur actio sub censura prohibita; beneficiarius enim dicitur beneficium recipere post collationem.

Ex dictis colligitur excommunicationem non incurrere, qui renuntiat beneficium in manibus collatoris, confidens illud a collatore conferendum ei, quem ipse resignans designaverit, quia collatio libere et sine ullo pacto fuit facta. Nec ea ligari, qui absque ullo pacto procurat beneficium alicui conferri, sperans fore ut beneficiarius illud sibi, vel alteri in sui favorem resignet; in his enim casibus simonia est mentalis. Similiter excommunicatione non affici illum, qui recipit beneficium resignatum animo illud postea restituendi danti, aut ejus amico, vel alteri, sed resignans non habet hanc spem et confidentiam. Ratio est, quia in hoc casu non committitur simonia confidentialis, cum simonia confidentialis originem trahat a spe et confidentia ipsius conferentis, eligentis, praesentantis, aut resignantis, ita *Suarez.* Pariter non ligari vinculo excommunicationis illum, qui beneficium recipit putans illud sibi resignari cum spe, et fiducia restituendi illud eidem resignanti, vel alteri in ipsius favorem, sed resignans hujusmodi spem et fiduciam re ipsa non habebat. Ratio est, quia conscientia erronea non inducit excommunicationem, sed eam inducit delictum sub excom. prohibitum. Denique eam non incurrere, qui ficte consentit spei et fiduciae conferentis aut resignantis, quia ad simoniam confidentialem constituendam requiritur pactum sive expressum sive tacitum, et ad pactum requiritur consensus; deficiente igitur consensu, simonia confidentialis deest.

At subjungitur in textu *quibuslibet*, hinc sive beneficium sit curatum sive simplex, sive saeculare sive regulare, semper censura incurritur.

Subjectum istius excommunicationis sunt omnes et singuli,

qui in beneficiis simoniam confidentialem quovis modo supra explicato committunt. Et quoniam in textu dicitur *reos* absolute, et hujusmodi simoniae rei sunt tam dantes, quam recipientes beneficia confidentialiter, sequitur quod tam primi, quam alteri in hanc excommunicationem incidunt. Insuper eam incurrunt omnes quacumque dignitate fulgentes, quia in textu dicitur: *cujuscumque sint dignitatis*, hinc S. R. E. Cardinales, Episcopi aliique Praelati majores, si hujusmodi simoniae reos se constituunt, hac censura ligantur. At eam non incurrunt hujus criminis complices et mediatores, quia in textu non exprimuntur; quos enim legislator in eadem Constitutione expressit, eos comprehendere voluit.

X.

Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.

Ad tollendum simoniae crimen, quod admittebatur occasione ingressus in Religionem, cum magno aliorum scandalo, et non sine gravi damno nonnullorum ad perfectiorem vitae statum in Religione aspirantium, qui cum tot expensas et sumptus facere non possent, a Religione capessenda retrahebantur, jure merito Rom. Pontifices, et nuperrime Pius IX. in hoc articulo excommunicationem imposuit omnibus et singulis, qui dant, vel recipiunt aliquid ex pacto pro ingressu in Religionem.

Materia hujus excommunicationis sunt duae actiones simoniacae. Prima est dare aliquid ex pacto pro ingressu in Religionem, idest pro admissione ad eam. Secunda actio est accipere aliquid ex praevio pacto ad eundem finem. Istae duae actiones continentur in illis verbis: *Reos simoniae realis ob ingressum in Religionem.* Nam simonia realis non habetur, nisi pactum ex utraque parte impletum sit, ideoque verificari debet datio et acceptio. At si in textu dicitur censuram incurri pro ingressu in Religionem, potiori jure idem dicendum est pro admissione ad professionem; nam ubi exprimitur minus, quod majus est comprehenditur. Quin imo si professio non sequatur, licet commissa sit simoniae culpa pro ingressu in Religionem, tamen valde pro-

babile est hanc excommunicationem non incurri in ipso ingressu, sed in professione; ita ut si receptio ad habitum fuerit simoniaca, et postea pactum retractetur, et pecunia vel non accipiatur, vel restituatur, et ad professionem gratis novitius admittatur, talis excommunicatio non incurritur. Ratio est, quia censura non incurritur, nisi adsit effectus completus sub censura prohibitus, effectus autem sub censura prohibitus tunc solum completur, cum emittitur religiosa professio; nam ingressus in Religionem principaliter ordinatur ad religiosam professionem tanquam ad finem; hinc usque dum professio non emittitur, receptio ad religiosum statum non consummatur. At e contra, licet quis ad habitum gratis admittatur, si postea in professione committitur simonia, hoc sufficit pro hac censura incurrenda, quia ibi actus plene consummatur, ita *Suarez* lib. IV. *De simonia* cap. LVI. n. 7., *Salm.* tract. XVIII. cap. IV. p. II. n. 12., *Lezana* n. 56. *Palaus*, *Bonac.* n. 11., *Pirhing.* Hanc sententiam etiam valde probabilem appellat *S. Alhp.* III. 108. Non desunt tamen probatissimi auctores, qui tuentur Rom. Pontifices per ingressum in Religionem intellexisse religiosam professionem, et addunt ita jus antiquum ab omnibus canonistis intellectum fuisse, ita *Schmalzgrueber, Reiffenstuel.* Ceterum in odiosis stricta facienda est interpretatio, et in obscuris quod minimum est tenendum, ideoque ad emissionem professionis coarctanda est excommunicatio.

Ex dictis sequitur: — 1.° excommunicationem non incurri, si aliquid mere sponte et liberaliter detur, et accipiatur ob ingressum in Religionem, sine pacto expresso vel tacito, quia hoc per se malum non est, nec in hac Constitutione prohibitum. *Suarez disp. XXII. De censuris sect. V. VII.;* — 2.° censura non ligari illum, qui pecuniam tradit hoc animo, ut admittatur in Religionem, sed mentem suam recipienti non aperit, esset enim simonia mentalis, pro qua nulla lata est censura; — 3.° illum, qui pecuniam tradit vel accipit, ut obtineat, vel ferat votum et suffragium pro ingressu in Religionem, si votum erat necessarium ad ingressum, vel egit cum conspiratione cum aliis, huic censurae subjacere; secus non; — 4.° illum, qui pingues eleemosynas monasterio elargit, ut facilius, promptius et alacrius in mona-

sterium ob id recipiatur, hanc censuram non incurrere, quia non admittitur ob remunerationem acceptorum, sed ex gratitudine ad benefactorem, et ex benevolentia per tales eleemosynas ab ipso comparata, ita *D. Thomas, Salm.* loc. cit.

At incurriturne censura, si aliquid temporale datur vel accipitur, non pro ingressu, aut professione aut statu Religionis accipiendo, sed pro sustentatione recipientis? In hac difficultate ut certa ab incertis separemus, uti certissimum statuendum est — 1.° quod pro alimentis, victu et vestitu pro anno novitiatus aliquid exigere est liberum a simonia et censura, etiamsi ditissimum sit monasterium. Nam hoc nec a jure divino nec positivo est vetitum; quin imo Conc. Trid. sess. XXV. cap. XVI. *de Regularibus* permittit, ut Religio possit suscipere pro anno novitiatus ex bonis novitii necessaria ad victum, vestitum, et alias expensas ejus; secus gravarentur valde Coenobia, si omnes novitii advenientes sine aliqua soluta pecunia reciperentur, et deberent necessario ali ex bonis ipsius monasterii; quia possent a Religione exire, utpote haud raro evenit, et monasterium damnum in bonis pateretur. *Salm.* loc. cit.; — 2.° certum est, quod si recipiendus ad habitum vel professionem sit homo talis conditionis, quod vel ob aetatem nimiam, vel ob aegritudines habituales, vel ob debilitatem, vel ob intellectus tarditatem, vel ob alias rationes prudenter timetur gravosum futurum esse Religioni, cui inservire debebit, et fortasse indiget, ut ab aliis serviatur, in quo maximum onus accrescit monasterio, pretium aliquod requirere, non ut pretium receptionis, sed ut compensentur onera Religionis, et ipse minus gravis appareat, non est simonia, proindeque censura non incurritur, ita *D. Thomas* 2. 2.ae q. C. ad 4.um, *Croix* lib. III. p. 1. n. 287., *Salm.* loc. cit.; — 3.° certum est Moniales, quae nolunt ullam in monasterium admittere, nisi congruam dotem afferat, non affici poena istius excommunicationis, tum ob consuetudinem legitimo tempore receptam et toleratam, tum quia multi Pontifices, ut referunt DD. apud *Suarez.* disp. XXII. sect. V., exemerunt ab hac censura Moniales accipientes dotem ob ingressum alicujus in monasterium. Et *S. Alphonsus* refert Clementem VIII. indulsisse Monialium monasteriis posse pacisci de dote recipien-

darum pro earum sustentatione. Ratio est, quia Monialcs ob fragilitatem et debilitatem sexus sunt magis diversis accidentibus abnoxiae, continuisque infirmitatibus gravatae. Ut igitur monasteria eas sustineant, etiamsi ditissima sint, possunt dotem exigere absque ulla simonia et censura. Quod si exigunt aliquid ultra congruam sustentationem, non excusantur ab hac censura, nisi aliud ferat consuetudo, aut nisi liberaliter tradatur et non ex pacto. Excipe si amplius reciperetur, quia ingressura est minus nobilis, vel deformis, vel alia infamia notata, et inde eveniret monasterio detrimentum vel in honore, vel in rebus aliis temporalibus, quia hoc compensari per incrementum dotis licite potest; sicut licet in matrimonio compensare inaequalitatem nobilitatis, vel alterius rei inter conjuges per dotis augumentum, ita *Sanchez.* lib. II. cap. III. n. 7., *Salm.* loc. cit.

His certis casibus seclusis incurriturne censura aliquid temporale dando vel accipiendo pro sustentatione ingredientis, non pro anno novitiatus, quod licet ex dictis, sed pro reliquo vitae tempore? Si monasterium est inops et insufficiens ad alendos Religiosos, potest ab ingressuris peti, et cum illis pacisci de tali, vel tali summa danda, non ut pretium ingressus, sed ut stipendium ad sustentationem Religiosi. Id enim neque ex jure humano prohibetur, neque ex jure divino, quia non datur, vel accipitur temporale pro spirituali, sed temporale pro temporali; dummodo amplius non ab eo exigatur, quam pro sustentatione illius pro tota vita requiritur. Insuper si ex Trid. sess. XXV. cap. VI. pro tempore probationis licitum est sustentationem exigere, potest etiam id fieri pro tempore professionis, et reliquo vitae tempore, si ex parte monasterii adsit vera indigentia, ita cum *D. Thoma, Suarez, Salm., Pirhing,* et omnes communiter. Si vero monasterium est opulentum, quatenus potest alere suos Religiosos, litigant Doctores. Nonnulli negant esse simoniam (1), alii affir-

(1) Ratio est quia talis exactio, et receptio pecuniae titulo sustentationis est ejusdem rationis in divite ac in paupere monasterio; in utroque enim non apponitur, ut pretium receptionis ad statum, quod est aliquid spirituale, sed ut stipendium ad sustentationem personae, quod est aliquid temporale, et sic in utroque non temporale pro spirituali, sed temporale pro temporali commutatur: ergo si ob hanc rationem ex *D. Thoma,* et ex

mant (1). Quaestio igitur est, et pro re dubia non potest profecto incurri poena, nullus enim de excommunicatione damnandus est, nisi de crimine certo constet.

Subjectum hujus excommunicationis sunt omnes et singuli, qui aliquid dant vel accipiunt pro ingressu in Religionem, sive viri sive foeminae, sive laici sive clerici, quia generatim dicitur in textu *Reos*. At praedicti censuram incurrunt:—1.° post expletam professionem, non antea in simplici ingressu, quia tunc consummatur delictum juxta fere communem sententiam; — 2.° quando ex utraque parte completa est simonia, vel saltem inchoata sit traditio rei temporalis, secus non erit simonia realis;— 3.° quando acceptum est pretium pro admissione ad professionem, non pro sustentatione sive monasterium sit inops, sive dives, uti colligitur ex dictis.

---

communi sententia non est simoniacum. nec incurritur censura hoc titulo a conventu paupere aliquid recipere: idem dicendum est de divite. Hoc tamen intelligendum, modo non adsit excessus, neque adsit scandalum, in quo postremo casu peccatur contra charitatem, at non incurritur censura.

(1) Ratio est, quia monasteriorum bona ab Ecclesia instituta sunt, ordinata et concessa, ut ex eis alatur, qui in religioso statu vult Domino inservire. Unde qui legitime petit in tali statu admitti, jus habet quasi ad rem ad bona illius conventus, in quem ingredi desiderat; quod quidem jus spirituale est, quamvis adnexum temporali; ergo pro tali jure aliquid ab ingredientibus temporale exigere erit simoniacum, et incurritur censura. Quapropter si monasterium est opulentum, et aliquid pro sustentatione ingredientis exigit, vendit ei jus, quod ille post receptionem jam est adepturus. Hanc rationem sibi valde urgere ait *D. Alphonsus* III. 92. Et quamvis illa sustentatio sit aliquid temporale, est vero quid consequenter adnexum ad spirituale. Insuper quando monasteria opulenta sunt et sufficienter dotata, tunc cessat jus exigendi aliquid ratione sustentationis, et aliquid recipere est simonia, et incurritur censura.

XI.

Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V, Quam plenum, 2 *Januarii 1569.*

Prava quaedam consuetudo, et corruptela in Hispaniis invaluerat, qua praetextu reparationum Ecclesiarum, et aliarum piarum causarum solventibus certam pecuniae summam concedebantur indulgentiae, et aliae gratiae spirituales, nempe 1.° concedebatur facultas sibi eligendi sacerdotem, qui, confessione audita, absolvere ipsum valebat, non in iis tantum casibus, in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, qui solis Episcopis, nec non S. Sedi reservati reperiuntur; 2.° concedebatur celebratio Missae, et sepultura tempore interdicti; 3.° ciborum prohibitorum usus; 4.° assumptio plurium compatrum ad sacrum baptisma, contra decretum Tridentini; 5.° absolutio a reali simonia Papae reservata. Ne autem istae simoniacae facultates in futurum a quoquam concederentur, Pius V. in Constit. *Quam plenum* id omnino proscripsit, et anathemate mulctavit eos ecclesiasticos Episcopis inferiores, qui talia peragerent. Pius autem IX. iisdem vestigiis insistens eandem excommunicationem retinuit in articulo XI. Constitutionis *Ap. Sedis*, ubi legitur: *Omnes, qui quaestum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V.* Quam plenum 2 *Januarii 1569.*

Materia igitur istius censurae est simoniacum mercimonium, quod committitur publicando (1), vel concedendo indulgentias aliasque gratias spirituales solventibus certam pecuniae summam, prout in Constitutione Pii V. *Quam plenum;* dicitur enim in hac Constitutione: *Et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur, districtius prohibemus. Quicumque*

(1) Publicatio habetur, cum denuntiatur fidelibus concedi indulgentias, et alias sacras facultates illis, qui certam pecuniae summam solvunt. Concessio habetur, quando revera indulgentia aut alia sacra facultas confertur aliquid solventibus.

secus egerint..... inferiores ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant.

Ut haec censura incurratur, requiritur: — 1.° ut publicatio, vel concessio fiat de indulgentiis et facultatibus in Constitutione Pii V. *Quam plenum* recensitis, quia Pius IX. in hoc articulo excommunicatione plectit eos, qui quaestum faciunt ex indulgentiis, aliisque gratiis spiritualibus, prout in Constitutione S. Pii V. Jam vero Pius V. non omnes quaestus gratiarum spiritualium, sed nonnullos tantummodo sub censura prohibuit; dicit enim in sua Constitutione, *et ne talia de cetero a quoquam fiant.* Ubi notandum illam particulam *talia* non significare similitudinem, sed referri ad praedicta. *Bonac.* tom. III. disp. II. q. II. p. XXX. n. 4.; — 2.° ut quaestus ex indulgentiarum vel aliarum gratiarum spiritualium publicatione vel concessione reapse fiat, scilicet necesse est, ut ex una parte indulgentiae, vel gratiae spirituales publicentur, vel concedantur, et ex altera parte pecunia solvatur; dicitur enim in textu, *quaestum facientes.* Hinc si quis gratias spirituales publicet, aut concedat, et quacumque de causa nullam pecuniam accipiat, excom. non incurrit, nullum enim quaestum facit; incurrit autem, si partem pretii accipiat, quia habetur realis commutatio rei spiritualis cum temporali pretio.

At ut explicatio hujus articuli clarior evadat, notandum est:— 1.° hanc censuram incurrere non tantum eos, qui publicant, aut concedunt, sed etiam eos, qui per alios hoc faciunt; tum quia vere ipsi quaestum faciunt, et Pius IX. non nudum factum, sed quaestum sub censura interdicit; tum quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur; tum quia in Constitutione *Quam plenum* Pii V. sermo etiam est de jubentibus seu mandantibus, legitur enim: *et indicem praeterea casuum ac indulgentiarum aedibus sacris appendi jusserunt;* et licet his verbis non imponatur censura, imponitur tamen in subsequentibus verbis, quae ad praecedentia relationem habent. Attamen qui mandarunt hujusmodi indulgentias vel facultates publicari, aut concedi, si reipsa publicatae, vel concessae non fuerint, hac censura non afficiuntur. Ratio est, quia excommunicatio non incurritur, nisi adsit opus perfectum et completum sub censura prohibi-

tum. *Bonac.* loc. cit. n. 7 ; — 2.° eos, qui hujusmodi publicationi vel concessioni cooperantur, huic excommunicationi non subjici; quia Constitutio Pii V. de his non loquitur, et in materia poenali non valet argumentum a pari, vel a majori ad minus: hinc tantum principalis agens excom. incurrit, quamvis aliorum opera utatur, ita omnes;—3.° quod si in Constitutione Pii V. inter gratias spirituales accensetur facultas absolvendi a casibus reservatis, nomine casuum intelliguntur non solum casus simpliciter reservati, verum etiam habentes adnexam censuram, quia Summus Pontifex loquitur non solum de casibus Episcopo reservatis, verum etiam de reservatis Summo Pontifici (1). At Summus Pontifex reservat ratione censurae; ergo dicendum nomine casuum intelligi non solum casus simpliciter reservatos, verum etiam habentes adnexam censuram. *Bonac.* loc. cit. n. 3; — 4.° censuram incurri, sive publicatio aut concessio indulgentiarum aut gratiarum spiritualium fiat publice, sive privatim. Enimvero ratio excommunicationis est quaestus, qui haberi potest sive indulgentia vel gratia spiritualis concedatur publice, uti si publicetur aut affigatur ad valvas Ecclesiae index indulgentiarum, aut gratiarum spiritualium pecunia comparandarum, sive a privatis personis privato prorsus modo id fiat. Hoc eruitur etiam ex Constitutione S. Pii V. cap. V., uti in nota (2); — 5.° hanc excommunicationem incurrere tantummodo concedentes indulgentias, aliasque gratias spirituales, et quaestum exinde facientes, non autem emptores et pecuniam solventes.

---

(1) En verba Constitutionis: *Qui, confessione audita, ipsum absolvere valeat non in iis tantum casibus in quibus simplex sacerdos absolvere potest, sed etiam in iis, quae solis Episcopis reservata reperiuntur, aliquo praeterea casu admixto, qui ad examen hujus Sanctae Sedis esset omnino referendus.* Sed casus referendus, seu spectans ad Sanctam Sedem regulariter loquendo, est casus reservatus sive ratione excommunicationis, sive alterius censurae: ergo etc.

(2) *Nec non scripturas et monumenta quaecumque publica et privata per ipsos locorum Ordinarios et alios Ecclesiarum rectores, ubicumque reperientur, dilacerari, confringi penitusque deleri: et ne talia de cetero a quoquam fiant, publicentur vel concedantur; districtius prohibemus.*

Subjectum hujus excommunicationis sunt omnes Episcopis inferiores, qui tale crimen committunt; dicitur enim in Constitutione Pii V. *inferiores vero ab Episcopis sententiam excommunicationis incurrant.* Hinc antea si Cardinales, Episcopi hujusmodi crimen committentes in suspensionem ab ingressu, et perceptione fructuum suarum Ecclesiarum incurrebant, nunc haec suspensio abrogata censenda est, quia in Constitutione *Ap. Sedis* a Pio IX. renovata non fuit.

XII.

Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.

Materia hujus excommunicationis est quoddam veluti mercimonium circa Missarum stipendia, quo turpe lucrum captatur, colligendo Missarum eleemosynas majoris pretii, et faciendo postea eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia, consuetudine vel synodali statuto, minoris pretii esse solent.

Antequam ea, quae ad hanc excommunicationem incurrendam requiruntur, videamus, animadvertere oportet: — 1.° hanc excom. jam latam fuisse a Benedicto XIV. in sua Constitutione *Quanta cura* contra laicos hujusmodi mercaturam exercentes, et contra clericos statutam fuisse suspensionem, quam postea Pius IX. in Constitutione *Apost. Sed.* abrogavit. Hinc si hujusmodi articulus originem ducit ex Constit. *Quanta cura* Benedicti XIV., juxta ejusdem Constitutionis sensum intelligenda sunt ea omnia, quae non fuerunt mutata. Jam vero Bened. XIV. de Missis manualibus locutus fuit in sua Constitutione *Quanta cura;* ideoque etiam de istis hic articulus intelligendus est, praesertim cum iisdem Benedicti XIV. verbis utatur. Et hoc clare patet ex ipso verbo *colligentes;* unde ajebat *S. Alph.* VI. 321. *Decreta prohibentia retinere partem stipendii tantum loquuntur de Missis manualibus* (1); — 2.° sub hoc legis praescripto cadere

(1) Missae vero manuales eaedem sunt ac Missae adventitiae, illae sci-

hujusmodi lucrum sic perceptum, etiamsi sacerdos celebrans acquiescat minori stipendio Missam celebrare; uti eruitur ex laudata Constitutione Benedicti XIV., ejusque Institutione 56., ex *Ligorio* VI. 321., et ex decreto S. C. Concilii anno 1697., et anno 1860. die 20 Augusti, nec non an. 1874. die 23 Julii, quia de sanctissimae rei decore agitur. Excepto tamen casu, ait *Ligorius* loc. cit., quo sacerdos, cui committitur celebratio, liberaliter et omnino sponte (idest non rogatus, nec quaesitus a committente) condonet excessum illum; sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem; — 3.° praedictum mercimonium esse materiam hujus excommunicationis, quoties lucrum materiam gravem attingit, quae quidem gravitas materiae ex parvis lucris coalescere potest. Quando igitur diversa lucra ex Missis hac mercatura percepta ad gravem materiam perveniunt, tunc censura incurritur.

Hoc posito ut praedicta censura incurratur, requiritur:— 1.° ut colligantur Missarum eleemosynae. At quinam dicuntur *colligentes?* Sub hoc nomine non veniunt tantum ii, qui ex officio vel quasi officio Missas a fidelibus oblatas recipiunt, sed etiam privatae personae, quae a Christifidelibus Missas petunt, easque minori stipendio alibi celebrari faciunt; hi enim veri sunt collectores, ideoque sub legis dispositione comprehenduntur. Hinc non ligantur hac censura collectores illi, qui Missas ab uno vel duobus tantum colligunt, cum verbum *colligentes* significet Missarum eleemosynas a pluribus esse accipiendas. Quinam autem esse debeat collectarum Missarum numerus, non determinatur in hoc articulo; at talis esse sufficit, ut ex communi loquendi usu collector verum lucrum reportet. Revera in textu legitur: *Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes;* quoties igitur quis colligit eleemosynas majoris

licet, quae a fidelibus brevi manu offeruntur, quin pro eis aut fundus, aut perpetuum onus constituatur, et plerumque solvitur eleemosyna ex consuetudine vel taxa synodali constituta. Id eruitur non solum ex Benedicto XIV., qui in *Inst. 56.* inquit. *Missae adventitiae vocantur illae, pro quibus stipendium a fidelibus traditur, ita tamen ut nullus fundus, nullumque onus in futurum tempus constituatur, sed* etiam ex responsione S. C. Concilii data 25 Nov. 1698. Episcopo Interamnensi.

pretii, non certe unam aut alteram, nec paucas, quae materiam parvam constituere possunt, sed tales ut ex iis verum grave lucrum captet, hanc excommunicationem incurrit. Ideoque non requiritur copiosa Missarum collectio, sed talis, quae lucrum verum et proprie dictum importat. Unde colligitur censuram non incurrere illum (licet peccet), qui Missas sibi sponte datas ad celebrandum alibi celebrari faceret minori stipendio, percepto inde lucro; nec illum, cui Missae ab alio celebrandae sponte committuntur, et alibi minori pretio celebrare curaret, quia isti non sunt collectores;— 2.° ut haec collectio fiat causa lucri. Hinc si quis colligit Missas, et eas alibi mittit celebrandas eodem pretio vel etiam minori stipendio, sed lucrum pro usu pio, pro eleemosynis, pro reparandis Ecclesiis erogat, licet peccet, excommunicationem tamen non incurrit, quia textus dicit: *et ex iis lucrum captantes*, et iste nullum lucrum reportat. Item probabiliter non peccat, neque excommunicationem incurrit ille, qui moderatam retinet mercedem ex Missis collectis juxta rationem sui laboris. Id non videtur improbabile, ait *S. Alph.* VI. 322., si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur; in hoc enim casu ejusmodi merces ei debetur ex naturali aequitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium;—3.° ut Missae mittantur celebrandae in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent, vel consuetudine vel synodali lege. Hinc censuram non incurrit ille, qui Missas celebrari facit in locis, ubi eodem stipendio celebrantur, quamvis stipendii partem retineat, (1) quia non verificantur verba legis, idest *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* At quid dicendum de eo, qui retenta sibi aliqua parte stipendii Missas celebrari facit eodem loco, quo eas collegerat? Non consentiunt Theologi. Nonnulli affirmant, et id deducunt 1.° ex ratione, seu fine datae legis, nempe ad execrabile lucrum removendum; 2.° ex identitate verborum *in locis*, quae habentur in Constitutione Pii IX., cum verbis sive *ibidem*, sive *alibi* Constitutionis Benedicti XIV.; 3.° ex inutilitate legis, si de eo-

(1) Hoc eveniret, si ex inopia Missarum sacerdos alterius loci peteret Missas, eas acceptans etiam minoris stipendii, quia iis caret.

dem loco non intelligeretur quoque prohibitio. Alii verius et probabilius negant; 1.° quia verba *in locis ubi* etc. in sensu obvio alia loca indicant; 2.° quia si verba *in locis* etiam ad eadem loca referrentur, eleemosynae et stipendia Missarum essent in eodem loco, sive synodali lege sive consuetudine, majoris simul et minoris pretii, quod verificari non potest, nam taxa synodalis aut consuetudo in eodem loco eadem est; referenda sunt igitur verba *in locis* ad diversa loca. Verum quidem est posse quandoque quempiam in eodem loco colligere stipendia taxam excedentia, et ibidem statutum stipendium aliis tradere, excessu sibi retento; at hi casus rariores sunt, et lex casus communes non extraordinarios respicit. Sed huic quaestioni finem imposuit Cong. S. Officii quae interrogata: Utrum colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, si eas celebrari faciunt in eodem loco ubi collegerunt pro minori pretio hanc censuram incurrant, necne? Respondit die 13 Januarii 1892.: *Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am;* — 4.° ut effective detur minus stipendium. Nam ad incurrendam censuram delictum completum esse oportet; hinc si pravo animo collectis Missis postea collector in se reversus mali se poeniteat, et totum stipendium tribuat, censuram non incurrit; ita etiam si quis numerando pecuniam erret, et putans mittere minus stipendium totum stipendium alibi mittit, censuram non incurrit. Praedicta enim requiruntur, ut haec censura incurratur, quae si desunt, graviter quidem peccari poterit, at censura non tenet.

Subjectum hujus censurae sunt omnes sive laici sive clerici, qui hujus criminis reos se reddunt. Olim ex Constitutione Benedicti XIV. *Quanta cura* pro laicis aderat excommunicatio, pro clericis suspensio; at suspensionem Pius IX. in Constit. *Apost. Sed.* penitus abrogavit. Hinc si in hoc articulo Pius IX. generice prorsus excommunicat *colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes*, sequitur quod cum isti esse possint tam clerici quam laici, tam primi quam alteri sunt subjectum istius excommunicationis.

XIII.

Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V, Admonet nos, *quarto Kalendas Aprilis 1567; Innocentii IX,* Quae ab hac Sede, *pridie nonas Novembris 1591; Clementis VIII,* Ad Romani Pontificis curam, *26 Junii 1592; et Alexandri VII,* Inter ceteras, *nono Kalendas Novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus* (1).

Ut temporale dominium S. Sedis inviolatum servaretur, et ne quis auderet Rom. Pontificem aliquo pacto impellere ad illud alienandum, vel feudo tradendum, Pius IX. in hoc articulo excommunicavit omnes, qui censura mulctantur in praedictis Constitutionibus. Hinc illae actiones et personae excommunicationi subjiciuntur, quae excommunicationi in allegatis quatuor Constitutionibus subjectae reperiuntur; hoc tantum discrimine, quod primitus excommunicatio erat speciali modo, nunc generali modo est reservata.

(1) En verba Constitutionis Pii V. *Admonet nos*, quae ad excommunicationem referuntur. *Statuimusque et decernimus, quod omnes et singulae, tam Communitates et Universitates, quam cives et incolae civitatum et locorum praedictorum (quae S. Sedi in temporalibus sunt subjecta), aliaeque quaecumque personae tum ecclesiasticae, tum saeculares, cujusvis dignitatis et ordinis, etiam Episcopalis vel majoris existentes, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, tam publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdem Gubernatores aut Sedis Apostolicae Legati vel Pro-Legati existant, tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus, etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone, aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis, seu de postulandis a Nobis et Sede praefata quibusvis personis cujusvis dignitatis, status, gradus,*

Materia istius excommunicationis sunt istae actiones. Prima est tractare, consulere, aut alia ratione verba facere de alienandis aut infeudandis bonis immediate pertinentibus ad Ecclesiam Romanam; nam in textu dicitur: *tractantes, consulentes, aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Nos et Sedem Apostolicam spectantibus et pertinentibus..... seu de postulandis a Nobis et Sede praefata quibusvis personis cujusvis dignitatis, status, gradus..... in Duces, Vicarios, Gubernatores..... civitatum et locorum praefatorum.* Secunda actio est insinuare, vel suadere hujusmodi alienationem Summo Pontifici, sive id fiat per se sive per alium; nam in textu dicitur: *aut alii quicumque alienationes hujusmodi Rom. Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.* Haec duo explicantur.

Ad primam actionem prohibitam quod attinet. Illi dicuntur *tractantes* qui simul conferunt, agunt de hujusmodi alienatione aut infeudatione facienda. *Consulentes* illi sunt, qui tractantibus de infeudationibus aut alienationibus consilium praebent pro re ad effectum deducenda (1). *Verba facientes* sunt ii, qui de

---

etiam Nobis et Successoribus nostris secundum carnem conjunctis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aut quavis alia temporali vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, in Duces, Vicarios, Gubernatores seu quemvis alium titulum, ad vitam vel in perpetuum vel longum tempus, aut etiam ad Sedis Apostolicae beneplacitum, civitatum et locorum praefatorum, ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et Successores nostros super praemissis vel illorum occasione mittendis, proponentes, tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes, aut alii quicumque alienationes hujusmodi Romano Pontifici pro tempore existenti, per se vel alium seu alios, insinuantes vel suadentes eo ipso sententiam excommunitionis incurrant, a qua, nisi ab ipso Pontifice, praeterquam in mortis articulo, absolvi nequeant.

(1) At heic non agitur de iis, qui consilium dant Romano Pontifici, nam de istis sub fine paragraphi sermo fit, sed de iis consulentibus, qui in locis ipsis ubi morantur, vel alibi ejusmodi porrigunt consilia ad hunc effectum obtinendum, et hoc eruitur ex ipsis verbis Constitutionis Pii V. *tum publice in consiliis civitatum, et locorum praefatorum.... quam privatim alibi in quibusvis locis, etiamsi civitatum et terrarum earumdem guber-*

praedictis serio loquuntur, interna scilicet animi persuasione de rei necessitate aut utilitate. Ut autem recensiti excommunicationem incurrant, duo requiruntur:—1.° ut civitates et loca immediate pertineant ad Ecclesiam Romanam; nam in textu dicitur: *tractantes, consulentes aut alias verba facientes de infeudationibus aut alienationibus de civitatibus et locis praefatis immediate ad Nos et Sedem praefatam spectantibus et pertinentibus.* Illa autem loca dicuntur immediate subjecta Ecclesiae Romanae, in quibus Summus Pontifex dicit, vel dicere potest jus per seipsum, vel per Gubernatores a se missos, vel etiam per Delegatos ab ipsis Gubernatoribus. Hoc autem intelligendum est, uti sequitur eadem Constitutio, etsi agatur de civitatibus et locis ad Sedem Apostolicam *etiam devolutis, etiam in feudum communiter et pluries dari solitis, etiam ex causa permutationis vel sub annuo censu aut canone* (1), *aut alias quomodolibet, etiam contemplatione meritorum erga Sedem praefatam, aut sub praetextu necessitatis vel evidentis utilitatis faciendis;* — 2.° ut praedicta excommunicatio incurratur, requiritur, ut tractantes, consulentes, verba facientes de hujusmodi alienationibus aut infeudationibus simul proponant de eligendis oratoribus ad Pontificem mittendis, ita ut si nonnulli tractent, consulant, aut verba faciant de hac re, quin proponant de eligendis oratoribus ad Sedem Apostolicam mittendis, excommunicationem non incurrunt; tum quia in textu dicitur: *ac propterea de eligendis oratoribus ad Nos et Successores nostros super praemissis, vel illorum occasione mittendis, proponentes;* tum quia finis latae excommunicationis est ejusmodi suasores, suggestores et consiliarios a Rom. Pontifice removere. At si excommunicatio incurritur a praedictis, quoties eliguntur oratores ob id mittendos ad S. Sedem, eidem excommunicationi subjiciuntur ii, qui hoc munus recipiunt, en verba textus: *tam ipsi quam oratores munus hujusmodi recipientes.* Utrum autem proponens oratorem prae-

natores, aut Sedis Apostolicae legati, vel prolegati existant. At certum est, haec de Romana Urbe intelligi non posse, cum in ea neque legati, neque prolegati existant, sunt igitur loca diversa: ergo praefati consulentes intelligi non possunt ii, qui Rom. Pontifici dant consilium, ita *Pennacchi.*

(1) Subintelligitur *dari solitis.*

dicta de causa mittendum ad Sedem Apostolicam, aut orator hujusmodi onus recipiens ligetur statim excommunicatione, etiamsi postea hac de re nihil agatur cum Pontifice, probabilius dicendum statim ligari excommunicatione, quia habetur effectus sub excommunicatione prohibitus; nam sub excommunicatione non solum prohibetur tractari de hac re cum Summo Pontifice, verum etiam mittere hac de causa oratores, vel hujusmodi munus oratoris suscipere. *Bonac.* lib. III. disp. II. q. III. p. 41. Dixi *probabilius*, quia pauci negativam partem tenent; ipsi enim dicunt, in materia poenali strictam faciendam esse interpretationem, et verba cum effectu intelligenda esse.

Attamen hanc excommunicationem non incurrunt ii, qui aliquam ex praefatis actionibus faciunt ad procurandam alienationem vel infeudationem bonorum fisco addictorum ob delicta. Nam bona confiscata ob delicta non comprehenduntur amplius in Bulla Pii V. ex Constitutione Gregorii XIII. *Tanta*, et ex Constitutione Xysti V. *Hoc nostri Pontificatus initio.*

Ad secundam actionem vetitam quod attinet. Illi hanc excommunicationem incurrunt, qui *insinuant vel suadent* hujusmodi alienationem Summo Pontifici, sive id fiat per se sive per alium; hinc qui id suaderent vel insinuarent per litteras, probabilius eam non incurrerent quia textus loquitur de personis, nempe ait *per se vel alium, seu alios*, et litterae nullo modo comprehendi possunt sub verbis *per se vel alium seu alios*, en verba textus: *aut alii quicumque alienationes hujusmodi Rom. Pontifici pro tempore existenti per se vel alium seu alios insinuantes, vel suadentes eo ipso sententiam excommunicationis incurrant.* Et licet pauci contrarium sentiant, sumus in poenis et stricta facienda est interpretatio. *Insinuare* idem est ac declarare mentem suam esse, ut Summus Pontifex praedicta loca alienet vel infeudet. *Suadere* aut est consulere, aut aliquo praetextu seu ratione permovere ad alienationes hujusmodi faciendas. *Bonac.* loc. cit. An autem insinuatio aut suasio puniatur poena excommunicationis, etiamsi actualis alienatio non sequatur, dicendum puniri, quia Summus Pontifex de una insinuatione et suasione loquitur, quae in se completa censetur, etiam non secuto effectu.

At comprehenduntur sub hoc articulo illi, qui variis modis

olim suadere conabantur Rom. Pontifici renuntiationem dominii temporalis, subscribendo litteris ad eum missis; vel illi, qui hodie cum italico Gubernio conciliationem Papae proponunt? Sunt qui affirmant, at alii probabilius negant, quia relatae Constitutiones loquuntur de infeudatione aut alienatione tractanda cum Rom. Pontifice *per se vel alium seu alios*, et litterae sub hoc legis praescripto certe non comprehenduntur, uti superius dictum est. Ceterum quaestio est, et in praxi uti censurati haberi nequeunt.

Subjectum istius excommunicationis sunt omnes tum ecclesiastici, tum saeculares, cujuscumque dignitatis et ordinis sint, nempe Episcopi, Cardinales, Gubernatores aut Sedis Apostolicae Legati vel Pro-Legati, qui praedicta peragunt, sive id agant publice in consiliis civitatum et locorum praefatorum, sive privatim alibi in quibusvis locis sub quovis praetextu, etiam necessitatis aut evidentis utilitatis aut remunerationis (et si sermo est de suadentibus aut insinuantibus hujusmodi alienationem Rom. Pontifici), sive id agant per se sive per alium, omnes igitur hac censura plectuntur. At ei subjiciunt etiam Communitates et Universitates, uti dicitur in praefata Bulla Pii V., quamvis enim Communitas, prout Communitas est, excommunicari non possit, nihilominus particulares personae Communitatis tractantes vel consulentes, et ob id oratorem mittendum ad Sedem Apostolicam proponentes, vinculo istius excommunicationis innodantur.

XIV.

Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum ministrare absque Parochi licentia.

Materia istius excommunitionis est usurpata jurisdictio consistens in administratione Sacramenti extremae Unctionis aut Eucharistiae per viaticum clericis aut laicis, peracta a Religioso absque Parochi licentia. Dixi est *usurpata jurisdictio*, quia ad jura Parochi pertinet Sacramentum extremae Unctionis et Eucharistiae per viaticum administrare. Quaenam autem conditio-

nes requirantur ad hanc excommunicationem incurrendam, textum perpendendo facili admodum pacto eruitur.

Requiritur 1.° *praesumptio*, id est plena scientia prohibitionis Ecclesiae, et poenae; hinc Religiosus, qui ea ministrat clericis aut laicis ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili crassa seu supina, excepta affectata (1), tam legis Ecclesiae id prohibentis, quam excommunicationis; aut probabiliter credens Parochum ratam habiturum administrationem; vel falso putans necessitatis casum adesse; vel existimans jam Parochi licentiam obtentam fuisse, excommunicationem non incurrit, quia deest praesumptio, ut bene notat *Suarez;* verbum enim *praesumentes* indicat dolum, malitiam et scientiam.

Requiritur 2.° ut praedicta sacramenta conferantur clericis aut laicis; hinc si a Religioso conferuntur alteri Religioso diversi ordinis, sive in suo monasterio commoranti, sive alibi, vel alteri Religioso sui ordinis extra monasterium, et in paraecia degenti, aut novitio sui aut diversi ordinis salutis causa in parentum domum ad breve tempus misso, excommunicatio non incurritur, quia in materia poenali non est facienda extensio ultra propriam verborum significationem, et nomine *clericorum et laicorum* non veniunt Religiosi neque novitii, quamvis neque prima tonsura fuerint insigniti. Neque excommunicatio incurritur, si a Religioso praedicta sacramenta ministrantur clericis aut laicis, qui actu monasterio inserviunt, ejusque expensis aluntur, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt, ut colligitur ex Trid. sess. XXIV. cap. II. *de Ref.* his verbis: *exceptis tamen iis, qui praedictis locis aut militiis actu inserviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.* E contra censura incurritur, si praedicti Religiosorum inservientes habitent domum aliquam, licet monasterio contiguam, tamen intra monasterii septa non comprehensam, tum quia juxta Trid. intra eorum septa ac domos non residerent, tum quia ita declaravit S. C. Concilii 17 Septembris 1722. Utrum autem incurratur excommunicatio ministrando

(1) Iuxta aliquos cum *Ligorio*, quia ignorantia affectata includit dolum formalem, et aequivalet scientiae.

praefata sacramenta alumnis in seminariis aut collegiis Regularium degentibus, litigant interpretes; at si paucos excipias, qui negativam sententiam tenent. communior et probabilior sententia sustinet censuram incurri, quia ex Tridentino Religiosi possunt Viaticum et extremam Unctionem ministrare iis, qui praedictis locis actu serviunt: jam vero alumni, convictores et quicumque alii studiorum aut salutis causa in monasteriis degentes iis non serviunt: ergo censura incurritur (1).

Requiritur 3.° ut nulla adsit necessitas ea ministrandi, qua extante, excommunicatio cessat. Haec autem necessitas potest oriri vel ex parte infirmi, vel ex parte Parochi. *Ex parte infirmi* si est in articulo vel periculo mortis, et putatur brevi esse moriturus, hoc enim in casu censura non incurritur a Religioso praedicta sacramenta ministrante, tum quia id eruitur ex textu, tum quia praeceptum Ecclesiae non obligat cum tanto proximi periculo, tum quia censetur adesse consensus Parochi, vel saltem Summi Pontificis, vel Episcopi, etiamsi forte Parochus in tali eventu invitus esset, ita *Suarez, Navarrus. Ex parte Parochi* si est absens, et ob angustiam temporis non potest expectari aut advocari, quia infirmi mors timetur, vel ratione infirmitatis est impotens ad praedicta sacramenta ministranda, vel est irrationabiliter invitus, quatenus potest, et non vult sacramenta infirmis praebere. In hac enim infirmi necessitate non vult profecto Ecclesia, ut quis absque caelestibus remediis ad vitam aeternam comparandam ex hac vita discedat, ideoque potest Religiosus, quin peccet, et censuram incurrat, haec sacramenta infirmo ministrare. *Suarez* tom. VI. p. III. disp. XLIV.

Requiritur 4.° ut Eucharistia per viaticum ministretur; hinc si Religiosus clerico vel laico ministrat Eucharistiam non per viaticum, sed devotionis causa, quatenus jam a Parocho viati-

(1) Hoc autem stricte loquendo dicendum est, sed in praxi pro iis, qui in monasterio degunt studiorum, vel salutis causa, aut alia quacumque, si graviter aegrotant, adest consuetudo Neapoli, et alibi, quod petitur licentia a proprio Parocho, et postea (sumpta S. Eucharistia ab eadem monasterii Ecclesia) a Religioso ministrantur sacramenta tum S. Eucharistiae per modum viatici, tum extremae Unctionis, et sic censura effugitur.

cum recepit, sed pro gratiae augumento denuo sacram Eucharistiam recipere optat, excommunicationem non incurrit.

Requiritur 5.° ut nulla adfuerit Parochi licentia in tali administratione; dicitur enim in textu *absque Parochi licentia*, ita ut si adest, excommunicatio cessat. Et heic notandum licentiam requiri, si sermo est de iis infirmis, in quos Parochus jurisdictionem habet, quatenus ibi domicilium vel quasi domicilium fixerunt; unde si praedicta sacramenta administrantur a Religioso vagis aut peregrinis absque Parochi licentia, iste censuram non incurrit, quia praedicti a parochiali jurisdictione sunt exempti, et Parochi jura non laeduntur. Haec autem licentia satis est, sive detur Religioso, sive illi infirmo, cui sacramenta ministranda sunt, sive detur a Parocho etiam ad sacerdotium nondum promoto, sive ab ejus vices gerente, sive detur ab Episcopo, aut a Vicario Generali aut Capitulari, et ratio est, quia dioecesis est parochia Episcopi. Insuper cum articulus generice loquatur, nempe *absque Parochi licentia*, sicut licentia potest esse sive expressa, sive tacita, sive praesumpta, dicendum quod etiam licentia praesumpta sufficit ad excommunicationem effugiendam, quae habetur, cum quis putat Parochum eam certe esse daturam absque difficultate.

Requiritur 6.° ut praedicta Sacramenta fuerint valide administrata; hinc si data fuerit particula non consecrata, aut extrema Unctio ministrata fuerit a Religioso diacono, censura non incurritur, quia sub censura prohibetur Religiosis valida talium sacramentarum administratio, non nulla.

Subjectum istius excommunicationis sunt Religiosi, qui praefata sacramenta sine debita facultate ministrare praesumunt; unde quilibet sacerdos, qui extra casum necessitatis absque Parochi licentia haec sacramenta ministrat, graviter jura Parochi laedit, et graviter peccat, sed excommunicationem non incurrit. At quoniam stricto sensu illi dicuntur Religiosi, qui solemnem professionem emittunt, dicendum de istis tantum in hoc articulo sermonem fieri, quia in materia poenali versatur. Hinc sequitur: — 1.° eos, qui vota simplicia in Congregationibus aut Institutis emittunt, si praefata sacramenta sine debita facultate ministrant, excommunicationem non incurrere, quia in odiosis

ejusmodi Congregationes et Instituta neque Regularia neque Religiosa appellantur; hinc illicite agerent jura Parochi laedentes, sed excommunicationem effugerent; — 2.° novitios, eos nempe, qui nondum religiosam professionem emiserunt, si praedicta sacramenta absque Parochi licentia ministrant, censuram non incurrere, quia cum simus in materia poenali, in qua stricta facienda est interpretatio, novitius non venit nomine Religiosi. Ita *Panorm.* et alii, quos sequitur *Suarez* loc. cit., *Filliuc.*; — 3.° eos, qui post emissam professionem a religione ejecti quasi presbyteri saeculares foras vitam agunt, praedicta sacramenta ministrantes censura non innodari; — 4.° Religiosum Parochum praefata facientem erga eos, quorum cura ipsi demandata est, non affici excommunicatione; quamvis enim hic sit Religiosus, non tamen in hac Bulla comprehenditur, quia excommunicatio lata est ad comprimendos Religiosos jurisdictionem Parochi usurpantes, at in casu nulla jurisdictio usurpatur, quia est proprius Parochus; secus si praefatus Religiosus Parochus praedicta faciat erga eos, quorum ipse curam non habet, quia aliorum jurisdictionem in hac parte usurpat, ita *Suarez*, n. 15., *Sylvester*, *et Alterius.*

XV.

Extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.

Quoniam falsae reliquiae publicae fidelium venerationi exhiberi potuissent, si unicuique fas esset absque legitima venia reliquias ex sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii extrahere, et detestabiles abusus ex eadem re irrepere potuissent, Romani Pontifices solliciti fuere huic Religionis bono consulere, et sub excommunicationis poena prohibuerunt, ne reliquiae ex praedictis locis absque legitima venia extraherentur. Quod statuerunt Praedecessores (1), Pius IX. in

(1) Idest Paulus V. suo jussu 24 Aug. 1613. et Clemens X. Constitutione *Ex commissae* 13 Jan. 1672.

hoc articulo confirmavit, et excommunicavit omnes *extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem praebentes.* Quae autem requirantur ad hanc excommunicationem incurrendam, perpendendo textum eruuntur.

Requiritur 1.° *reliquiarum extractio*, dicitur enim in textu *extrahentes*, hinc si quis attentat. et reliquias reapse non extrahit, excommunicationem non incurrit, quia effectus non est completus; neque eam incurrit, qui aliquem rogat, aut mandat, aut consulit, ut eas extrahat, et reapse ex ejus petitione mandato aut consilio extrahuntur, quia textus loquitur de *extrahentibus*, non vero de rogantibus, mandantibus aut consulentibus; nisi tamen praedictus auxilium aut favorem praebeat, uti postea videbimus; neque eam incurrit, qui reliquias acceptat, quamvis noverit eas ex Sacris Coemeteriis Urbis Romae ejusque territorii extractas fuisse.

Requiritur 2.° ut extractio fiat *absque legitima venia*. Haec autem venia ex Constitutione Clementis X. *Ex commissae*, et ex consuetudine dari potest tantummodo ab Emo Urbis Cardinali Vicario. Utrum autem servari debeat in tribuenda facultate forma praescripta a Clemente X. ad effugiendam excommunicationem, an satis sit post Const. *Apost. Sedis*, ut etiam voce tenus tribuatur a praedicto Cardinali Vicario, quidquid aliquis dicat, tenendum arbitramur servandam esse formam praescriptam a Clemente X., nempe concedendam esse veniam in scriptis sigillo munitam, et illius manu subscriptam (1), tum quia hic articulus sumptus est ex jussu Pauli V., et ex Const. Clementis X., tum quia sicut interpretes ad citatam Clementis X. Constitutio-

(1) En verba textus, quibus Clemens X. praecipit ac mandat. *ut nemo ad extrahendas a Coemeteriis praefatis reliquias accedat, nisi ejus rei facultatem habeat scripto, quod..... Cardinalis in Urbe Vicarii..... sigillo munitum, et illius manu subscriptum sit: nec ossa vel corpus ullum, sub poena excommunicationis latae sententiae, edoliat et ex aliquo Coemeteriorum hujusmodi extrahat aliter quam coram Sacerdote per dictum Cardinalem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et recognoscat locum, inscriptiones, eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio..... Indulgentiis, et sacris Reliquiis praeposita.*

nem se referunt ad declarandum tantummodo a Cardinali Urbis Vicario veniam concedi posse, ita etiam quoad formam concessionis ad eamdem Constitutionem se referre debent, ut venia dicatur *legitima,* idest secundum legem. Unde non sufficit licentia praesumpta, quia reliquiarum extractio et delatio facienda est ad formam Constitutionis Clementis X., tum etiam quia licentia praesumpta in casu supponi non potest, quia deest necessitas extrahendi reliquias.

Requiritur 3.° ut reliquiae extrahantur *ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii;* hinc qui corpora vel reliquias extrahit ex Ecclesiis vel aliis locis, ubi asservantur, excommunicationem non incurrit, quia non verificantur verba textus.

Requiritur 4.° ut extrahantur *reliquiae.* Reliquiarum autem nomine juxta communem Ecclesiae sensum veniunt reliquiae Sanctorum, hinc tantum qui eas extrahit, censuram incurrit. Dixi *tantum qui eas extrahit*, quia non omnia corpora, quae in Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae ejusque territorii reperiuntur, ad sanctos martyres sive confessores pertinent; nam nonnulla praebent certa et constituta martyrii signa, quae habentur, uti declaravit S. C. Rel. et Ind. 10 Dec. 1863, *cum phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur;* alia autem habent signa sed dubia; alia denique nullum martyrii aut sanctitatis indicium praebent, quia in loculis apertis reperiuntur. Jam vero qui ex praedictis locis reliquias extrahit absque legitima venia nullum sanctitatis indicium praebentes, excom. non incurrit, quia de istis non loquitur textus; si dubia praeseferunt sanctitatis et martyrii signa, eam pariter non incurritur, quia nemo potest incurrere poenam certam pro re dubia. Sequitur ergo eam incurrere, qui reliquias extrahit illorum corporum, quae certa martyrii et sanctitatis indicia praebent. Hoc intelligendum etiamsi reliquiae sint in modica quantitate, parvitas enim materiae in hac re non excusat, quia quaelibet particula reliquiarum est magni momenti non ratione quantitatis, sed qualitatis. Hinc qui cryptas visitans memoriae vel devotionis causa sibi assumeret aliquid ex ossibus vel cineribus

fidelium, qui ibi reconditi sunt, excom. non incurreret, quia non sunt Sanctorum reliquiae.

Denique hanc censuram incurrunt, qui auxilium vel favorem praebent, nempe vel *physice*, vel *moraliter* ad extractionem reliquiarum cooperantur; *physice* idest vires et opem praestando, *moraliter* idest non impediendo extractionem, dum impedire tenentur, uti esse possent custodes, qui ad hoc tenentur.

XVI.

Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso; ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

Ne ecclesiasticae sanctiones spretae fuissent, et delinquentes in suo crimine firmius perstitissent, Pius Papa IX. hoc articulo veteres dispositiones innovando excommunicatione mulctavit omnes, sive clericos sive laicos, qui communicant in crimine criminoso cum nominatim excommunicato a Papa, eique scilicet impendendo auxilium vel favorem. Ut res clarior evadat, quid sibi velit *communicare in crimine criminoso*, explicandum est. Communicare in crimine criminoso, ait *Bonac.* disp. 11. q. III. p. XXI., quem omnes sequuti sunt, idem est ac cooperari crimini vel contumaciae, ob quam alter excommunicatus est. Id evenit, subdit *S. Alphonsus* VII. 197., quando quis suam concubinam excommunicatam post excommunicationem iterum cognoscat, ut habetur ex cap. *Concubinae de sent. excom.;* vel quando quis post excommunicationem latam in aliquem ob furtum, concubinatum etc. impendat ei auxilium aut consilium ne restituat, ne concubinam dimittat, vel ne exeat ab excommunicatione. Hoc posito, perpendendo textum eruimus nonnullas conditiones requiri, ut praedicta excommunicatio incurratur.

Requiritur 1.° ut communicatio, seu participatio, seu cooperatio sit mortale peccatum; excommunicatio enim mortale peccatum supponit. Hinc si quis leviter cooperatur peccato alterius, ita ut illa exterior cooperatio non censeatur sufficiens ad mortale peccatum, hanc censuram non incurrit. Ita communiter DD.

Requiritur 2.° ut communicatio seu participatio fiat cum *excommunicato*, nam in textu dicitur; *communicantes cum excommunicato*. Unde communicatio fieri debet cum excommunicato, postquam hic excommunicationem contraxit; ac proinde non subjacet huic excommunicationi ille, qui communicat, seu participat cum excommunicato in primo actu, ob quem excommunicatio contrahitur, quia non dicitur communicare cum excommunicato.

Requiritur 3.° ut is, cum quo communicatur, sit excommunicatus nominatim a Papa. Ille dicitur nominatim excommunicatus a Papa, qui per sententiam particularem designato nomine, cognomine aliisque adjunctis, unde confundi non possit cum alia persona, est declaratus excommunicatus et denuntiatus. Hinc si quis vinculo excommunicationis fuit obstrictus, non tamen nominatim, sed generatim, uti si lata fuit a Papa excommunicatio contra injustos rei alienae detentores, licet persona excommunicata dignoscatur, tamen communicantes cum eo in crimine criminoso praesentem excommunicationem non incurrunt, quia non potest dici nominatim a Papa excommunicatus. Pariter eam non incurrit, qui communicat cum notorio clerici percussore, quamvis enim notorius clerici percussor sit excommunicatus vitandus ex Constitutione Martini V., nihilominus non est nominatim excommunicatus, hinc qui cum eo communicat in crimine criminoso, licet graviter peccet, hanc tamen excommunicationem non incurrit. Similiter eam non incurrit, qui communicat in crimine criminoso cum eo, qui excommunicationem a Pontifice latam ex. gr. contra haereticos contraxit, sed Episcopus sententiam declaratoriam sui criminis protulit, ita ut in excommunicationem incidisse declaraverit, quia praedictus non potest dici nominatim excommunicatus a Papa, sed ab Episcopo. Nec consequenter eam incurrit, qui cum excommunicato nominatim ab Episcopo in crimine criminoso communicat.

Requiritur 4.° ut communicatio seu cooperatio sit in eodem crimine, ob quod fuit alter nominatim excommunicatus; dicitur enim in textu *in crimine criminoso*, id est in eo crimine ob quod is, cum quo communicatur, fuit excommunicatus; hinc si

communio fit in alio aliquo facto, quod non sit crimen criminosum, nullam inducit excommunicationem; uti esset, si eum tantummodo salutet, alloquatur, osculum impingat, secum oret, vel aliud quid agat. Hoc enim non est communicare in crimine criminoso, ita omnes.

Requiritur 5.° ut tali nominatim excommunicato in crimine criminoso impendatur auxilium vel favor, dicitur enim in textu: *ei scilicet impendendo auxilium vel favorem,* nempe requiritur, ut id agatur, quo delinquens in suo crimine perseveret. Hoc esset, si quis excommunicato nominatim a Papa propter haeresim illi domum locasset ad ipsam haeresim facilius diffundendam, vel non retractandam; vel si quis excommunicatum nominatim a Papa ob libri editi pravitatem adjuvaret, ut liber vetitus propagaretur, ut non inveniretur; vel si quis excommunicatum a Papa ob furtum adjuvaret in re ablata abscondenda, vel alio adducenda; vel si quis excommunicatum ob concubinatum suadeat, ut in concubinatu remaneat. Haec est communicatio cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei impendendo auxilium vel favorem. Hinc quaelibet alia communicatio in crimine criminoso, qua nullum excommunicato praebetur auxilium vel favor, excommunicationem non inducit.

Requiritur 6.° ad excommunicationem contrahendam, ut quis communicet seu participet cum excommunicato nominatim a Papa, quem novit ob tale crimen vinculo excommunicationis obstrictum fuisse; quod si hoc ignorat, habetur culpa materialis contra legem, non formalis, ideoque deest excommunicationis ratio, et Superioris formalis contemptus.

XVII.

Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Quoniam haec excommunicatio lata est contra clericos communicantes in divinis cum excommunicatis nominatim a Papa, illosque in officiis recipientes, ad majorem rei claritatem, quid sit

communicare in divinis, et ipsos in officiis recipere, explicandum est. Communicare in divinis idem est ac communicare in officiis divinis. Nomine autem officiorum divinorum veniunt omnes sacrae functiones, quae de Christi vel Ecclesiae institutione a ministris ejusdem Ecclesiae ad id ordinatis publice et solemniter peraguntur: uti sunt sacrificium Missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et alia adnexa ordini clericali, quae solemniter exercentur, excepta concione, ita *S. Alphonsus* VII. 177. Hinc quivis fidelis, qui cum excommunicato praedicta peragit, in divinis communicat. Eos vero in officiis recipere idem est ac eos admittere, idest eos vel invitare vel non arcere ab adsistentia ad divina officia, dum admittens ex officio suo debet, et potest id vitare, et tamen negligit, uti esse possent Parochi, aliique, quorum curae loca sacra commissa sunt. Hoc posito ad incurrendam istam excommunicationem ob hujusmodi communicationem nonnulla requiri ex textu eruitur. Requiritur: 1.° ut communicans sit clericus; textus enim loquitur de clericis, et ratio est, quia tantum clerici ad divina officia aliquem admittere possunt, ideoque laici huic excommunicationi subjacere nullatenus queunt. An autem clericorum nomine hoc in loco intelligantur etiam religiosi, ex veriori sententia dicendum quod non comprehenduntur, quia sumus in materia poenali, in qua strictior interpretatio fieri debet, ita *Bonac.*, *Ugolinus*. Ad rem ait *Reiffenstuel* lib. V. trac. XXXIX. *Etsi in materia favorabili nomine Clerici intelligantur etiam Religiosi, secus tamen est in materia odiosa.* Et ut ceteros praetermittamus *S. Alphonsus* VII. 331. dicit: *Nec interdicto clero, interdicuntur Religiosi, qui in favorabilibus tantum nomine Clerici comprehenduntur;* — 2.° ut scienter communicet; in textu enim dicitur: *clericos scienter.* Ex quo patet quamlibet ignorantiam sive invincibilem sive vincibilem, sive juris sive facti excusare communicantem ab hac censura, excepta affectata juxta aliquos; — 3.° ut sponte communicet, idest sine metu, minis vel dolo; in textu enim dicitur: *clericos scienter et sponte communicantes in divinis;* — 4.° ut communicet in officiis divinis, quia si communicat in humanis, nulla incurritur censura; — 5.° ut communicet cum personis a Papa nominatim excommunicatis. Ex

quo fit, ut clericus communicans cum excommunicatis nominatim ab Episcopo, vel ab alio inferiore Rom. Pontifici in istam excommunicationem non incidat; — 6.° denique ut clericus communicet cum hujusmodi excommunicatis eos admittendo ad divina officia. Nam textus continet particulam *et*, legitur enim: *Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Rom. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.*

Ex quo patet, ait *Bonac.* disp. II. q. V. p. III., non sufficere quamlibet communicationem, sed eam requiri, quae fit recipiendo in divinis: hunc enim sensum important praecitata verba conjunctive pronunciata. Propterea si clericus non admittit ad divina officia, sed tanquam unus de populo assistit divinis officiis cum excommunicato nominatim a Papa, vel ejus Missam audit, non incurrit istam excommunicationem, quia ad hanc incurrendam requiritur tum communicatio in divinis cum eo, tum in officiis receptio. Id eveniret ex. gr. si clericus vesperas celebraturus in numero adsistentium videat excommunicatum nominatim a Papa, et cum possit, et teneatur eum arcere, utpote Ecclesiae Rector, tamen pergit vesperas cantare; vel si Ecclesiae Rector invitet excommunicatum nominatim a Papa ad canendam Missam, et ipse tanquam unus ex ministris Missae adsisteret. Ceterum Pius IX. quoad hunc articulum nihil immutavit de vetito a Clemente III. Jam vero veteres interpretes de utroque intellexerunt caput Clementis III., et inter ceteros *Suarez* scribit: *requiritur, ut participatio sit recipiendo excommunicatum in officiis, divinis scilicet et publicis;* qua de causa sola communicatio in divinis non sufficit ad hanc excommunicationem incurrendam.

XVIII.

Absolvere praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu ab excommunicationibus sp. modo Rom. Pontifici reservatis.

Latis censuris spec. modo reservatis, nonnullae declarationes sequuntur. Summus enim Pontifex *primo* declarat nulli suffragare generalem facultatem obtentam absolvendi a casibus et

censuris Papae reservatis, ut possit quis a censuris spec. modo reservatis absolvere; *secundo* declarat revocata esse omnia privilegia concessa sub quavis forma et quibusvis personis, in quavis dignitate constitutis etiam Regularibus, quibus censurae spec. modo Rom. Pontifici reservatae a praedictis absolvi poterant; *tertio* contra praesumentes absolvere sine debita facultate quovis praetextu ab hisce casibus speciali modo R. Pontifici reservatis, praeter nullitatem absolutionis, infligit excommunicationem ipso facto simpliciter Papae reservatam. Excipe nisi agatur de mortis articulo, in quo tamen firma semper est quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convalescunt. Id eruitur ex textu antea allato.

Haec censura est simpliciter R. Pontifici reservata, quia in Constitutione dum fertur excommunicatio Papae reservata contra praesumentes absolvere censuras sp. modo reservatas, ipsi reservationi nulla specialis nota apponitur, unde est censenda censura simpliciter Pontifici reservata, ita omnes. Insuper haec censura generaliter lata est contra quoscumque praesumentes absolutionis beneficium conferre contra Constitutionis dispositionem; hinc sive sint Episcopi, sive alii Praelati, sive simplices confessarii, omnes indiscriminatim huic excommunicationi subjiciuntur, si absolutionem a censuris spec. modo reservatis sine debita facultate conferre praesumant. Et hoc dicendum, licet praedicti, privilegium habentes absolvendi ab aliis censuris, illius praetextu etiam a casibus sp. modo reservatis absolvere audeant.

Ut autem haec censura incurratur, requiritur: — 1.° praesumptio, quia in textu dicitur: *absolvere praesumentes*, nempe absolventes debent scire poenitentem excommunicationis vinculo spec. mo. reservatae esse innodatum, et non posse ab eis absolvi, et tamen absolvunt. Ex quo sequitur *primo* illum excusari ab hac censura, qui ex inadvertentia, oblivione, aut ex ignorantia crassa et supina hujus prohibitionis absolvit. Ratio est, quia non praesumit absolvere; praesumptio enim dolum et scientiam includit. *Secundo* illum excusari ab hac censura, qui absolutionem impendit per metum gravem, vel apprehensum uti gravem; nam actio, quae per hujusmodi metum fit, non di-

citur ex praesumptione fieri, ita *Ugolinus;*—2.° requiritur ad censuram incurrendam ut quis absolvat a censuris sp. modo reservatis, hinc si absolvit ab aliis generali modo reservatis, peccat, sed nullam incurrit censuram; — 3.° ut quis revera absolvat, hinc qui fingit absolvere, sed revera non intendit absolvere, non afficitur hac excommunicatione. Ratio est, quia Summus Pontifex non videtur eos excommunicare, qui solam formam absolutionis exterius proferunt, sed qui beneficium absolutionis, quantum est ex se, conferre intendunt; ille autem qui fingit absolvere, non dicitur beneficium absolutionis impendere, sed jocari, deludere vel decipere. Eo vel magis hoc est dicendum, si forma absolutionis non profertur, quia textus dicit *absolvere praesumentes;*—4.° ut quis careat facultate absolvendi hujusmodi casus; unde in articulo vel periculo mortis, in quo cessat omnis reservatio, si quis ab hujusmodi casibus absolvit, hanc censuram non incurrit;—5.° ut casus sit certe spec. modo reservatus, unde si dubitatur inter Doctos utrum aliquod factum hac censura sit perculsum, et datur absolutio, haec censura non incurritur, quia possidet facultas absolvendi, et deest praesumptio.

EXCOMMUNICATIO LATAE SENTENTIAE SIMPLICITER PONTIFICI RESERVATA DIRECTE INFLICTA A S. C. TRIDENTINO.

XIX.

Excommunicatio lata a S. C. Tridentino contra usurpatores bonorum aut jurium Ecclesiae per hanc Constitutionem confirmata est, uti eruitur ex verbis *Praeter hos hactenus recensitos* etc., en verba Trid. sess. XXII. cap. II. *de Reform: Si quem clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate, etiam imperiali aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Ecclesiae seu cujusvis saecularis vel regularis Beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios vi vel timore incusso, seu etiam per sup-*

positas personas Clericorum aut Laicorum, seu quacumque arte aut quocumque quaesito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare praesumpserint, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione suppositae personae, pervenerint, Ecclesiae ejusque administratori sive Beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano Pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem Ecclesiae patronus fuerit, etiam jure patronatus ultra praedictas poenas eo ipso privatus existat. Clericus vero, qui nefandae fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator seu consentiens fuerit, eisdem poenis subjaceat, nec non quibuscumque Beneficiis privatus sit, et ad quaecumque alia Beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum executione etiam post integram satisfactionem et absolutionem sui Ordinarii arbitrio suspendatur.

CAPUT III.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE EPISCOPIS SIVE ORDINARIIS RESERVATAE.

I.

Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere praesumentes; nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.

Quoniam hoc articulo censura puniuntur ii, qui aut sacro ordine insigniti, aut solemni professione obstricti matrimonium contrahere praesumunt, antequam conditiones ad hujusmodi excommunicationem incurrendam requisitas explicemus, praemittere oportet: — 1.° in hoc articulo agi de matrimonio contracto, etiam non consummato, quia Summus Pontifex non punit copulam sacrilegam, sed matrimonii attentationem, unde dicitur in textu: *matrimonium contrahere praesumentes*, ita *Glossa*, *Suarez*,

Filliucius, quos citat, et sequitur *Suarez*. Hinc si praedicti matrimonium contrahunt, et postea in se reversi ante consummationem separantur, jam censura affecti sunt; — 2.° non tantum praedictos sed etiam omnes, qui cum ipsis contrahunt, excommunicationem incurrere, quia ista excommunicatio directe fertur in praedictos, et omnes cum ipsis contrahentes, dicitur enim: *Clericos in sacris constitutos.... nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium contrahere praesumentes.* Quamobrem foemina contrahens cum Religioso professo, aut cum Clerico sacro ordine insignito, aut vir saecularis contrahens cum Moniali professa hujus articuli excommunicationem incurrunt; — 3.° eam, quae putat contrahere cum Clerico in sacris constituto aut Regulari professo, qui reapse non est, licet quoad affectum peccaverit, excommunicationem tamen non incurrere, quia ad incurrendam censuram requiritur effectus consummatus sub censura prohibitus, non adest autem effectus sub hac censura prohibitus, si reipsa matrimonium non contrahitur cum praedictis. Hoc posito in antecessum, ut ista excommunicatio incurratur.

Requiritur 1.° ut contrahens sit vel Clericus in sacris constitutus, vel Regularis, vel Monialis solemni castitatis voto obstricti. Clericorum in sacris constitutorum nomine veniunt subdiaconi, et alii superioris ordinis. Regularium nomine intelliguntur omnes religiosi etiam conversi, qui in Religione approbata solemnem professionem emittunt; unde si vota simplicia ex instituto Religionis fiunt, hoc articulo non comprehenduntur. Hinc novitii Societatis Jesu post biennium vota simplicia emittentes, quae vim habent dirimendi matrimonium ex Const. Gregorii XIII. *Ascendente*, si cum aliqua matrimonium contrahunt, hanc excommunicationem non subeunt, quia textus loquitur de solemni professione, et haec vota simplicia solemnis professio dici nequeunt, quam reapse in ipsa Societate postea emittunt. Monialium denique nomine comprehenduntur omnes cujuscumque Ordinis sint post solemnem professionem, etiamsi sint conversae. At poenae sunt restringendae, ideoque si aliquo vitio tam sacra ordinatio, quam professio fuit nulla, praedicti matrimonium contrahentes, et omnes, qui cum illis contrahunt, licet affective peccent, censura tamen non ligantur, quia textus est intelligen-

dus de Clericis vere sacro ordine insignitis, aut de Regularibus vere solemni castitatis voto ligatis, non vero putative.

Requiritur 2.° ut matrimonium contrahatur. Hoc autem, uti unicuique patet, est intelligendum, dummodo non adsit valida dispensatio, tum quia jure canonico non est prohibitum contrahere cum valida dispensatione, tum quia ista excommunicatio supponit culpam et temeritatem: non committitur autem culpa contrahendo cum legitima dispensatione, ita *Glossa, Sanchez, Sayrus.* At facta abstractione a legitima dispensatione, ut praedicti excommunicationi subjaceant, oportet, ut in matrimonio contracto adfuerit consensus; nam fingens contrahere, non dicitur matrimonialiter contrahere: contractus enim mutua contrahentium voluntate perficitur. At quid dicendum, si una pars vere consentit, altera vero ficte? In hoc casu neutra eam incurrit, quia non dicitur quis matrimonium contrahere cum aliquo, nisi etiam alter contrahat; matrimonium enim utriusque contrahentis consensu perficitur, unde si alter ficte consentit, non dicitur adesse contractus, sed solum matrimonii inchoatio. *Bonac.* disp. 11. q. II. p. VII.

Ex hoc sequitur: 1.° contrahentem per vim aut metum gravem hac censura non ligari, tum quia Ecclesia non praesumitur obligare cum gravi periculo, tum quia consensus per metum extortus non est sufficiens ad contrahendum matrimonium, ita *Navarrus, Sayrus, Sanchez.* Excipe metum levem, quia metus levis nec tollit, nec minuit voluntarium, et parum pro nihilo reputatur. Si vero unus libere, et alter per metum matrimonium init, dicendum neutrum incurrere, quia contractus, uti superius dictum est, ex mutua contrahentium voluntate perficitur; — 2.° contrahentem cum furiosa, dum lucidis intervallis caret, huic censurae non subesse, quia deficiente consensu matrimonialis contractus deest; — 3.° contrahentem cum impubere pari ratione hac censura non ligari; impubes enim non potest, jure disponente, consensum ad matrimonium sufficientem praestare, sed ipsius consensus interpretatione juris in sponsalia resolvitur. In hoc autem articulo sub excommunicatione interdictus est matrimonialis consensus, non autem sponsalia, ita *Bonac.* loc. cit., *Ledesma,* aliique; — 4.° contrahentem per

verba de futuro hanc censuram non subire, quia matrimonium celebratur per verba de praesenti, et celebratum per verba de futuro non est matrimonium, sed praeparatio et promissio futuri matrimonii, ita communiter DD. At si quis voto solemni ligatus celebrat sponsalia cum aliqua, et postea illam carnaliter cognoscit, inciditne in hanc censuram? Resp. si illam non cognoscit affectu maritali certo eam non incurrit, quia in hoc articulo non punitur sacrilega copula, sed matrimonialis consensus. Si vero eam cognoscit affectu maritali, ubi viget Trid., nec etiam eam incurrit, quia hic consensus, absente Parocho et testibus, non sufficit ad matrimonium; si vero non viget Trid., nec etiam eam incurrit, quia sponsalia per hujusmodi copulam in matrimonium non transeunt; uti declaravit et sancivit Pontifex Leo XIII. die 15 Februarii 1892.;— 5.° contrahentem sub conditione, quae non subsistit, vel nondum completa est, excommunicationem non incurrere, quia consensus suspenditur, et non sufficit ad contrahendum matrimonium, donec conditio adimpleatur; uti si dicat: contraho tecum, si possum, si adest dispensatio, vel si Papa dispensaverit, ita *Suarez*, *Filliucius*, *Sanchez*, et alii. Hoc tamen intelligendum est, modo matrimonium non celebretur sub conditione, quae rejicitur a jure, quod idem est ac si adjecta non fuisset: tunc enim adest sufficiens consensus, ideoque censura hujus articuli incurritur, ita *Bonac.* loc. cit.; — 6.° contrahentem privatim, ubi viget Trid., absque praesentia Parochi et testium hac censura non ligari, quia ubi viget Trid. non dicitur matrimonium contrahere, qui in absentia Parochi et testium contrahit, ita *Ledesma*, *Sanchez*, aliique.

At incurriturne haec excommunicatio, si praeter impedimentum voti solemnis adsunt etiam alia impedimenta matrimonium dirimentia ex. gr. consanguinitatis, affinitatis, disparitatis cultus? Quaestio erat. Nonnulli negabant, quia si adessent etiam alia impedimenta, matrimonium nullo modo esse posset, et non verificaretur quod matrimonium contrahere praesumerent, ita *Avanz. Reatinus*, *Patavinus*, aliique. At alii affirmabant, quia si censura fertur ob illud attentatum contrahendi cum voto solemni, majus attentatum est etiam cum alio impedimento ipsum contrahere, quare igitur majus crimen subtra-

hitur a censura, et minus censura punitur? Insuper, isti dicebant, si ratio adversariorum, ob quam asserunt contrahentem matrimonium invalidum etiam ex alio capite non incurrere hanc censuram, est, quia illud matrimonium ob alia impedimenta nullo modo potest esse matrimonium, etiam haec ratio militat pro contrahente matrimonium cum voto solemni tantum, quia cum hoc voto nullo modo potest esse matrimonium; ideoque aut dicendum in nullo casu censuram incurri, quod falsum, quia contra textum, aut dicendum quod in utroque censura incurritur, ita *Rosignoli*. Disceptabant igitur Theologi. At Cong. S. Off. controversiam diremit. Nam interrogata: Utrum Clericus in sacris constitutus vel Regularis aut Monialis, si praeter impedimentum voti solemnis castitatis alia habeat impedimenta ex. gr. affinitatis, consanguinitatis, hanc censuram incurrat, an non? Die 13 Januarii 1892. respondit: *Incurrere facto verbo cum SS.* Quid vero dicendum de matrimonio ita dicto *civili?* Interrogata S. C. Inquisitionis 22 Dec. 1880. declaravit: *Clericos in sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales post emissum solemne castitatis votum praesumentes contrahere matrimonium, sic dictum civile in locis, ubi lex Tridentina de clandestinate viget, incurrere excommunicationem latae sententiae Episcopis seu Ordinariis reservatam.*

Requíritur 3.° ut matrimonium contrahatur cum praesumptione, unde ignorantia juris, vel facti, vel poenae ab hac excommunicatione excusat, sive sit invincibilis, sive vincibilis crassa seu supina, excepta affectata juxta aliquos graves theologos. Hinc si quis ignorat legem Ecclesiae id prohibentem; vel factum, idest contrahentem cum ea voto solemni castitatis obstringi; vel Ecclesiae prohibitioni adnexam esse censuram, matrimonium contrahendo eam non incurrit, quia deest praesumptio. At quid dicendum, si unus bona fide contrahat, alter mala? Dicendum, eam incurrere, qui mala fide contrahit, quia respectu ipsius adsunt omnia requisita ad excommunicationem incurrendam, ita *Suarez, Sayrus, Filliucius*, et alii communiter. Demum si quis bona fide contrahit, et cognita postea Ecclesiae prohibitione et poena, in cohabitatione et copula perseverat, inciditne in excommunicationem? Dicendum non incurrere, quia non punitur co-

habitatio et copula sacrilega, sed contractus; hic autem jam praecessit, nempe jam contraxerunt, ita *Glossa*, *Sayrus*, *Navarrus*, et alii.

II.

Procurantes abortum, effectu sequuto.

Xystus V. in Constitutione, quae incipit *Effraenatam*, poenam excommunicationis Papae reservatam inflixit iis, qui abortum foetus animati, vel etiam inanimati procurabant, aut consilio, favore, ope, potione aliave ratione ad abortiendum foetum animatum vel inanimatum cooperabantur. Verum quia ista excommunicatio in praxi observatu difficilis videbatur, Gregorius XIV. aliam edidit Constitutionem, quae incipit *Sedes Apostolica pia mater*, in qua duplici ex capite rigorem praecedentis moderatus est; *primo* quoad reservationem absolutionis; *secundo* quoad abortum tantummodo foetus animati. Tandem Pius IX. praeteritas Constitutiones quoad hunc casum abortus abrogans excommunicatione mulctavit *procurantes abortum effectu sequuto*. Ut autem haec excommunicatio incurratur, tria requiruntur: 1.° ut procuretur abortus; 2.° ut procuretur directe; 3.° ut effectus sit sequutus. Haec tria explicantur.

Quoad primum. Abortus, uti unicuique patet, est ejectio foetus immaturi; omnes igitur et singuli, qui foetus immaturi ejectionem procurant, hac censura ligantur. At quinam dicuntur abortum procurare? Procurare est aliquid ex industria quaerere, et velle, ita omnes. Hinc illi dicuntur procurantes, qui *physice* vel *moraliter* causa sunt, ut abortus sequatur. Dixi *physice* vel *moraliter*, quia etiam moraliter potest quis procurare abortum, nempe jubendo, mandando abortum fieri, praegnanti ad hoc metum incutiendo; et hic vere procurator est, quia vere et proprie causa est, ut foetus expellatur, nempe est causa principalis moralis abortus. Quinam autem dicantur *physice* procurare abortum, exprimuntur in praefata Constitutione Xysti V., ubi dicitur: *Omnes qui foetus immaturi ejectionem procuraverint percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus, laboribusque mulieri praegnanti impositis, ac aliis etiam incogni-*

tis, vel maxime exquisitis rationibus, ita ut reipsa abortus inde secutus fuerit. Qui igitur jubet vel mandat abortum fieri, vel praegnanti timorem incutit ad hoc, ut sequatur abortus, *moraliter* procurat abortum; qui vero ad praedictum finem praegnantem percutit, vel ei potionem tribuit, *physice* procurat abortum, et ambo censuram incurrunt.

Unde in hoc articulo comprehenduntur *mandantes, primo* quia vere procurator est, non tantum ille, qui agit per se, sed etiam ille, qui per alium operatur, juxta illud axioma: *qui per alium facit, per seipsum facere videtur; secundo* quia verbum *procurantes,* sumptum est a Constitutione *Effraenatam* Xysti V., ac proinde eodem sensu in hoc articulo intelligendum est, quo in praelaudata Constitutione. Jam vero in dicta Const. *mandantes* sunt expressi; legitur enim: *qui per se aut interpositas personas.... procuraverint:* ergo dicendum etiam in hoc articulo *mandantes* comprehendi. At non comprehenduntur mandatarii, nempe qui in gratiam alterius abortum procurant, neque consulentes, faventes aut opem praestantes, quia isti sunt cooperantes, et in hoc articulo non exprimuntur, uti in veteri jure erant expressi (1); unde medicus, qui a muliere rogatus ut ei medicinam pro foetus injectione indicet, eique aegre detegit, pharmacopola, qui eam parat, persona quae eam emit, socia quae ei id suadet, omnes censuram effugiunt, quia sunt cooperantes. Si vero unus ex praedictis vult abortum, et vere et proprie suo mandato et opere causa est, ut foetus expellatur, vere procurator dicendus est, et huic censurae subjacet.

Quoad secundum. Ut censura incurratur, requiritur ut directe procuretur abortus, non indirecte, idest voluntarium directum, non indirectum sit oportet. Voluntarium directum habetur, quando voluntas sive immediate sive mediate tendit in abor-

(1) En verba Const. *Effraenatam* Xysti V. *Qui ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, vel alia cujuscumque generis medicamenta scienter dederint, ac etiam scribendo litteras privatas vel apochas, vel alias verbis aut signis juverint aut consuluerint, ultra supradictas poenas, ipso facto ex nunc prout ex tunc excommunicatos declaramus.*

tum, tanquam in ultimum finem, et in eo quiescit. Si vero voluntas non vult abortum, tanquam objectum immediatum, sed aliquid aliud ex quo sequitur abortus, tunc dicitur voluntarium indirectum. Jam vero ad incurrendam censuram requiritur voluntarium directum, quia cum procurare abortum sit illum ex industria quaerere, et velle, sequitur quod qui non abortum, sed alium finem habet, abortum non procurat. Hinc si quis ira et odio mulierem praegnantem percutit, ex qua percussione sequitur abortus, licet graviter peccet, censuram tamen non incurrit, quia est indirecte voluntarium. Eadem ratione si quis mulieri praegnanti et morbo laboranti medicinam praebet ad eam curandam, licet praevideatur abortus, et reapse sequatur, censuram tamen effugit, quia est indirecte voluntarium. Ex dicto colligitur excommunicationem non incurrere illum, qui medicinam mulieri propinat, ut impotens fiat ad generandum, quia Summus Pontifex loquitur de procurante abortum, et abortus supponit conceptum foetum. Pariter eam non incurrunt chirurgi, qui in difficili partu ad salvandam matrem in ejus utero foetum necant, et membratim extrahunt, quia in hoc casu foetus est jam maturus, et non est abortus, licet graviter peccent. Neque eam incurrunt, qui foetum corruptum expellunt, quia potius est massa putrida, quam foetus. *Scavini* II. 653.

Quoad tertium. Ut censura incurratur, requiritur, ut effectus sit sequutus. Hinc excommunicationem non incurrit, qui medicamenta, potiones aliaque remedia ad abortiendum adhibuerit, et tamen abortus non est sequutus; deest enim conditio a legislatore posita ad incurrendam censuram. At satis non est, ut sequutus sit abortus, sed requiritur etiam ut procedat ex causis positis ad illum inducendum, quia si abortus ex aliis causis derivat, ipse non sequitur ex procuratione adhibita ad illum inducendum, ideoque non habetur crimen sub censura prohibitum. Unde si quis mulieri propinavit potionem ad abortum ordinatam, et procul dubio abortus sequutus fuisset, at repente ex alto vertice ruens lapidem pro metu mortis ipsa expellit foetum; vel eum expellit vi alicujus morbi, quo ipsa fuit repente correpta, praedictus censuram non incurrit, quia abortus non ex causa posita, idest ex potione, sequitur, sed aliunde. In dubio autem u-

trum abortus sequutus sit ex causis positis, an aliunde, excommunicatio non contrahitur, tum quia non incurritur certa poena pro casu dubio, tum quia in dubio favendum est reo. Sequuto effectu ex causis positis semper incurritur censura, sive foetus sit animatus sive inanimatus (1), quia articulus generatim loquitur, et quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec requiritur plena scientia, quia non exprimitur in textu, ideoque ignorantia vincibilis crassa seu supina, et multo magis affectata ab ea non excusat.

Sed dubium est, an ipsa mulier, quae sibi abortum procurat, excommunicationem incurrat. Nonnulli affirmant, 1° quia lex generalis est, nempe dicitur in textu: *procurantes abortum*, et quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; 2° quia legislatoris voluntas est abortum impedire, et raro impedirentur, quia matres plerumque sunt causae principales; 3° quia cum non comprehendantur in hoc articulo faventes et consulentes, si ipsae mulieres excluderentur, possent causae principales suadere mulieri, et omnes excommunicationem effugerent. Sed alii negant, quia scopus Constitutionis est limitare censuras, non extendere, ideoque vox *procurantes* intelligenda est sin minus, saltem sicut in veteribus Constitutionibus, ex quibus sumpta est. Jam vero inter veterum Constitutionum interpretes locum tenet *S. Alphonsus*, qui sic disputat de mulieribus praegnantibus sibi abortum procurantibus. *Prima sententia communissima affirmat eas in censuram incurrere; secunda autem sententia valde probabilis, et attenta ratione intrinseca probabilior negat. Ratio autem, cur Papa eximisse praesumitur praegnantes ab hac excommunicatione, ut verosimiliter opinantur Lugo, et Salm. cum aliis, est, quia forte compassus est infirmitati foeminarum, quae impulsae a vehementi timore damni obventuri haec medicamenta sumunt, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvi penderent, et ideo Pontifex ad vitandum novum animae laqueum et alia pericula, praesertim sacrilegarum confessionum, eas noluit comprehendere. S. Alph.* III. 395. Si igitur in veteri jure erat quaestio, etiam in novo agitatur, et nega-

(1) Si foetus est animatus, incurritur etiam irregularitas ratione homicidii.

tivam opinionem tenent Com. *Reatinus, Cretoni, Avanzini, Ballerini, Del Vecchio, Ninzatti, Pennacchi.* At sumus in poenis, in quibus stricta facienda est interpretatio, ideoque in praxi excommunicationi non subjacere dicendum est.

III.

Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Pro rei claritate non abs re erit obiter animo recolere quaenam dicantur litterae Apostolicae, et quid nomine falsationis intelligatur. Litterae Apostolicae dicuntur illae, quae nomine Summi Pontificis expediuntur, sive sint Bullae, sive Brevia; unde in hoc articulo non comprehenduntur supplicationes gratiam vel justitiam concernentes per Romanum Pontificem, aut de ejus mandato signatas, quia non exprimuntur, uti in art. IX. censurarum speciali modo reservatarum inveniuntur expressae. Nomine autem falsationis in hoc loco intelligitur non solum littera ex integro confecta, sed etiam additio, mutilatio vel detractio aliqua a praefatis litteris; nam falsa redditur scriptura, quoties aliquid additur vel minuitur, quod antea positum, seu concessum non erat.

Hoc posito actio, quae hac censura damnatur, est usus falsarum litterarum Apostolicarum, et huic crimini cooperatio, ideoque duas personarum classes respicit, nempe utentes et cooperantes, quicumque sint sive clerici sive laici. At quinam dicuntur utentes, quinam cooperantes? Illi dicuntur utentes, qui falsas litteras Apostolicas exhibent, aut praesentant, ut finem sibi propositum obtineant, ita omnes. Ex. gr. si quis ad litem superandam falsas litteras Apostolicas coram judice allegat, hic vere utens falsis litteris Apostolicis dicendus est. At necesse non est ad incurrendam hanc censuram, ut effectus intentus obtineatur, quia usus talium litterarum sub censura prohibetur; jam vero etiamsi quis effectum non obtineat, semper hujusmodi litteris usus est, quod sub censura prohibetur. Illi vero dicuntur cooperantes, qui alteri ad hoc opem praestant; ex. gr. si

quis accepta ab alio falsa littera Apostolica eam defert Superiori, ut aliquid concedat, hic vere cooperator in hoc crimine dicendus est. Unde cooperatio debet esse in usu talium litterarum non in falsatione, uti eruitur ex textu, ubi dicitur: *vel crimini ea in re*, idest in tali usu, *cooperantes.*

Ut autem praedicti utentes et cooperantes censuram incurrant, requiritur plena scientia, in textu enim dicitur *scienter*, ideoque qui cum ignorantia vincibili crassa seu supina, et etiam juxta aliquos affectata id peragunt, excommunicationem effugiunt. Neque eam incurrunt, qui consilium tantum dederunt vel hortati sunt ad utendum, quia nullam opem utenti praestant, ita *Reatinus*, aliique multi contra paucos, qui secus sentiunt. Si quis vero litteras Apostolicas falsat, et iis utitur, duplici excommunicatione ligatur, quia duplici crimine fit reus.

CAPUT IV.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATAE.

I.

Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

Licet plerisque indignis ecclesiastica sepultura interdicatur ex Rituali Romano (1), tamen excommunicatio incurritur tantum, si traduntur ecclesiasticae sepulturae haeretici notorii aut nominatim excommunicati vel interdicti. Subjectum igitur hujus censurae sunt mandantes, vel cogentes; et hi tantum cen-

(1) A Rituali Rom. *tit. De exequiis* haec sequentia praescribuntur.—« Negatur ecclesiastica sepultura paganis, judaeis et omnibus infidelibus, haereticis et eorum fautoribus, apostatis a christiana fide, schismaticis et publicis excommunicatis majori excommunicatione, interdictis nominatim, et iis qui sunt in loco interdicto, eo durante. — Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa poenitentiae. — Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint poenitentiae signa. — Manifestis et publicis peccatoribus.

sura ligantur, non vero qui praedictos ad ecclesiasticam sepulturam admittunt, neque qui huic sepulturae cooperantur, quia in textu non sunt expressi. Ut autem mandantes vel cogentes censuram incurrant, requiritur: 1.° ut mandent, vel cogant tradi ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos; 2.° ut Ecclesiae prohibitionem et censuram sciant. Haec omnia enucleantur.

Actio sub hac censura vetita est mandare vel cogere, prout antea dictum est. *Mandare* idem est, ac auctoritate jubere, praecipere; hinc illi dicuntur *mandantes*, qui, auctoritate qua pollent, praecipiunt aliquem praedictorum in loco sacro tumulari. Unde non veniunt privatae personae, licet praepotenter sepulturam talium praecipiant, hoc enim in casu potius coactio, quam jussum dici potest. Ratio est, quia jussum in privata persona contra Ecclesiae auctoritatem concipi non potest. Enimvero cum sepultura, vel sepulturae exclusio jus publicum constituat, nonnisi ab habente potestatem aliquo jussu vel sperni vel custodiri potest. *Cogere* vero idem est, ac per vim vel metum gravem injuste inducere. Bonac. disp. II. q. II. p. VI. Hinc illi dicuntur *cogentes*, qui per vim vel metum gravem inducunt ecclesiasticam auctoritatem, ut concedat praedictis sacram sepulturam. Dixi *per vim vel metum gravem*, quia vis modica, seu metus levis non sufficit; verbum enim *cogere* significat inducere nolentem per vim vel metum gravem. Hi autem possunt esse tum personae auctoritate pollentes, tum privati homines potestate destituti. Hinc qui cogunt per metum levem ab hac censura excusantur; et similiter qui inducit precibus etiam importunis, sed sine minis, eadem censura non ligatur, nam hujusmodi preces non inferunt vim per se loquendo, ita communiter Doctores. Neque eam incurrit, qui suadet, licet effectum obtinuerit, quia suasio non est vis, quae infertur. Ex quo sequi-

---

qui sine poenitentia perierunt.—Iis de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint sacramenta Confessionis et Communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt.—Infantibus mortuis absque baptismo.—Ubi vero in praedictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur ».

tur eos, qui praedictorum cadavera ad sacram sepulturam efferunt, qui foveam excavant, qui sepeliunt aut quovis modo cooperantur, graviter peccare (excipe si agant per vim vel per metum), at neutiquam excommunicationem incurrunt, quae lata est contra mandantes vel cogentes. Attamen tunc mandantes vel cogentes censurae subjiciuntur, cum sepultura reapse impleta est, quia in tumulatione habetur actus completus a lege prohibitus.

Subjungitur in textu *tradi ecclesiasticae sepulturae.* Tradere autem ecclesiasticae sepulturae significat talium cadavera recondere, tumulare in loco sacro, idest in Ecclesia vel coemeterio, vel in alio quocumque loco ad sepulturam, vel ad alia divina officia peragenda destinato auctoritate Episcopi, vel ex consuetudine, ita *Ugolinus, Suarez, Reginaldus, Bonac.*, aliique. Hinc si locus a potestate civili est designatus, nullo jure uti sepultura ecclesiastica spectari potest, ideoque censura locum non habet.

Utrum autem etiam Episcopi benedictio requiratur, ut sepultura dicatur sacra, discrepant Doctores tum veteres tum recentiores, et etiam Constitutionis *Ap. Sed.* interpretes discordant, uti ex diversis definitionibus, quas tradunt de ecclesiastica sepultura, eruitur. Certum tamen est Rituale Rom. benedictionem requirere; legitur enim in titulo XXXIV. *De exequiis: Nemo Christianus in communione fidelium defunctus extra Ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet.* Certum pariter est in praxi Episcopos loca destinata ad fidelium sepulturam benedicere, ut inde possint eorum corpora sepeliri. Ex alia parte in poenis stricta facienda est interpretatio, ideoque dicendum, quod nisi adfuerit benedictio, *mandantes vel cogentes* censuram non subeunt. Neque eam incurrunt, uti eruitur ex superius dicto, si mandant vel cogunt sepeliri praedictos in loco profano, etiamsi forte inter sepeliendum aliquae orationes recitentur, vel adhibeantur aliae solemnitates et caeremoniae ecclesiasticae, quia haec non dicitur ecclesiastica sepultura, ita *Bonac.* E contra eam incurrunt, si mandant, aut cogunt sepeliri praedictos in loco sacro, licet absque ritu catholico. Idem dicendum, si mandant aut cogunt eos sepeliri in loco sacro quacum-

que de causa polluto. Pollutio enim, ut ajunt canonistae, non adimit benedictionem aut consecrationem, sed tantummodo sacrum locum maculat.

Additur denique in textu *haereticos notorios aut nominatim excommunicatos, vel interdictos.* De istis jam alibi sermonem habuimus, unde heic dicimus, quae ad rem spectant. Haereticorum nomine heic non veniunt tantum illi, qui alicui sectae haereticali nomen dederunt, eique sese associarunt, sed omnes qui scientes volentes aliquam veritatem contra fidem professi sunt, dummodo publice constet fuisse haereticos, et in haeresi decessisse. Unde non requiritur, ut sint vitandi, uti patet ex textu, sed sufficit ut cognoscantur prout haeretici, quaecumque sit notorietas sive juris, sive facti, sive famae. At non tantum haeretici notorii hoc articulo comprehenduntur, sed etiam apostatae, uti plures interpretes censent, inter quos *Avanzinius;* quia si excommunicatio incurritur ob sepulturam haeretici notorii, qui unum negat fidei articulum, potiori jure dicendum est eam incurri pro sepultura apostatae, qui omnia fidei dogmata negat. *Nominatim excommunicati vel interdicti* illi dicuntur, qui proprio nomine excommunicati declarantur vel interdicti, ita ut cum alia persona confundi nequeant. Et quoniam quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, sequitur eandem excommunicationem incurrere eos, qui mandant vel cogunt sepeliri in loco sacro nominatim excommunicatos vel interdictos, sive sint a Papa, sive sint ab Episcopo.

Quod si praedicti ecclesiasticae sepulturae traduntur sine mandato vel coactione, a nemine excommunicatio incurritur; ex. gr. si cadaver haeretici notorii associatione, ita dicta *civili*, in loco sacro tumularetur, quin Parochus aut alia ecclesiastica auctoritas se opponat, et de Ecclesiae prohibitione moneat, nemo, dico, excommunicationem incurreret, quia deest mandatum, vel coactio.

Insuper requiritur ad hanc excommunicationem incurrendam, ut mandantes vel cogentes Ecclesiae prohibitionem et censuram sciant, unde si invincibiliter haec ignorant, a censura excusantur. At eam non effugiunt, si ignorantia est crassa seu supina, quia in textu non adest verbum *scienter.* In praxi autem diffi-

cili admodum pacto ignorantia invincibilis praesumi potest, quia mandatum et coactio oppositionem supponunt, ideoque auctoritas ecclesiastica se opponendo Ecclesiae prohibitionem et censuram patefaciet.

II.

Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes.

Hoc articulo antiqua lex S. Pii V. in Extravaganti *Si de protegendis* valde limitata est. Finis legis est tueri Supremum Tribunal S. Inquisitionis ejusque ministros, ut causae ad S. Officium deferantur, ut testes deponant, ut ad denuntiationem obligati denuntient, ut sententiae ferantur et executioni mandentur. Actiones igitur sub censura in hoc articulo vetitae sunt sequentes.

Prima actio est *laedere aut perterrefacere* Inquisitores, denuntiantes, testes aliosve ministros S. Officii (1). Verbum *laedere*, uti affirmat *Brisson* Voc. Jur. V. *Laedi*, tantum laesionem corporalem stricto sensu significat; et quoniam sumus in poenis, et in poenis verba stricto sensu sunt accipienda, sequitur quod si laesio praedictis fit in bonis vel in fama, non incurritur excommunicatio. Hinc laedentes in hoc articulo intelliguntur illi, qui praedictorum personam in corpore offendunt, nempe verberant, mutilant, occidunt, aut quid aliud corporale iis inferunt. Revera hic articulus ex praedicta Constitutione Pii V. sumptus est, et in ista de damnis in persona supra recensitis sermo fit. *Perterrefacere* juxta vim vocis idem est, ac terrorem alicui inferre, ita *Cic.*, idest denotat aliquid, quod, ut ita dicam, gravem metum excedit; quia ad incurrendam poenam gravem requiritur actio, quae certe grave peccatum attingit. Unde metus levis, etiam paulo gravior, preces importunae et

(1) Ut Notarios, Advocatos, Consultores, executores etc.

suasiones censuram non inducunt. Hinc illi dicuntur perterrefacientes, qui metum admodum gravem praedictis incutiunt. Qui igitur sive Romae, sive extra, hos vel laedunt, vel perterrefaciunt, excommunicationem nemini reservatam incurrunt. Dixi *sive Romae sive extra*, quia quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, Attamen in hoc articulo minime comprehenduntur ministri Episcoporum, quamvis sint Inquisitores nati, quia in textu tantum ministri S. Officii exprimuntur.

Secunda actio, quae sub censura prohibetur, est *diripere vel comburere ejusdem Sacri Tribunalis scripturas. Diripere* etymologice spectatum idem est, ac vi auferre, ita *Cic.;* hinc illi hanc censuram subeunt, qui scripturas S. Officii vi auferunt vel praedantur. Unde qui eas ab alio accipit, et detinet, vel ab alio emit, vel perditas invenit, et detinet, hanc censuram non incurrit, quia non diripuit; nec huic censurae subjacet, qui eas clam furatur, vel aliqua machinatione subtrahit, quia furari aut astute subtrahere non est diripere; nam direptio palam fit, quia vim supponit, furtum autem occulte perpetratur. *Comburere* idem est, ac incendio destruere, unde direptio, uti patet, a combustione distinguitur, ac proinde quivis unam harum actionum patrat, censuram incurrit. Hinc qui diripit scripturas, etiamsi non comburat, censura ligatur; e contra qui eas comburit, licet non diripuerit, quatenus aut eas invenit, aut ab alio accepit, aut emit, hac censura innodatur, quia comburit. Si vero quis scripturas S. Officii ab alio accepit, aut invenit, aut emit, et eas non comburit, sed dilacerat, aut in mare projicit, vel alio quovis modo destruit, censuram non incurrit, quia in odiosis verba stricto sensu sunt accipienda: unde si in textu dicitur *comburere*, combustio verificari debet, ut censura incurratur. Quod si quis scripturas diripit, et statim comburit. prout una actio moraliter spectatur, unam censuram incurrit; si vero longum tempus inter utramque actionem intercedit, ita ut una actio ab alia per moram temporis sit interrupta, tunc duo crimina committit, et duplicem censuram contrahit, nempe pro direptione et combustione.

At heic duo sunt notanda: 1.° licet in textu dicatur: *ejusve S. Tribunalis scripturas*, tamen praeter manuscripta, litteras,

exemplaria et acta processualia intelliguntur etiam libri; tum quia scripturarum nomine veniunt etiam libri, ut cum dicitur Sacra Scriptura, intelliguntur libri divinitus inspirati; tum quia certum videtur Pium IX. per *scripturas* exprimere voluisse, quae in cit. cap. III. Pius V. expresserat; tum quia scripturae typis impressae in hac re nil aliud sunt, quam denuntiationes, depositiones testium, ipsaque acta judicialia, quae antea erant scripta, et postea typis amandata fuerunt: sunt itaque scripturae, ita *Pennacchi;* — 2.° notandum, quod ad censuram incurrendam satis non est unam aut alteram scripturam vi auferre, aut comburere, sed plures esse debent, quia Pius IX. non dixit aliquam scripturam, sed *scripturas*, quo significavit plures scripturas diripiendas aut comburendas esse, ut censura incurratur. Hinc licet nonnulli auctores etiam unam scripturam vel alteram diripere vel comburere esse materiam hujus censurae affirment, tamen semper dubium esset, et pro re dubia non potest incurri certa poena.

Tertia actio, quae sub censura prohibetur, est auxilium, consilium, favorem praedictis praestare. At hujusmodi cooperatio sub censura vetita refertur tum ad primum, tum ad secundum in articulo expressum, nempe sive ad laedentes et perterrefacientes, sive ad diripientes et comburentes; quivis igitur cooperatur uni ex dictis actionibus, excommunicatione percellitur. Attamen effectu sequuto, quia istae actiones secundario vetantur, non primario, ac proinde nisi habeatur principale, accessorium corruit. Et hoc deducitur ex contextu. Nam in Constitutione Pii V. dicebatur: *qui auxilium, aut favorem publice vel occulte in quolibet praedictorum scienter praestiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extinctus* etc., quae Pius IX. reticuit, quo innuit cooperationem secundario prohibere. Hinc si actio praedicta sequuta non sit, cooperantes censura non ligantur; nec ea innodantur, si auxilium, consilium et favor frustranei omnino fuerint, quatenus principales agentes jam ad effectum dispositi erant, et unice ex se crimen commiserunt, hoc enim in casu consulentes faventes in effectum non influxerunt.

Omnes igitur et singuli, qui aliquam ex praedictis actionibus

praestant, censuram hujus articuli incurrunt, dummodo censuram cognoscant; quod si eam ignorant, ob ignorantiam ab ea excusantur. At quoniam in textu non adest verbum *scienter*, prout antea erat, sequitur ignorantiam crassam seu supinam ab ea non excusare.

III.

Alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis Ambitiosae. *De Reb. Eccl. non alienandis.*

Cum haec censura ad normam, idest secundum tenorem *Extravagantis Ambitiosae* lata sit, quoad interpretationem eodem modo est intelligenda, quo Extravagans illa fuit intellecta. In Extrav. igitur *Ambitiosae De Rebus Ecclesiae non alienandis* interdicitur alienatio bonorum Ecclesiae, monasteriorum et locorum piorum, tam immobilium quam mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt. Imo alienatio dictorum bonorum sine solemnitate facta irritatur, et alienans ligatur excommunicatione, nec non privatur beneficiis, officiis et administratione bonorum, quae alienare praesumpsit. Eadem excommunicatio extenditur ad recipientem. Si vero alienans est Episcopus vel Abbas, infligitur interdictum ab ingressu Ecclesiae, et si per sex menses in interdicto permanet, suspensus remanet a regimine et administratione Ecclesiae vel monasterii, cui praesidet in temporalibus. Hoc in veteri jure erat sancitum, et poenae recensitae incurrebantur (1). In novo autem jure, idest in nostra Constitutione, idipsum prohibetur, nam dicitur: *excommunicamus alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Be-*

(1) Si antea consuetudo contraria *Extravaganti Ambitiosae* in aliquibus locis invaluit, et in aliis non fuit recepta; nunc temporis post Const. *Ap. Sed.* nulla valet consuetudo contraria, cum Pius IX. disertis verbis abrogaverit quaslibet contrarias consuetudines, quae Constitutioni a se latae adversarentur. En verba, quae in hac Constitutione inveniuntur: *Irritum atque inane esse ac fore quidquid super his..... praetextu..... consuetudinis inductae vel inducendae..... scienter vel ignoranter contigerit attentari.*

neplacito Apostolico ad formam Extravagantis Ambitiosae. Unde actiones vetitae in hoc articulo sunt alienatio bonorum Ecclesiae absque beneplacito Apostolico, et eorum praesumptuosa receptio. Hinc explicare oportet: 1.° quid nomine alienationis hoc in loco intelligatur, et quid nomine bonorum, quae hoc in loco alienari prohibentur, veniat; 2.° quando haec bona alienari possint absque Beneplacito Apostolico, ut inde inferatur quinam, et quando hanc censuram incurrant.

Nomine alienationis hoc in loco intelligitur actus, quo dominium rei directum vel utile, aut usufructus, aut jus in alterum trasfertur, immutatur, imminuitur vel obligatur. Propterea nomine alienationis non solum venit venditio, aut alius contractus gratuitus vel onerosus, quo rei dominium in alterum transfertur, verum etiam hypotheca, locatio ultra triennium (modo locatio fiat de bonis, quae singulis annis fructus reddunt, nam si alternis vel ternis solum annis fructus reddant, locatio pro rata protrahi potest), infeudatio et contractus emphyteuticus, exceptis casibus a jure permissis. Nam Summus Pontifex in dicta *Extravaganti Ambitiosae* prius generaliter prohibet alienationem, deinde subdit peculiares alienationis modos, seu species (1). Unde ait *Bonac.* disp. II. q. IV. p. 11. non licere absque justa causa, et sine Summi Pontificis consensu super bonis Ecclesiasticis inire contractum emphyteuticum, libellarium, feudalem, censualem, precarium, permutationem, pignorationem, hypothecationem tam generalem quam particularem, obligationem, impositionem servitutis, cessionem jurium, et actionem, transactionem et compromissum, per quod possessio in alium transfertur; haec enim omnia, nomine alienationis in *Extrav. Ambitiosae* interdictae, comprehenduntur. Idem affirmat Cl.

(1) En verba: *Omnium rerum ac bonorum ecclesiasticorum alienationem omneque pactum, per quod ipsorum dominium, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, nec non infeudationem vel contractum emphyteuticum, praeterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus et bonis in emphytheusim ab antiquo concedi solitis, et tunc cum Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quae servando servari non possunt, pro instantis temporis exigentia, hac perpetuo valitura Constitutioni fieri prohibemus.*

Ferraris V. *Alienatio* art. III. n.° 13., nec non *S. Alphonsus* IV. 187.

Nomine autem bonorum hoc in articulo veniunt immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, uti eruitur ex ipsa *Extrav.* Bona immobilia sunt ea, quae loco moveri non possunt, ut praedia, domus, agri et similia. At in re nostra veniunt etiam jura et actiones ad immobilia, nec non nomina debitorum ac servitutes, ut jura piscandi, venandi et similia. Item venit magna pecuniae summa donata ac destinata ad emenda immobilia, tunc enim illa censetur quid immobile. Demum etiam pertinent ad immobilia census et annui redditus perpetui, ita *S. Alph.* IV. 187.

Nomine mobilium pretiosorum, quae alienari non possunt, veniunt, quae sunt de thesauro Ecclesiae, vel quae propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt Ecclesiae specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosae, gemmae, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum, et similia excedentia valorem viginti quinque scutatorum aureorum. *Ferraris* V. *Alienatio* art. III. (1). Item greges et armenta totaliter considerata; non autem eorum fructus, cum licitum sit vendere et alienare arietes, hircos, haedos, vitulos et hujusmodi. Item incisio arborum et sylvarum si fiat cum deterioratione, quatenus, illis sublatis, praedium redditur graviter deterius. *S. Alph.* loc. cit.

At si praedicta bona absque Beneplacito Apostolico alienari non possunt, secus incurritur censura nemini reservata hujus articuli, adsunt tamen casus a jure permissi, in quibus hujusmodi venia non requiritur, et censura effugitur. Hinc alienari possunt absque venia Apostolica — 1.° terrulae, aliique fundi steriles et exigui valoris, minusque Ecclesiae utiles (2). Exigui autem

(1) Utrum autem nomine mobilium pretiosorum veniant etiam insignes reliquiae sanctorum, non consentiunt Doctores; sunt qui affirmant, quia etsi pretio non aequentur, sunt tamen super omne pretium; sunt qui negant, quia reliquiae in patrimonio nostro esse nunquam dictum est.

(2) Intellige tamen in hujusmodi alienationibus requiri semper Episcopi licentiam, ut docent omnes Doctores, ob externum Ecclesiae regimen, et exteriorem disciplinam. Revera *Card. d'Annibali* p. III. app. II. n. 91. ait:

valoris fundus habetur, si totus et integer non excedat pretium scutatorum aureorum viginti quinque de camera, uti declaravit S. C. C. 1611., idest libellarum ital. circiter 225; nisi plus ferat consuetudo dioecesis (1). At, abstractione facta a consuetudine, recentiores et sapientiores Theologi pro hodierna pecuniae conditione existimant nunc temporis fundum exigui valoris, quem Episcopi sine venia Pontificis alienare possunt, illum esse, qui valet 500 libellas (2); — 2.° res, quae verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non perdurant,ut fructus, vestes, singularia jumenta; — 3.° res exigui valoris, nempe si non attingant summam viginti quinque scutatorum aureorum de camera; nisi aliter ferat consuetudo dioecesis. — 4.° res Academiae, Seminarii, Hospitalis, Confraternitatis, modo non sint erecta auctoritate Episcopi; — 5.° res ad quas conservandas ejus redditus non sufficerent. Item non incurritur censura, si oportet vendere

---

cura et quasi tutela bonorum Ecclesiae est penes locorum Ordinarios. Scavini Tom. III. n. 646. dicit: *sunt enim aliqua bona quae ab ecclesiasticis administrationibus possunt alienari sine S. Sedis licentia, si tamen in reliquis debitus modus observetur, et obtineatur licentia Episcopi.* Et confirmatur ex cap. *Terrulas*, ubi legitur: *Terrulas, aut vineolas exiguas, et Ecclesiae minus utiles, longe positas, et parvas, Episcopus sine consilio fratrum, si necessitas fuerit, distrahendi habeat facultatem.*

(1) Ita declaravit S. C. C. 21 Julii 1827., Lucidi II. pag. 504.

(2) *Bouix De Jur. Regul.* Vol. II. p. V. Sect. IV. ait: *Mihi videntur decisiones a Ferrario allatae, non quidem pro absoluta, bene tamen pro directiva regula sumi posse. Ponderando nempe, eo tempore quo decisiones istae emanarunt, pecuniam ipsam relative ad res usuales comparandas multo plus valuisse quam valet hodie, menti ejusmodi declarationum videretur consonum, si nostris temporibus dicta summa duplicaretur. Juxta quam prudentialem normam existimarem hodie in Gallia pro exiguo haberi posse valorem, qui 500 francos non excedit.—Lehmkul* tom. II. n. 974. dicit: *Modici valoris pro hodierna pecuniae conditione videtur certo esse quod 500 francos non excedit.*— Ita quoque sentit *Vincent Th. Dogm. et Mor.* tom. VI., *March* tom. II. n. 8355. not. 2.—*Et Bucceroni in Comm. Const. Ap. Sedis* scribit quod Sacra Cong. EE. et RR. *pro praediis exigui valoris summam determinavit 25. scutatorum aureorum de camera, nempe circiter 225. libellarum italicarum, quae ob immutatum pecuniae valorem augeri in praesenti potest proportionata ratione.*

ad solvendum debitum, pro quo creditor urget apud Judicem, et deest tempus recurrendi pro venia ad S. Sedem. Pariter in casu magnae necessitatis, quae non permittat expectari consensum Superioris. Item in casu notoriae utilitatis Ecclesiae, si expectato consensu Pontificio transiret occasio. In his tamen duobus casibus necessitatis et utilitatis requiritur saltem consensus Episcopi. Similiter si donentur bona iis, qui illa retinere non possunt, ut sunt monasteria ordinis Minorum de observantia S. Francisci, Reformatorum, Cappuccinorum et Clericorum Regularium seu Theatinorum. Denique si fiat renumeratio pro aliquo beneficio Ecclesiae collato. *S. Alph.* loc. cit. In his igitur casibus bona Ecclesiae absque Beneplacito Apostolico alienari licite possunt, ideoque censura effugitur.

Hoc posito hanc censuram incurrunt omnes et singuli, tum laici tum clerici, sive saeculares sive regulares, qui bona Ecclesiae tam immobilia quam mobilia pretiosa, quae servando servari possunt, absque Beneplacito Apostolico alienant; et ii qui praedicta bona recipere praesumunt. At heic notandum est: — 1.° *quoad recipientes* omnes hac censura ligari, etiamsi Episcopali et Abbatiali dignitate sint praediti; *quoad vero alienantes* omnes pariter huic censurae subjacere, exceptis Episcopis vel Abbatibus, qui excommunicationem non incurrunt, sed interdicto ab ingressu Ecclesiae aut etiam suspensione puniuntur ex *Extrav. Ambitiosae;* — 2.° censuram incurri ab alienantibus, si bonorum administrationem habent; nam in *Extrav. Ambitiosae* sermo est de Praelatis, beneficiariis et aliis administrationem habentibus; utpote sunt Episcopi, Capitula, beneficiarii et alii legitimi administratores, quorum nempe nomine et mandato alienatio fit, non eorum mandatarii. Propterea Religiosus subditus, aut alius quicumque, qui nullam habet bonorum administrationem, si quid alienat, licet peccet, non ligatur tamen ista excommunicatione; — 3.° alienantes praedicta bona absque Beneplacito Apostolico et ea recipere praesumentes excommunicationem incurrere, modo non sint ii casus, in quibus, uti superius dictum est, Beneplacitum Apostolicum non requiritur. — 4.° pro alienantibus tantum ignorantiam invincibilem, tum juris tum poenae, eos a censura excusare; pro recipientibus vero etiam

ignorantiam crassam et supinam eos excusare, quia pro recipientibus adest verbum *praesumentes;* dicitur enim *recipere praesumentes,* dum pro alienantibus nullum verbum adhibetur, dicitur enim absolute *alienantes.*

Ex dictis colligitur excommunicationem non incurri—1.° ob contractum vel attentationem alienationis, si postea alienatio sequuta non sit. Ratio est, quia poena imposita facienti non incurritur ob criminis attentationem, hinc requiritur contractus ex utraque parte completus; — 2.° si alienatur oleum, vinum, frumentum, quia hujusmodi bona non censentur pretiosa, quae servando servari possunt; — 3.° si alienantur bona, in quorum titulum clericus ordinatus est, eo quod non sunt bona Deo dicata, et consequenter non ecclesiastica; — 4.° si bona Ecclesiae surripiuntur, arbores caeduntur; — 5.° pro consilio, pro favore, pro consensu, quia in articulo non sunt expressi consulentes, faventes, consentientes.

Utrum autem licitum sit, et effugiatur censura alienando aliquod bonum donatum monasterio cum expressa facultate illud alienandi propria auctoritate, absque beneplacito Apostolico? Non conveniunt Doctores. Nonnulli negant posse fieri, quia tunc res monasterio donata acquirit conditionem bonorum ecclesiasticorum; alii affirmant, quia sicut donans poterat de re disponere, ita etiam poterit donatarius ex illius potestate. Ceterum in praxi qui id ageret, censuratus non esset censendus, quia pro re dubia non potest incurri certa poena.

Item utrum Praelatus valide et absque excommunicatione possit repudiare legatum relictum Ecclesiae, aut repudiare haereditatem absque venia Apostolica, requisita ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum? Litigant Doctores. Probabilior sententia affirmat, quia praedicta venia requiritur tantum in alienatione bonorum Ecclesiae; Praelatus autem renunciando legatum, nondum acceptatum, non dicitur alienare bona Ecclesiae (1). At

(1) Hujus sententiae est. *Jos. D'Annib.* qui ait: *Bona dicuntur, quae in patrimonio nostro sunt: quamobrem bona ecclesiastica accipere debemus, quae sunt in patrimonio cujusvis Ecclesiae.... Eoque minus in bonis Ecclesiae sunt Pia Legata, quorum bona relicta fuerint penes haeredes. Sed nec bona Ecclesiae donata aut relicta, quamdiu non fuerint acceptata.*

S. Alph. loco cit. veriorem sententiam putat posse haereditatem renunciari, non vero legatum, quia ad validitatem donationis requiritur quidem acceptatio, non autem ad legatum, quod statim acquiritur a legatario post mortem legantis.

Similiter utrum incurrat censuram hujus articuli, qui bona Ecclesiae alienat cum hac conditione: *salvo Summi Pontificis consensu?* Respondendum puto: si bona re ipsa tradit antequam beneplacitum Apostolicum obtineat, eam incurrit, tum quia protestatio est contraria facto, tum quia assensus Superioris debet factum alienationis praecedere, cum de illius forma sit, ita *Bonacin.* Si vero nihil tradit, tunc est conditio, quae suspendit consensum, et deficiente consensu, deficit alienatio, et censura effugitur. Eo vel magis quod pro alienatione censura non incurritur, nisi contractus ex utraque parte sit completus.

Denique pro coronide utile esse censeo huc referre probatorum auctorum opinionem, qui censent alienationem factam ex justa causa, et absque detrimento Ecclesiae in foro conscientiae valere, non in foro exteriori, ideoque censuram non incurri. At non desunt auctores, qui secus sentiunt, variis SS. CC. responsis innixi.

IV.

Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecess. Nostris Gregorio XV, Constit. Universi, *20 Augusti 1622, et Benedicto XIV, Const.* Sacramentum poenitentiae, *1 Junii 1741.*

Cum immane flagitium, et enormissimum crimen sit, poenitentes in confessionario ad venerea sollicitare, Rom. Pontifices de bono animarum solliciti contra illud Constitutiones et gravissima decreta ediderunt. Inter cetera Bened. XIV. statuit: *Meminerint omnes et singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, sedulo monere, juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis praedictis, per-*

sonam quae sollicitationem commiserit, etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Idipsum decrevit Gregorius XV.; unde vi Constitutionum praedictorum Pontificum fideles a confessario, aut simplici sacerdote tanquam a confessario ad venerea in casibus in Bullis expressis sollicitati tenentur eos Inquisitoribus aut locorum Ordinariis sub gravi culpa denuntiare. Ad quam denuntiationem obligantur non tantum ii, qui sollicitati fuerint, sed etiam alii omnes, qui id certo sciunt (1), licet sub secreto, excepto illo, cui sollicitatio manifestata sit causa petendi consilium; uti eruitur ex Theologorum doctrina, quos refert *S. Alph.*, et ex variis decretis Rom. Inquisitionis. Haec autem denuntiatio si ab aliquo nequit fieri per se, uti si sint Moniales, puellae in Monasteriis degentes etc., est facienda per epistolam vel per aliam personam sibi benevisam, dummodo non adsit periculum suae infamiae, uti declaravit S. C. Inq. 20 Feb. 1867. (2). Haec autem obligatio denuntiandi non cessat, sive

(1) En verba Inquis.: *Comandiamo in virtù di santa obbedienza, e sotto pena di scomunica di lata sentenza.... a tutti o ciascuna persona di qualunque stato etc., che fra il termine di un mese.... debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ovvero agli Ordinarii ciascuno di quelli, dei quali sappiano, o abbiano avuto, o avranno notizia.... che contro i decreti e Costituzioni Apost. abbiano abusato, o abusino del Sagramento della Penitenza, servendosi della Confessione e Confessionario a fini disonesti, sollicitando in essi i penitenti ad turpia.*

(2) En verba Instructionis S. C. Inq. ad omnes Ordinarios: *Denuntiationis onus est personale, et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tum vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium vel S. Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem, quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii.*

confessarius sit emendatus, sive longum tempus lapsum sit, sive sollicitatio probari non possit, uti eruitur sive ex Bullis, sive ex decretis, sive ex ratione; nam onus denuntiationis non solum inductum est ad finem emendationis, sed etiam ad finem exemplaris punitionis, ut alii deterreantur ab hoc execrabili et nefando crimine perpetrando, et ad scandalum reparandum, qui finis adhuc viget, etiam supposita emendatione confessarii sollicitantis, vel diuturnitate temporis elapsi.

Utrum autem poenitens excusetur a denuntiando sollicitantem, si inde timeat grave damnum in vita, fama et rebus temporalibus, non conveniunt DD. Nonnulli negant, quia homo habet jus naturale ad haec omnia defendenda; sed contra hoc jus naturale praevalere non potest jus humanum, quales sunt Bullae Pontificiae et Inquisitionis decreta; ergo cum periculo gravis damni in vita, fama et rebus temporalibus non tenetur homo sollicitantem denuntiare. Alii affirmant, nam incommoda, quae adveniunt Poenitentiae Sacramento ob omissionem denuntiationis, praevalent incommodis privatis, cum illa sint contra bonum commune Religionis, haec vero contra personas particulares; ergo denuntiandi sunt sollicitantes etiam cum periculo gravis damni. Sed nos via media incedimus, et dicimus, quod regulariter loquendo excusatur sollicitatus cum periculo gravis damni a denuntiando sollicitantem, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo.Quod si id expostulat bonum commune Religionis, quatenus frequenter confessarius cum pluribus abutatur hoc sacramento cum gravi animarum pernicie, et tunc ad vitandum majus damnum imminens Religioni et communitati etiam cum periculo gravis damni tenetur ipse sollicitatorem denuntiare.

Statuto onere denuntiationis, quo innititur articulus noster, nunc propius ad eum accedentes dicimus, quod omnes cujuscumque aetatis vel sexus, dummodo doli capaces, qui sollicitati ad turpia a confessario aut simplici sacerdote tanquam a confessario in casibus in Bullis expressis, sive tunc sollicitationem apprehenderint, sive postea ad maturiorem aetatem perventi (1),

(1) S. C. Inq. 11 Maji declaravit: *puellam sollicitatam in simplicitate*

culpabiliter denuntiationem omittunt, incidunt in excommunicationem nemini reservatam hujus articuli, quae quidem excommunicatio, licet sit nemini reservata, et a quovis confessario possit absolvi, tamen in praxi, nisi fiat denuntiatio, ne absolvi quidem potest, quia poenitens, cum possit, non denuntians est indispositus, et ratione indispositionis non potest absolvi. Attamen haec censura intelligenda est, si absque legitima causa et vero impedimento denuntiatio omittatur, quia stante justa causa potest differri denuntiatio, et excommunicatio effugitur; ut si longe distet Tribunal Inquisitionis aut aliquis ejus minister, vel sit necessitas Eucharistiam recipiendi, secus adesset scandalum fidelium, et infamia personae sollicitatae, in his et aliis similibus casibus, si persona sollicitata est fide digna et timoratae conscientiae, firmiterque proponat, occasione data, quamprimum denuntiaturum, potest differri denuntiatio et impertiri absolutio, ita *Sanchez, Suarez, Salm., S. Alph.*, et id habetur quoque ex Instructione S. Officii ad Episcopos 20 Sept. 1867., et ex Bulla Benedicti XIV. *Sacramentum Poenitentiae* (1). Haec autem absolutio hoc in casu potest dari non solum a peccatis, sed etiam a censura incursa (si lapsus sit mensis, et culpabiliter omissa fuerit denuntiatio), quia ex una parte censura est nemini reservata, ex alia non potest quis absolvi a peccato, nisi prius absolutus fuerit a censura. In hoc enim articulo non habetur illa clausula, *donec non denuntiaverint*, quae habetur in art. IV. censurarum R. Pontifici gen. modo re-

---

constitutam, et absque notitia inhonestatis, teneri denuntiare confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae sollicitationis acquisiverit.

(1) En verba: *Poenitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob justam causam denuntiationem differre debent, eamque, quo citius poterunt, faciendam spondent, serioque promittunt, possunt tunc absolvi.*—Et Bened. XIV. in eadem Constitutione ait: *Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.*

serv., ita *Avanz.* Quod si poenitens facta promissione quamprimum denuntiandi et accepta absolutione, postea mutata voluntate non denuntiat, in excommunicationem non reincidit, quia reincidentia non est expressa.

Ut autem praedicta censura incurratur requiritur:—I. ut culpabiliter quis omittat confessarium aut sacerdotem sollicitatorem denuntiare. Hoc verbum *culpabiliter* importat; 1.° ut quis cognoscat suam obligationem denuntiandi, secus culpa erit tantum materialis, et culpa formalis requiritur ad aliquam poenam subeundam; 2.° ut sciat poenam adnexam, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, et qui poenam ignorat, contumax non est, cum nulla verificetur legi Ecclesiae inobedientia; 3.° ut cognoscat terminum suae obligationis, nempe teneri infra mensem sollicitatorem denuntiare; hinc si putat ad libitum posse eam facere, vel non effluxisse mensem a die suae cognitionis, eam non incurrit ratione conscientiae erroneae.—II. requiritur. ut sit poenitens; ceteri enim, qui ad hanc denuntiationem tenentur, peccant culpabiliter eam omittentes, sed hanc censuram non incurrunt, quia in nostro articulo dicitur: *Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis* etc., hinc tantum sollicitati sub censura tenentur denuntiare, et hi profecto sunt poenitentes, non vero ii, qui ab alio crimen audiunt.—III. ut sollicitator sit confessarius aut sacerdos, uti eruitur ex textu; hinc si est laicus (licet sollicitatus teneatur eum denuntiare uti suspectum de haeresi ex Const. Gregorii XIII.), censuram tamen non incurrit.—IV. ut lapsus sit mensis a die cognitionis suae obligationis, ita C. S. Off. 10 Martii 1677. et *S. Alph.* n.° 693; unde si post aliquod tempus cognoscitur obligatio, tunc incipit mensis.—V. ut sollicitatio sit certa, et non dubia. Hoc autem dubium potest cadere vel circa sollicitationem, vel circa personam: si primum non est facienda denuntiatio, quia nemo potest privari jure certo ad famam pro crimine dubio; si secundum distinguendum est: si adsunt talia signa, ex quibus potest Superior certe cognoscere personam, quae sollicitavit, tunc facienda est denuntiatio, qua culpabiliter omissa incurritur haec censura; si vero haec signa de-

sunt, eadem ratione supra allata non est facienda denuntiatio. *S. Alph.* VI. 702.—VI. ut sollicitatio fiat in casibus expressis in Const. Gregorii XV., et Bened. XIV., nempe vel in actu confessionis, vel immediate ante, vel immediate post, vel occasione confessionis, vel praetextu confessionis, vel in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem.

In actu confessionis, idest quando poenitens sub signo crucis incipit confiteri, et confessarius ad turpia eum provocat. Id autem intelligendum est non solum de aperta, explicita et perfecta provocatione, sed etiam inchoata; hinc si confessarius in confessione apponit medium indifferens, quod tamen ex circumstantiis postea cognoscatur appositum ad sollicitandum, uti esset imponere mulieri, ut expectet eum domi, vel si interroget eam ubi habitet, et postea statim illuc se conferens eam sollicitat, hoc est sollicitare in actu confessionis. Nec refert, quod poenitentem non absolvat, neque confessionem perficiat, sed sufficit ut sit incoepta, *S. Alph.* VI. 676.

Immediate ante vel post. Illa sollicitatio dicitur facta immediate ante vel post confessionem, quando inter sollicitationem et confessionem nullum intervallum vel alia actio intercedit; hinc confessarius, qui mulierem genuflexam ad confitendum, antequam signo crucis se muniat, et de more recitet *confiteor*, sermonem cum ea instituens ad turpia provocat, dicitur sollicitare *immediate ante,* licet confessio postea non sequatur. Qui vero statim finita confessione, alia non interposita actione, tradit mulieri chartam vel librum obscoenum postea legendum, dicitur sollicitare *immediate post.* Et hoc eruitur ex declaratione S. Off. 11 Febr. 1661.

Occasione confessionis, idest quando confessarius vel poenitens invitat ad confessionem veram, ita *S. Alph.* loc. cit. Hinc si poenitens petit confessionem, et confessarius divertens sermonem ad turpia provocat, dicitur sollicitare occasione confessionis. Si vero poenitens petit confessionem pro crastina die, debet sollicitatio fieri in confessionario; si vero poenitens petit se confiteri statim, ubicumque invenitur, adest caput denuntiationis. Decr. S. Officii 1661 n. 4.°

Praetextu confessionis dicitur sollicitare, quando confessarius vel poenitens invitat ad fictam confessionem, ita *S. Alph.* loc. cit. Hinc confessarius, qui ex pravo fine ficte incitat mulierem ad confessionem, et deinde eam sollicitat, dicitur sollicitare *praetextu confessionis.* Si vero confessarius fingit confessionem ad eludendum alios ex gr. Superiores, ut e monasterio exeat, vel familiares (postquam jam cum poenitente de re turpi domi agenda convenerit), non est caput denuntiationis. Hoc enim in casu non adest praetextus confessionis, sed potius conventio sollicitationis mutuae extra confessionem ad turpia patranda, ita *Salmant., S. Alph.*, aliique.

In confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem. His verbis prohibetur sollicitare ad turpia in confessionario, aut in loco quocumque ad confessiones electo, si ibi simuletur confessionis sacramentalis auditio, idest debent esse ita dispositi, ut adstantes putent ibidem poenitentem se confiteri. Decret. S. Off. n.° 15. Unde qui in praedictis locis, et hoc modo ad turpia quamcumque personam provocat, denuntiandus est.

Praeter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis poena in Decreto Sess. IV. De editione et usu Sacrorum Librorum *constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Quoniam his verbis Pius PP. IX. retinuit omnes excommunicationes a Sacrosancto Conc. Trid. latas sive cum reservatione, sive non, nos heic primo exponimus excommunicationem latam contra imprimentes aut imprimi facientes libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione, quia hac Constitutione Summus Pontifex eam coarctavit tantum ad praedictos, et non ad alios, uti expressum erat in Sacrosancto Conc. Trid., ac proinde fere uti nunc lata censeri potest, deinde eas nemini reser-

vatas, quas Sacrosanctum Conc. Trid. directe inflixit, referimus, cum illam gen. modo P. reservatam contra usurpatores bonorum aut jurium Ecclesiae, ab eodem Conc. Trid. latam, antea pag. 168 censuerimus.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE NEMINI RESERVATAE DIRECTE INFLICTAE A S. CONCILIO TRIDENTINO

V.

Excommunicantur qui libros de rebus Sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

Triplex Constitutio in hac re reperitur. Prima est in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. X. contra imprimentes, aut imprimi facientes librum vel aliam quamcumque scripturam sine legitima approbatione. Secunda est in Indice librorum prohibitorum, regula X, ubi decretum Concilii Lateranensis confirmatum fuit, seu innovatum. Tertia est in Concilio Trid. Sess. IV. sub finem, ubi praedictum decretum Concilii Lateranensis innovatum fuit, et ampliatum ad actionem vendendi et retinendi praedictos libros, modo de rebus sacris agant (1). Quarta denique prohibitio lata est a Pio IX. in hac Constitutione, ubi coarctat censuram Tridentini ad eos tantum, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, sive habeant nomen auctoris, sive non; nulla enim de hac re distinctio fit, prout in Concilio Tridentino fie-

(1) En verba Concilii Tridentini: *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab Ordinario, sub poena anathematis et pecuniae in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita; et si Regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subjaceant, quibus impressores.*

bat. Unde non amplius censuram incurrunt vendentes, evulgantes, et retinentes hujusmodi libros, quia in hac Constitutione de his nulla mentio fit.

Haec censura est nemini reservata, quia Concilium Tridentinum nullam ei apponit reservationem, et eam incurrunt omnes et singuli, qui praefatas actiones faciunt. In Concilio enim Tridentino dicitur: *Nullique liceat imprimere vel imprimi facere*, quae verba sunt generalia et singulos afficiunt.

Ut autem praedicti hanc censuram incurrant, requiritur: — 1.° ut imprimant, aut imprimi faciant libros sine Ordinarii approbatione; — 2.° ut hujusmodi libri de rebus sacris tractent;— 3.° ut reapse sequatur impressio. Quinam autem dicantur imprimentes, aut imprimi facientes, et quinam libri censendi sint de rebus sacris agere, explicandum est. *Imprimere* est typis librum edere. Ut autem libri in lucem edantur, plures concurrunt, uti alibi dictum est, videlicet qui fundunt et vendunt characteres seu typos, qui vendunt atramentum, chartam, torcularia, qui typos seu characteres componunt, qui chartam madefaciunt, qui imponunt atramentum, qui prelo supponunt chartam, qui torcularia premunt, qui primas impressiones (vulgo stamponi) corrigunt, qui folia plicant, qui plicata consuunt vel ligant, denique dominus officinae, qui omnibus praeest et mandat. At, ut quisque videt, non omnes isti eodem modo concurrunt, sed alii plus vel minus remote, alii vero proxime. Quinam igitur praedictam censuram incurrunt? Illi tantum, qui communi modo loquendi dicuntur imprimere, et ad impressionem proxime concurrunt, scilicet, ut communiter docent DD., dominus officinae, qui characteres componunt, qui atramentum imponunt, qui chartam madefaciunt, et supponunt prelo, qui torcularia premunt; omnes enim isti dicuntur imprimere. *Imprimi facientes* sunt vel auctores, si libros typis mandent, non vero si iis insciis libri imprimuntur; vel editores aut alii, qui curant, ut liber typis mandetur. Quinam autem sint hujusmodi libri de rebus sacris tractantes, olim quaestio erat, sed nunc temporis lis finita est. Nam interrogata S. Officii Congregatio quinam libri sub citatis verbis comprehendantur? Feria IV. die 22 Decembris 1880. respondit: *Censuram nemini reservatam inflictam iis, qui*

libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt, restringendam esse ad libros sacrarum Scripturarum, nec non ad eorumdem adnotationes et commentarios, minime vero extendendam ad libros quoscumque de rebus sacris in genere, idest ad religionem pertinentibus tractantes. Tandem requiritur, ut impressio sequatur, quia ad incurrendam censuram requiritur delictum completum; hinc si quis mandat, ut liber sine Ordinarii approbatione imprimatur, sed postea mutato consilio id impedit, vel incepta impressione eam non complet, hanc censuram non incurrit.

Ex dictis sequitur venditores, detentores, lectores horum librorum hanc censuram non incurrere, quia nullam ex praedictis actionibus exercent. Neque eam incurrunt, qui manuscripta evulgant sine Ordinarii approbatione, quia cum per praesentem Constitutionem coarctata sit censura ad solos imprimentes vel imprimi facientes libros de rebus sacris tractantes, cum manuscripta non sint typis impressa, non sunt in rigore libri, et sub hac censura non comprehenduntur. Haec sententia in praxi est tenenda, uti diximus pag. 33, quia licet nonnulli contrarium sentiant, tamen sumus in poenis, et stricta facienda est interpretatio.

VI.

Excommunicantur praesumentes docere vel pertinaciter asserere eos, qui in peccato mortali sunt, si se contritos existimant, non teneri ad confitendum, ut Eucharistiam suscipiant, etsi adsit copia confessarii.

In Sess. XIII., can. XI., Patres Tridentini praescripserunt, et sanxerunt: *Et ne tantum sacramentum (Eucharistiae) indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessarii, necessario praemittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, praedicare, vel pertinaciter asserere seu etiam publice disputando defendere praesumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

VII.

Excommunicantur negantes matrimonia clandestina, quamdiu ea Ecclesia irrita non fecit, vera et rata matrimonia fuisse: vel asserentes matrimonia a filiis familias sine parentum consensu contracta irrita esse.

In Sess. XXIV., cap. I., *de Reform. matr.*, legitur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, et proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant; quique falso affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus Sancta Dei Ecclesia, ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit.*

VIII.

Excommunicantur raptores mulierum eorumque consocii.

In Sess. XXIV., cap. VI., *de Reform. matr.*, legitur: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant.*

IX.

Excommunicantur omnes qui directe vel indirecte servos ac subditos invitos ad matrimonium contrahendum cogunt.

In Sess. XXIV., cap. IX., *de Reform. matr.*, habetur: *Ita plerumque temporalium dominorum ac magistratuum mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excaecant, ut viros et mulieres, sub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel spem*

magnae haereditatis habentes, minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare, cum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare, et ab eis injurias nasci, a quibus jura expectantur, praecipit Sancta Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo, directe vel indirecte subditos suos vel quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.

X.

Excommunicantur magistratus, si ad istantiam Episcopi non praebent auxilium adversus contradictores clausurae monialium.

In Sess. XXV., *de Regularibus et Monialibus*, cap. V., ita legitur: *Bonifacii VIII. Constitutionem, quae incipit* Periculoso, *renovans Sancta Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicii et interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Quod auxilium, ut praebeatur, omnes Christianos Principes hortatur Sancta Synodus, et sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda, omnibus magistratibus saecularibus injungit.*

XI.

Excommunicantur cogentes mulierem invitam, praeterquam in casibus permissis, ad ingrediendum monasterium; eorum fautores, consulentes et auxilium praebentes.

In Sess. XXV., cap. XVIII., *de Regularibus et Monialibus* ita invenitur: *Anathemati Sancta Synodus subjicit omnes et singulas personas, cujuscumque qualitatis et conditionis fuerint, tam*

Clericos quam Laicos, saeculares vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fungentes, si quomodocumque coegerint aliquam virginem vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem invitam, praeterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque religionis, vel ad emittendam professionem, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel praesentiam vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.

XII.

Excommunicantur qui impediunt mulierum voluntatem accipiendi velum, aut professionem religiosam emittendi.

In eadem Sessione XXV., *de Regularibus et Monialibus*, eodemque cap. XVIII. legitur: *Simili quoque anathemati subjicit eos, qui sanctarum virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.*

Praeter has recensitas excommunicationes a S. Conc. Tridentino directe inflictas, aliae latae fuerunt, quae etiam in Constit. *Ap. Sedis* adnumerantur, et proprio loco apposuimus, ac proinde supervacaneum esset heic repetere. uti est censura lata contra duellantes, contra Monialium clausuram violantes, contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum, contra non profitentes veritates fidei a S. Conc. Tridentino definitas, quibus in fine canonum censura infligitur, quae quidem censurae ratione haeresis in primo articulo censurarum sp. mo. Rom. Pontifici reservatarum continentur.

APPENDIX

EXCOMMUNICATIO NEMINI RESERVATA, QUAM PIUS IX. POST CONST. AP. SEDIS ADHUC VIGERE DECLARAVIT.

His censuris nemini reservatis latis a S. C. Tridentino addenda est excommunicatio inflicta ab Urbano VIII. in Constitutione *Ex debito pastoralis* die 22 Februarii 1633., et a Clemente IX. in Bulla *Sollicitudo pastoralis officii* die 17 Junii 1669., contra Ecclesiasticos et Missionarios Indiarum Orientalium atque Americae mercaturam exercentes, quam excommunicationem Pius IX., organo S. Officii die 4 Decembris 1872., declaravit post Const. *Ap. Sedis* adhuc vigere. Haec excommunicatio licet sit Rom. Pontifici reservata, quia a nemine, praeterquam in mortis articulo, potest absolvi, tamen facta applicatione lucri percepti ad usus pauperum, seminariorum, etc. a quocumque confessario absolvi potest, ideoque patet censuram nemini reservatam dicendam esse.

CAPUT V.

SUSPENSIONES LATAE SENTENTIAE SUMMO PONTIFICI RESERVATAE.

I.

Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum Beneficiorum perceptione ad beneplacitum S. Sedis Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum aliique omnes, qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Praelatos de praedictis Ecclesiis seu Monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

Hoc articulo Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, et alii omnes, qui Episcopos aut alios Praelatos a Sede Apostolica quovis modo provisos (idest vel per nominationem, vel per confirmationem aut benedictionem), recipiunt ad regi-

men et administrationem praedictorum, antequam ipsi exhibuerint litteras Apostolicas testantes sibi talis Ecclesiae regimen fuisse commissum, suspenduntur a suorum Beneficiorum perceptione, donec gratiam absolutionis a Sede Apostolica obtinuerint. Haec suspensio, uti patet, lata est: — 1.° contra Capitula et Conventus, ideoque contra communitatem et non singulos ipsorum, quia nulla de individuis fit mentio, unde etiam innocentes eam incurrunt; nec mirum, quia, ait *S. Alph.* VII. 317. (1), pro Capitulis et Conventibus suspensio rationem privationis et inhabilitatis habet, non vero censurae, pro qua non requiritur culpa, ac proinde eam violantes irregularitatem non incurrunt; — 2.° lata est contra omnes alios, qui nec ad Capitula, nec ad Conventus pertinent, dummodo sint Ecclesiastici; nam suspensio tantum Ecclesiasticos afficere potest, exceptis tamen Episcopis, qui interdictum et suspensionem non incurrunt, nisi exprimantur, et in casu non sunt expressi. At illi, qui de Capitulo et Conventu non sunt, absque culpa hanc suspensionem non incurrunt, quia pro istis suspensio est censura, quae absque culpa incurri non potest. Actio igitur sub suspensione vetita est recipere praedictos nullis exhibitis litteris Apostolicis. *Recipere* hoc in loco idem est ac obedire, nempe non intelligitur materialis receptio, sed formalis, illa scilicet qua recognoscitur Superioris auctoritas, eique obsequium et obedientia praestatur. Et hoc deducitur ex Extrav. Bonifacii VIII. *Injunctae nobis de Electione* cap. 1. *inter communes*, ex qua hic articulus partim sumptus est, ubi legitur: *Capitula vero, Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum, et alii quicumque ipsos absque hujusmodi dictae S. Sedis litteris recipientes*

(1) En verba S. Doctoris: *Quando suspensio fertur in solam Communitatem, non afficit singulas personas quoad munia particularia, sed tantum quoad Officia vel Beneficia totius Communitatis.... Quod si aliqui exercent functiones Communitatis tunc vetitas, dicunt.... eos non incurrere irregularitatem, quia prohibitio illa non est proprie censura, sed potius inhabilitas particularium personarum ad talia officia. Si vero suspensio fertur in Communitatem et in singulas ipsius personas, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes: nemo enim potest excommunicari aut suspendi pro culpa aliena, ut communiter docet Suarez, Sanchez etc.*

vel obedientes, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere. Unde si praedicti hospitantur, et eis amicitiae et benevolentiae signa exhibentur, suspensio effugitur, quia non est ea receptio, de qua loquitur articulus. Similiter si quis Episcoporum aut Praelatorum eo devenisset, ut falsas litteras exhiberet, illi, qui bona fide et nulla cognita litterarum falsitate, eos reciperent, suspensionem non incurrerent, quia formaliter lex Ecclesiae non violatur.

Ut autem haec suspensio incurratur, requiritur ut quis recipiat Episcopos aut Praelatos jurisdictionem in foro externo habentes, unde si quis praedictos non recipit, sed antea receptos et in pacifica proprii officii possessione constitutos eis obedientiam praestat, suspensionem non incurrit, quia non verificatur, quod recipit; nec eam incurrit ille, qui praedictos non prout Episcopos aut Praelatos, sed tantum uti visitatores aut administratores in aliquam Ecclesiam aut Conventum missos, quin exhibuerint litteras Apostolicas, reciperet; nam ad eam incurrendam oportet, ut sint Episcopi proprie dicti, vel Praelati jurisdictione quasi Episcopali pollentes in foro externo. Utrum autem Episcopi debeant esse consecrati, litigant Doctores. Nonnulli auctoritate *Suaresii* ducti, qui tenet *nomine Episcopi stricto sensu consecratum venire,* docent suspensionem non incurri, nisi Episcopus sit consecratus. Alii vestigiis *Lucii Ferraris* insistentes secus sentiunt, quia *in concernentibus jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus vel provisus per Papam* (1). Stante igitur quaestione, cum simus in poenis, et quod minimum sit tenendum, dicendum quod si Episcopus non est consecratus, suspensio non incurritur.

---

(1) En verba *Lucii Ferraris* V. *Episcopus* Art. II. n.° 38-39: *Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium et decorem Ordinis Episcopalis.... In concernentibus autem jurisdictionem Episcopalem venit etiam electus, confirmatus vel provisus per Papam, quia cum haec competat etiam electo, confirmato ex cap.* Transmissum. *ideo dispositio loquens de Episcopo verificatur etiam in electo, confirmato seu proviso, licet non consecrato,* ut notant Glossa in Clement I. V. Episcopi, *Fagnanus* loc. cit. n.° 39., cum aliis.

Haec autem suspensio, uti liquido patet, est tantum a suorum beneficiorum perceptione, non vero ab officio; ideoque actus ordinis et jurisdictionis exerceri possunt, idest sacrum facere, sacramenta administrare, eligere, praesentare, conferre beneficium, quia haec sunt actus officii et jurisdictionis, non vero beneficii praecise ut sic. *S. Alph.* VII. 316. Dubium autem esse posset, utrum Capitula suspendantur a beneficiis, quae capitulariter seu communiter possident, vel etiam a beneficiis, quae singuli particulariter possident. Certum in hac re ab incerto secernentes dicimus quod ii, qui nec de Capitulo nec de Conventu sunt, suspenduntur a beneficiis, quae particulariter possident, quia suspensio contra singulos fertur; nec aliter esse posset, cum beneficia communia non possideant, ideoque tantum a particularibus suspendi poterant. Quoad vero Capitula et Conventus non consentiunt Doctores. *Suarez* cum *Salm.*, aliisque docet Capitula et Conventus suspendi tantummodo a beneficiis communibus, non vero ab aliis, quae singuli aliunde possident, quia suspensio fertur contra universitatem in genere, idest contra Capitula et Conventus, non contra singulos eorum. At alii cum *Bonac.* secus sentiunt, quia, *ait Bonac.* disp. III. quaest. IV. p. X., Bonifacius VIII. in dicta Extrav. *Injunctae nobis* non suspendit solum Capitula et Conventus, ut sic, verum etiam singulares personas, ut colligitur ex illius verbis: *Capitula vero, Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum, et alii quicumque ipsos absque hujusmodi dictae S. Sedis litteris recipientes, vel obedientes, tamdiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam meruerint obtinere.* Prima sententia verior est, et congruit textui, quia verba textus *aliique omnes* aliam personarum classem denotant, nempe referuntur ad illos, qui nec de Capitulo nec de Conventu sunt; non vero ad eos, qui Capitulorum et Conventuum sunt membra. Secunda sententia, ait *Jos. d'Annibali, neque regulis juris, neque verbis nostrae Constit. congruit.* At sumus quoque in poenis, in quibus stricta facienda est interpretatio, ideoque dicendum a beneficiis communibus suspendi, non vero ab iis, quae singuli aliunde possident. At suntne praedicti in articulo suspensi etiam ab administratione beneficiorum, an

tantum a perceptione fructuum? Licet aliqui etiam ab administratione esse suspensos censeant, ita ut illis oeconomus constituendus sit; alii tamen verius secus sentiunt, quia in textu dicitur *a suorum beneficiorum perceptione*, idest a perceptione fructuum suorum beneficiorum; jam vero administratio discriminatur a fructuum perceptione; ergo si de administratione verbum non fit, dicendum quod ea non privantur. Ex eodem textu sequitur, quod nec privantur irretiti hac suspensione de distributionibus quotidianis, et aliis incertis stolae redditibus, quia haec sub nomine fructuum beneficii non veniunt, nec sunt beneficio conjuncta, cum possint etiam non esse, hinc intuitu beneficii fruuntur, sed fructus beneficii non sunt, unde istis non privantur.

II.

Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem Ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii cum pacto, ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

Ex Conc. Tridentino sess. XXI. cap. II. *de Reform.* prohibetur ordines sacros sine titulo suscipere, ne clericus cum dedecore status ecclesiastici mendicare cogatur. Ideo sacra Cardinalium Cong., teste *Garzia* n.° 121., censuit habentem beneficium, etiam curatum, non sufficiens ad honestam sustentationem non posse ad ejus titulum sacros ordines suscipere. Hic autem titulus duplex esse potest, vel beneficii ecclesiastici, vel patrimonii seu pensionis; uti patet ex eodem Conc. loc. cit. Quidquid sit de veteri jure quoad poenas contra hujusmodi praescripti delinquentes, Pius IX. ab eo recedens inflixit tantum suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure contra illum Episcopum, qui aliquem ad ordines promoveret absque titulo cum praevio pacto non petendi ab eo sustentationem, aut beneficium, aut aliquid aliud, unde ali posset. Haec suspensio, uti patet, non est perpetua nec totalis, sed partialis. *Non est perpetua*, quia elapso triennio cessat, nam censura non ligat ultra voluntatem conditoris; sed durante triennio absolutio ab hac suspensione est Rom. Pontifici reservata. *Est partialis* idest tantum a

collatione ordinum per triennium, unde potest ita suspensus ea omnia agere, quae sunt Ordinis et jurisdictionis, excepta Ordinum collatione; potest tamen aliis suorum subditorum ordinationem committere. Dubium esse posset, utrum ita suspensus possit conferre primam tonsuram et ordines minores. Certum est ordines minores non posse conferre, quia ordines minores sub nomine Ordinum veniunt; et quoniam quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, sequitur quod si in textu dicitur *a collatione Ordinum*, nulla interposita distinctione inter ordines majores et minores, etiam ad ordines minores suspensio extenditur. Quoad vero primam tonsuram, quidquid aliquis dicat, cum communi theologorum sententia tenendum est, posse sic suspensum eam conferre, quia tonsura est dispositio ad ordines, non ordo; nam inter ordines non accensetur. Utrum autem hac suspensione percellantur tantum locorum Ordinarii, aut quivis alius Episcopus, cui clericorum ordinatio committitur, respondendum est utrosque comprehendi in hoc articulo (quoties tamen verificantur omnes conditiones mox dicendae ad eam incurrendam), 1.° quia in textu generatim dicitur *aliquem Ordinantes*, et possunt ordines conferre Episcopi tam proprii, quam alieni cum litteris dimissoriis proprii Episcopi; 2.° quia verbum *aliquem*, cum sit generale, amplectitur proprios subditos et alienos cum praedictis litteris; 3.° quia ubi militat eadem ratio, ibi est eadem juris dispositio.

Declarato subjecto et natura hujus suspensionis, ut praedicti Ordinantes, idest Episcopi hanc suspensionem incurrant, requiritur:—1.° ut ordinem sacrum conferant, quia Conc. Tridentinum Sess. XXI. cap. II., Pius V. et Xystus V. loquuntur solum de recipientibus ordines sacros, qui titulum sustentationis habere debent,cum titulus ad ordines minores non requiratur;—2.° ut praedictum ordinem conferant clericis absque titulo vel beneficii ecclesiastici, vel patrimonii seu pensionis. Unde si titulus est falsus, procul dubio dicitur clericus ordinatus sine titulo, et Ordinans huic suspensioni subjacet. Si titulus est insufficiens pro sustentatione, licet Ordinans graviter peccet contra praescriptum Tridentini, hanc suspensionem tamen non incurrit, quia non potest dici clericus ordinatus absque titulo. Si est fictus aut fiducia-

rius (1), utrum sic Ordinans sit dicendus promovisse ad sacrum ordinem absque titulo, litigant DD., quos refert *S. Alphonsus*. Nonnulli dicunt titulum fictum non esse titulum, quia is, qui ordinatur cum patrimonio ficto, revera sine patrimonio ordinatur. Alii secus sentiunt, quia qui ordinatur cum patrimonio ficto, externe constat titulo patrimonii ordinari. Quoad fiduciarium etiam inter se dissident DD. Si igitur quaestio est, cum simus in poenis, et stricta facienda sit interpretatio, dicendum sic Ordinantes hanc suspensionem non incurrere. Qui vero aliquem promovet ad titulum beneficii, cujus fructibus potiri et frui non poterit, nisi post obtentum presbyteratum, hic non est promotus sine titulo, ideoque sic Ordinans hac suspensione non ligatur; ita Sacra Cong. Cardinalium, teste *Garzia de Beneficiis*. E contra qui promovet aliquem ad titulum beneficii, quod actu non possidet sed solum in potentia, censendus est sine titulo promotus, et sic Ordinans hanc suspensionem incurrit; quia Conc. Trid. loc. cit. non vult quemquam ad ordines promoveri, nisi beneficium pacifice possideat: propterea non potest quis ordinibus initiari ad titulum de futuro et in spe certa; uti si jam praesentatus, et nominatus fuit, sed pacificam possessionem nondum coepit. Denique si quis beneficium invalide obtinet, si ad illius titulum promoveretur, esset absque titulo promotus, et sic Ordinans suspensionem incurreret, quia revera hic non habet beneficii titulum, sed est intrusus. Utrum autem qui ad titulum patrimonii sit ordinatus, sed aere alieno gravatus, censendus sit ordinatus absque titulo, hoc modo respondendum est: si soluto debito ei remanet aliquid, licet insufficiens, pro sustentatione, non est dicendus ordinatus absque titulo, uti superius dictum est. Si vero soluto debito, nullus redditus ei remanet, subdistinguendum: si patrimonium, ad cujus titulum promovetur, hypothecae non est subjectum, dicendus est ordinatus cum titulo, si vero est hypothecae subjectum, est censendus ordinatus absque titulo, et sic Ordinans hac suspensione li-

(1) Titulus fictus ille censetur, et est, qui fuit assignatus clerico promovendo sed sine intentione, ut ipse bonorum assignatorum dominus evadat.— Fiduciarius vero est ille, qui ex pacto constitutus fuit, ut post ordinationem donanti restituatur.

gatur; — 3.° ut inter Ipsos et ordinandum praevium pactum intercedat non petendi ab eis quidquam ad propriae vitae sustentationem, unde si hoc pactum deest, licet adsint aliae conditiones, suspensio non incurritur; nam hae tres conditiones simul requiruntur ad suspensionem incurrendam, quarum una si deest, suspensio effugitur.

III.

Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

Episcopus non potest ordinare nisi subditos; quotuplici autem modo possit quis fieri subditus, hoc ad rectam hujus articuli intelligentiam praemittere oportet. Quatuor modis potest quis evadere subditus alicujus Episcopi, vel ratione originis, vel ratione domicilii, vel ratione beneficii, vel ratione familiaritatis seu famulatus, id eruitur ex Tridentino Sess. XXIII. cap. IX. Ille censendus est subditus ratione originis, qui in aliqua dioecesi natus est; dummodo ibi fortuito non sit natus, quatenus ibi mater causa itineris vel negotii degebat, hoc enim in casu ordinari debet ab Episcopo loci, ubi pater tempore nativitatis ordinandi domicilium habebat. Ille fit subditus ratione domicilii, qui alicubi venit animo perpetuo ibi manendi, et hunc animum probet vel per habitationem decennii, vel per aedificationem domus cum asportatione majoris partis bonorum, manendo simul ibi per aliquod notabile tempus, et debet jurare hunc animum tunc habere. Ut ratione beneficii quis fiat subditus, requiritur ut beneficium actu possideatur (licet sit simplex, modo sit perpetuum), et de se sufficiat ad congruam sustentationem sine supplemento patrimonii, idest quin opus sit, ut aliquid de bonis patrimonialibus addatur. Denique ut ratione familiaritatis quis evadat

subditus, oportet, ut Episcopus per triennium eum aluerit, secum habens in suo actuali servitio, eidemque intra mensem conferat beneficium sufficiens ad congruam sustentationem cum litteris testimonialibus Episcopi originis et domicilii, en verba Tridentini sess. cit.: *Modo per triennium fuerit secum commoratus, et beneficium omni remota fraude statim reipsa illi conferatur*, ita *S. Alph.* VI. 760. et seq.

His igitur praemissis ne indigni vel alieni subditi, invito Episcopo, ordinentur, Pius IX. suspendit ab ordinum administratione (videlicet collatione) per annum Ordinantes alienum subditum, etiam sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque litteris testimonialibus Ordinarii ejus loci.

Hic articulus, uti patet, duas continet partes. Prima respicit Ordinantes alienum subditum absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus. Secunda respicit Ordinantes subditum proprium, qui tanto tempore alibi sit moratus, ut canonicum impedimentum contrahere potuerit, sine litteris testimonialibus Ordinarii loci, ubi moratus est. Per litteras dimissoriales intelliguntur illae litterae,quibus delegatur alieno Episcopo licentia ordinandi proprium subditum. Litterae vero testimoniales illae sunt, quae fidem faciunt de morum probitate et idoneitate clerici ad ordinem promovendi. Necesse autem non est, ut hujusmodi litterae tam dimissoriales quam testimoniales in scriptis sint traditae, sed sufficit ad hanc suspensionem effugiendam, ut hujusmodi facultas ac testimonium ore tenus detur, quia sive scriptis sive viva voce id fiat, semper idem finis legis obtinetur, nempe certus evadit Episcopus Ordinans de delegatione proprii Episcopi, et de morum probitate et idoneitate Ordinandi juxta mentem Tridentini. Excipe ultramontanos in Italia degentes, qui ordinari non possunt, nisi in scriptis licentiam proprii Episcopi exhibuerint, et rationem propter quam alibi ordinantur.

Ad primam articuli partem quod attinet, hanc suspensionem incurrunt *Ordinantes alienum subditum;* at quoniam sub nomine Ordinum veniunt etiam ordines minores, sequitur huic

suspensioni subjacere non tantum Episcopos, sed etiam illos Abbates, qui ordines minores ex privilegio conferre possunt, quoties vetitum ab hoc articulo patrant. Hoc autem dicendum est, sive ordinent Clericos saeculares sive Regulares. Nam Regulares ex cap. *Cum nullus* debent suscipere ordines ab Episcopo, in cujus dioecesi est Monasterium, ubi tunc commorantur. Hinc si Regulares a jurisdictione Episcopi sunt exempti, et ab eo ordinantur sine Superioris Regularis facultate et consensu, sic Ordinantes hanc suspensionem incurrunt. Si vero non sunt exempti, et ordinantur ab alieno Episcopo sine proprii Episcopi litteris dimissorialibus, sic Ordinantes eadem suspensione percelluntur. Nomine autem *proprii Episcopi* heic non veniunt tantum Episcopi proprie dicti, sed omnes qui dimissorias concedere possunt, uti Vicarius Generalis speciale mandatum ab Episcopo habens, Capitulum seu Vicarius Capitularis post annum a morte Episcopi, et etiam infra annum pro arctatis, idest pro iis, qui ratione beneficii obtenti vel obtinendi arctati sunt ad sacros ordines suscipiendos, Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes pro suis subditis, et Superiores Regulares pro suis subditis, quoties Religio a jurisdictione Episcopi est exempta. Cum dimissoriis igitur a praedictis obtentis potest profecto Episcopus ordinare alienum subditum, quin hanc suspensionem incurrat.

Ut autem praecluderetur via cuivis fraudi, Pius IX. in hoc articulo declaravit Ordinantes alienum subditum hanc suspensionem subire, etiamsi ordinent *sub praetextu beneficii statim conferendi, aut jam collati sed minime sufficientis.* Enimvero cum ratione beneficii quis fiat subditus illius Episcopi, a quo beneficium recipit, sub praetextu beneficii statim conferendi posset quis ad ordinem promovere alienum subditum, et suspensionem effugere, unde Pius IX. hoc expressit in praesenti Constitutione, et sub suspensione vetuit. Hinc requiritur ad ordinandum alienum subditum ratione beneficii, ut beneficium actu possideatur et sit sufficiens pro sustentatione *juxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines*, uti declaravit Innoc. XII. in Bulla *Speculatores.* Unde si beneficium est vacans et nondum colla-

tum, vel est collatum sed insufficiens pro sustentatione, etsi sufficiens redderetur per bona patrimonialia, quae beneficio adderentur, semper sic Ordinans alienum subditum absque litteris dimissorialibus proprii Episcopi hac suspensione ligatur.

Ad alteram articuli partem quod attinet, hanc suspensionem incurrunt illi Ordinantes, qui proprium subditum ordinant sine litteris testimonialibus illius Episcopi, in cujus dioecesi tanto tempore ille moratus sit, ut canonicum impedimentum, idest censuras, irregularitates etc., contrahere potuerit. At quale tempus requiritur, ut hujusmodi litterae testimoniales sint necessariae? Si inspicitur possibilitas contrahendi canonicum impedimentum, etiam pauci dies sufficerent; sed quoniam jus respicit ea, quae frequentius contingunt, ita illud tempus est statuendum, quod requiritur ad exhibendum documentum de statu libero pro matrimonio contrahendo, idest sex menses, ita omnes. Ideoque si quis clericus ultra sex menses in diversis locis sit moratus, requiruntur tot litterae testimoniales, quot sunt loca, in quibus post septennium moratus est, et Episcopus, qui secus ageret, hac suspensione ligaretur.

Quod autem dictum est sive quoad primam, sive quoad alteram articuli partem, minime intelligendum est pro prima tonsura, cum haec non sit ordo. Ita declaravit S. Conc. Congreg. teste *Croix*.

At quid censendum, si quis a Summo Pontifice obtinuit privilegium, quo potest ordinari a quocumque Episcopo? Iste potest ordinari absque ullis litteris dimissoriis a quocumque Episcopo, non autem absque litteris testimonialibus Episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate et moribus. *S. Alph.* Hinc si Episcopus non proprius eum ordinat absque litteris testimonialibus, peccat, at hanc suspensionem non incurrit, quia non ordinat suum subditum. Denique haec suspensio ab ordinum administratione est tantum per annum, quo elapso ipsa cessat.

IV.

Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

Concilium Tridentinum, sess. XXI. cap. II., uti in articulo II. dictum est, ad curandum singulorum Dei ministrorum honorem et decus statuit, ne quis clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad sacros ordines promoveatur absque titulo beneficii aut patrimonii seu pensionis, et de Religiosis nullum verbum instituit. At quoniam nonnulli, uti ajebat S. Pius V. in sua Bulla *Romanus Pontifex sacrorum* edita anno 1568., more Regularium in communi viventes intra claustra monasteriorum seu domorum nullam, vel nonnisi ad certum tempus, professionem emittentes, religionis praetextu ad sacros ordines a nonnullis Episcopis passim promovebantur, atque ideo plerumque illud inconveniens eveniebat, ut sic promoti e claustro exeuntes et per saeculum vagantes, vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac ordinis vilipendio, et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogebantur, ita praedictus Pius V. in citata Bulla decretum Concilii Trid. de non promovendis clericis saecularibus sine titulo sustentationis extendit ad Religiosos; deinde idem Pontifex poenam suspensionis a collatione talium ordinum per annum ipso facto imposuit Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, qui ordines praefatos Religiosis non professis contulissent (1), et sic promo-

(1) En verba: *Nec non omnibus et singulis venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, ut ordines ipsos hujusmodi religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, nos in virtute Sanctae Obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus, et prohibemus, ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso jure suspendimus.*

tas personas in altaris ministerio ministrare non posse declaravit. Pius IX. fere iisdem vestigiis praedicti Pontificis insistens in hoc articulo eandem suspensionem a collatione ordinum per annum fert contra eum, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum conferat absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo. Ratio est, quia eorum sustentatio adhuc incerta est, nam vel non emittunt vota, et ad libitum abire possunt, vel emittunt vota simplicia, et potest a votis peti dispensatio, et dimitti possunt.

Subjectum igitur istius suspensionis sunt Episcopi aliique sacrorum ordinum collatores; dixi *sacrorum ordinum collatores*, quia ad ordines minores et tonsuram titulus sustentationis minime requiritur, cum adhuc clericus liber sit, et liceat ei pro arbitrio ad saecularia vota transire. Praedicti hac suspensione ligantur, etiamsi nullum pactum praecesserit cum ordinando non petendi ab ipsis alimenta, uti in articulo II. expressum est relate ad clericos saeculares, quia in textu non habetur.

Materia vero, uti dicit textus, est ordinem sacrum conferre absque titulo beneficii vel patrimonii clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

Effectus hujusmodi suspensionis est, quod ea irretiti non possunt per annum conferre ordines. Et heic duo sunt notanda:— 1.° suspensionem extendi ad ordines tum majores tum minores, quia in textu dicitur generice *a collatione ordinum*; dum secus habebatur ex citata Bulla Pii V.; nam delinquentes contra ipsius praescriptum erant suspensi tantum a collatione ordinum majorum, quia dicebatur: *contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum* (idest sacrorum) *ipso jure suspendimus*; — 2.° hanc suspensionem esse per annum, ideoque elapso anno ipsa cessat.

Unde sequitur Ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, tum clericos in aliqua Congregatione viventes, licet vota simplicia emiserint, tum religiosos nondum professos, licet emiserint vota simplicia ante emissionem solemnium, uti decrevit fieri Pius IX. die 19 Martii 1857., hanc suspensionem incurrere,

quia textus loquitur de solemni professione, ut possit quis ordinari titulo paupertatis, et vota simplicia a solemni professione prorsus distinguuntur. Revera cum postulatum fuerit Sanctae Sedi: *Possuntne novitii post emissa simplicia vota ante emissionem solemnium ad sacros ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione* Romanus *S. Pii V.?* Respondit S. Cong. Ep. et Regularium 20 Januarii 1860. *Negative quoad ordines sacros.* Et eadem S. Cong. die 4 Novembris 1892. idipsum confirmavit, et statuit, uti in nota habetur (1). Excipiendi tamen sunt Episcopi, aliique sacrorum ordinum collatores, qui absque titulo beneficii vel patrimonii ordines sacros conferunt Patribus sacrae Societatis Jesu peracto biennio, etiamsi solemne professionis votum nondum emiserint. Isti enim Patres gaudent peculiari privilegio concesso a Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino,* edita anno 1582., quo ante solemnem professionem ad sacros ordines promoveri possunt. Nec hoc privilegium abrogatum est per decretum Congregationis Episc. et Reg. nuper citatum, et editum die 4 Novembris 1892.; uti eruitur ex sequentibus verbis ipsius decreti: *Ita ut Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos pro-*

(1) *Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V. dici 14 Octobris 1568., incipiente* Romanus Pontifex, *et declaratione sa. me. Pii PP. IX. edita die 12 Junii 1858., quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis jam obtentis a S. Sede, nec non dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.*

movere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua jam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta, quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Jam vero de istis ad amussim sunt Patres Societatis Jesu, ideoque per dictum decretum eorum privilegium abrogatum non est, et possunt ante solemnem professionem titulo Mensae communis ad sacros ordines promoveri, quin aliquam suspensionem Ordinans incurrat, uti exprimitur per illa verba textus: *excepto casu legitimi privilegii.*

Denique observandum est, eos qui hoc vetito modo ordinantur, nulla censura obstringi, prout in veteri jure erat sancitum per Bullam citatam Pii V., quia per praesentem Const. *Ap. Sed.* haec censura dempta est.

V.

Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

Religiosus absque justa causa a Religione expelli non potest, quia sicut Religio jus in ipsum per professionem acquisivit, ita ipse jus acquisivit, ut a Religione alatur, et sustineatur. At justa concurrente causa ob Religionis utilitatem, quando nempe communi Religionis bono conducit Religiosum ejicere, ejici potest (1). Religiosus tamen a Religione ejectus tenetur suos pravos mores corrigere, et emendare, ut iterum in Religionem recipiatur (2), ac proinde tenetur petere, ut Superiores eum admittant, et si

(1) Ratio est: tum quia bonum publicum praeferendum est privato; tum quia vulnera, quibus remedium applicari non potest, abscindi possunt; tum quia sicut Respublica purgari debet a sordibus improborum hominum illam inficientium, ita etiam Religio.

(2) Ratio est, tum quia fidem in professione datam observare tenetur: in professione enim fidem dedit religiose vivendi: tum quia commodum ex suo delicto referre non debet; tum quia quamdiu depravatos mores suos non corrigit, per ipsum stat, ne votum perseverantiae in Religione adimpleat.

hoc negligit, et extra Religionem degit, remanet suspensus ab exercitio ordinum, prout sancitum fuit a Sacra Cardinalium Congregatione de facultate Summi Pontificis Urbani VIII. die 21 Septembris 1624. ibi: *Item et ejecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinis.* Quod in veteri jure statutum fuerat, ad amussim innovavit Pius IX. in praesenti articulo, ubi dicitur: *Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes.* In hoc articulo duo explicanda veniunt; 1.° quinam Religiosus ejectus a Religione sit suspensus; 2.° quem effectum pariat ista suspensio.

Ad primum quod attinet. Cum dicitur in textu *Religiosi* intelliguntur Religiosi stricto sensu, nempe professi, quia sumus in poenis et stricta facienda est interpretatio. Hinc hanc suspensionem non incurrunt novitii ob delictum ejecti, tum quia textus loquitur de Religiosis ejectis, et novitii nondum sunt Religiosi, licet forte Religiosorum privilegiis fruantur, tum quia sicut novitii impune sua sponte exeunt, ita etiam impune ejici possunt. Neque eam incurrunt fugitivi et apostatae, quia in jure satis distinguuntur apostatae et fugitivi ab ejectis (1). Ex quo infertur tantum Religiosos professos hanc suspensionem incurrere posse, at duo requiruntur conditiones: 1.° ut sint ejecti ex justa causa, et servato ordine juris; 2.° ut degant extra Religionem. Dixi primo *ex justa causa*, quia censura est poena gravis, hinc culpam gravem expostulat; neque censeri potest legislatorem velle quemquam poena ligari sine culpa. Et hoc eruitur quoque ex citato decreto Urbani VIII., ubi expresse dicitur par. II. *Qui juste, definitive, ac juris ordine servato expulsi fuerint.* Unde qui injuste, idest sine justa causa expelluntur, hac suspensione non ligantur. At quaenam censenda est justa causa? Ex jure communi justa causa censetur incorrigibilitas, cum nempe nulla alia extet spes de Religiosi resipi-

(1) Apostata dicitur, qui a vera Religione discedit animo deserendi statum Religiosum, seu intentione non redeundi ad Religionem. — Fugitivus a Religione dicitur, qui a monasterio ad tempus discedit, non animo recedendi a Religione, sed intentione postea redeundi, ut si fugiat ob Praelati metum et rigorem, vel ob vagandi voluntatem, aut alia simili de causa.

scentia, et emendatione. Hinc si haec causa deest, quatenus vel crimina non extiterint, vel in probandis criminibus non servatus fuerit juris ordo secundum proprii ordinis Constitutiones, ita ejectus tantum in foro externo debet se gerere uti suspensum ad vitandum scandalum; et si nullum adest scandalum, potest etiam omnes actus ordinis exercere absque culpa et poena. Quin imo si adest scandalum et actus ordinis majoris exercet, peccat utique contra charitatem ratione scandali, sed irregularitatem non incurrit. At haec injustitia debet esse evidens et manifesta, quia secus in dubio possidet potestas judicis. Dixi secundo *ut extra religionem degant,* quia si Religiosus ejectus iterum a Religione recipitur, vel ad aliam Religionem transit licet laxiorem, ubi novum init, et peragit novitiatum, hanc suspensionem non incurrit, quia articulus loquitur de Religiosis degentibus extra Religionem, et hic non dicitur degere extra Religionem.

Ad secundum quod attinet. In primis animadvertendum est hanc suspensionem dici perpetuam ad significandum quod non est temporalis, quatenus perdurat usque ad mortem, si ejectus vel in eandem Religionem non revertatur, vel in aliam Religionem non transeat, vel breve saecularizationis non obtineat; sed non dicitur perpetua, quatenus nullo modo tolli possit. Explicata natura hujus suspensionis, ista hunc parit effectum, idest repellit ab exercitio ordinum. Nomine autem *ordinum* hoc in loco non solum intelliguntur majores, verum etiam minores, quia textus absolute loquitur. Hinc sequitur:— 1.° ejectum a Religione incidere in irregularitatem celebrando, aut functiones sacrorum ordinum exercendo, quia violat censuram per exercitium ordinis sacri. An autem idem dicendum sit pro eo, qui functiones minorum ordinum exercet, quidquid aliqui dicant, probabilior sententia negat; — 2.° ejectum a Religione non posse ad superiores ordines ascendere, tum quia cui vetita est functio ordinis, vetita etiam est illius susceptio, cum ordines suscipiantur, ut exerceantur, tum quia non habet titulum, ad quem promoveatur: titulus enim Religionis ipsi non suffragatur, cum ejectus juste a Religione ab ipsa alendus non sit, ut bene notat *Sanchez.*

VI.

Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere praesumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio: eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

Hic articulus duas continet partes, prima respicit eos, qui mala fide ordinem suscipiunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab haeretico vel schismatico notorio; secunda eos, qui bona fide ab ejusmodi Episcopis ordines recipiunt.

Ad primam partem quod attinet, ut explicatio clarior evadat, sequentes animadversiones praemittere oportet:—1.° notandum, cum dicatur in textu: *suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt,* et nomine ordinum veniunt tum majores, tum minores, sequi recipientem a praedictis sive minorem, sive majorem ordinem hac suspensione percelli; quin imo si Episcopus ab uno ex dictis consecrationem recipit, hac suspensione etiam afficitur, quia Pius IX. relate ad hoc nihil immutavit de veteri jure, et in veteri jure etiam Episcopi a praedictis consecrati hanc suspensionem incurrebant; — 2.° notandum, cum in textu legatur: *suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt,* et posterius *exercitium non habere ordinis sic suscepti declaramus,* sequi suspensionem esse partialem, non totalem, idest tantum ab ordine sic suscepto, non vero ab aliis; ideoque clericus a praedictis ordinatus presbyter, potest alios ordines tum majores tum minores exercere, uno excepto presbyteratu; — 3.° notandum hanc suspensionem incurri, modo Episcopus tali censura seu canonico impedimento affectus sit, ob quod ordines conferre nequeat. Quamobrem si Episcopus non sit suspensus a collatione ordinum, sed alia particulari suspensione sit affectus, recipiens ordinem ab ipso non videtur hanc suspensionem incurrere. Ratio est, tum quia non est facienda extensio ultra legislatoris inten-

tionem, tum quia non videtur prohibitum in tali eventu ordines ab hujusmodi Episcopo suscipere, ac proinde neque incurri videtur poena ordines ab ipso suscipiendo, ita *Bonac.*;—4.° animadvertendum, pro iis, qui mala fide ordines ab ejusmodi Episcopis suscipiunt, suspensionem esse censuram veri nominis, quia in poenam patrati criminis inflictam; pro iis vero, qui bona fide recipiunt, hanc suspensionem non esse censuram, sed quamdam inhabilitatem, seu prohibitionem exercendi ordinem. Et hoc eruitur sive ex contextu, sive ex rei natura. *Ex contextu,* tum quia, cum sermo est de iis, qui ordines ab ejusmodi Episcopis mala fide recipiunt, dicitur *suspensionem incurrunt,* cum vero sermo est de iis, qui bona fide eos recipiunt, omittitur verbum suspensio, et dicitur *exercitium non habere ordinis sic suscepti,* tum quia verba *donec dispensetur* adhibita satis superque indicant esse simplicem prohibitionem et non censuram, quia censura absolvitur, non dispensatur. *Ex rei natura,* quia non infligitur censura absque culpa; si enim bona fides habetur, quomodo censura subeunda esset? Unde infertur, quod qui mala fide ab ejusmodi Episcopis ordines recipit, eos exercendo peccat, et irregularitatem incurrit, qui vero bona fide recipit, et postea sciens vitium Ordinantis ordinem exercet, antequam dispensatur, peccat, sed irregularis non evadit. Ad rem scribit *Thesaurus de poenis ecclesiasticis par. II. V. Ordo: Limita, quod si promotus ignoraverit totaliter vitium ordinantis, tunc non est proprie suspensus neque irregularis, sed improprie, quatenus ante dispensationem peccat ministrando in susceptis.*

His praemissis, ad primam articuli partem quod attinet, ut haec suspensio incurratur, requiritur:—1.° ut Episcopus sit vel excommunicatus vel suspensus vel interdictus nominatim denuntiatus, idest per sententiam particularem cum designatione nominis et cognominis uti talis declaratus; vel haereticus vel schismaticus notorius, idest a pluribus uti talis cognitus. Unde si Episcopus ad aliquod Capitulum pertinet, et Capitulum est suspensum vel excommunicatum, si quis ab eo ordinatur, hanc suspensionem non incurrit, quia Episcopus non est nominatim excommunicatus vel suspensus. Neque eam incurrit, si est excommunicatus vel suspensus, sed toleratus; nec si est haereti-

cus vel schismaticus occultus, quia ad censuram incurrendam ut haereticus aut schismaticus notorius sit oportet;—2.° requiritur praesumptio, idest plena cognitio censurae, et libera ejusdem violatio; dicitur enim in textu: *qui eundem ordinem recipere praesumpserunt.* Hinc ignorantia crassa et supina ab hac censura excusat, et juxta aliquos etiam affectata. Similiter qui per vim ab ejusmodi Episcopis ordinatur, censuram pariter non incurrit, tum quia deest praesumptio, tum quia non adest culpa, et absque culpa non potest incurri poena. Pariter si quis ordinatur per metum gravem, censura quoque effugitur, tum quia leges Ecclesiae non obligant cum gravi incommodo, tum quia deest praesumptio. Tandem qui in dubio an sint praedicti excommunicati, suspensi, interdicti nominatim denuntiati, vel haeretici aut schismatici notorii, an non, ab ipsis ordinatur, graviter peccat, sed suspensionem non incurrit, quia ubi adest dubium, deest praesumptio;—3.° requiritur ad hanc suspensionem incurrendam, ut Ordo sit valide collatus, quia si ordo non fuit receptus, non potest concipi ejusdem ordinis suspensio; uti ex. gr. si quis esset ordinatus ab Episcopo Anglicano, vel etiam ab Episcopo cum Sede Apostolica gratiam et communionem habente, sed non servata forma Ecclesiae, quoties enim in collatione sacramentorum mutatio formalis, seu substantialis contingit, sacramentum non conficitur.

Ad alteram articuli partem quod attinet, ut quis exercitio tantum ordinis suscepti privetur, et suspensionem primae hujus articuli partis non incurrat, requiritur bona fides, idest ignorantia invincibilis de vitio Ordinantis, ita ut censeat esse in communione Ecclesiae, neque ulla censura irretitum. Sed haec suspensio ab ordine suscepto, pro iis nempe, qui bona fide a praedictis ordines receperunt, estne Rom. Pontifici reservata, prout est pro iis, qui mala fide eos susceperunt? Ait *Avanzinius* non videtur reservata; nam verba indefinita *donec dispensetur* continent clausulam *prout de jure.* In jure autem haec dispensatio non est reservata, uti constat ex variis juris capitibus. Unde *S. Alph.* lib. I. n. 190. ait: *Potest autem inferior*, idest Episcopus, *dispensare in lege Superioris, si in lege generaliter permittatur dispensatio,* v. gr. si dicatur: *donec dispensetur.* Et ita etiam sen-

tiunt *Salm.* cap. V. n. 37. cum *Cajet.*, *Bon.*, *Suar.*, *Pal.* etc.; ideoque haec privatio exercendi ordinem susceptum potest tolli ab Episcopo. At quid dicendum de iis, qui cum dubio an Episcopus Ordinans sit excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus nominatim denuntiatus, vel haereticus, vel schismaticus notorius, ab eo ordinem recipiunt? Isti non possunt dici in prima articuli parte comprehensi, quia (uti superius dictum est) requiritur praesumptio. et ubi adest dubium, deest praesumptio; ac proinde nisi velimus eos dicere melioris conditionis esse, quam ii, qui bona fide ordines receperunt, dicendum in secunda articuli parte comprehendi, ideoque (si postea cognoscitur Episcopum Ordinantem revera esse talem) incidere in privationem exercendi ordinem susceptum. At possunt ab Episcopo dispensari? Rigorose loquendo non possent, quia non possunt dici in bona fide ordinati, unde a Rom. Pontifice essent dispensandi; at quoniam sumus in poenis, et stricta facienda est interpretatio, cum de hoc non loquatur textus, graves auctores censent posse ab Episcopo dispensari.

VII.

Clerici sacculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio, quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque praevio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in praedicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam dioecesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non praemissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis ad beneplacitum S. Sedis ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum.

Quoniam praesens articulus a decreto Clementis VIII. sumptus est, majori luce effulgebit, si hoc ante oculos habeatur. Clemens igitur VIII. decretum edidit, quo statuit omnes exte-

ros in Urbe degentes, qui ad sacros ordines sive minores sive majores promoveri cupiunt, etiamsi dimissorias litteras a suis Ordinariis obtinuerint, quarum vigore a quocumque Episcopo ordinari possent, nihilominus neque his uti, neque sacros ordines extra Urbem suscipere posse, nisi antea examinati et approbati fuerint ab examinatoribus Cardinalis Urbis Vicarii, hujusque licentiam obtinuerint; idque sub poena suspensionis, ob quam porro incurritur irregularitas, si ordinatus contra formam decreti in susceptis ordinibus ministrare praesumpserit. Clementis decretum editum fuit die 24 Nov. 1603., et instauratum ab Alex. VII. sub die 25 Maii 1654. Ad tramitem hujus decreti Pius IX. hunc articulum sancivit, qui duas continet partes. Prima respicit clericos exteros ultra quatuor menses Romae commorantes, qui in Urbe, vel extra ordines tum majores tum minores suscipiunt ab alieno Episcopo absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii, vel nullo coram eo peracto examine, vel in examine peracto coram praedicto, et rejecti a proprio Episcopo ordinantur. Secunda clericos e sex dioecesibus suburbicariis, qui extra propriam dioecesim ab alieno Episcopo ordinantur, vel non praemissis spiritualibus exercitiis per decem dies. Contra utrosque lata est suspensio ab ordine suscepto ad beneplacitum S. Sedis, et contra Ordinantes inflicta est suspensio ab usu Pontificalium per annum. Singula expendemus.

Ad primam partem quod attinet. Clerici exteri ultra quatuor menses Romae commorantes examen subire debent coram Cardinali Urbis Vicario et ab eo ordinari, vel de ejus licentia a quopiam alio; vel etiam Romae commorantes possunt accedere (intellige extra Urbem) ad proprium Episcopum sive originis, sive domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis, et ab eo ordines recipere (1). Unde Pius IX. in hoc articulo decernit, quod praedicti

(1) Cum vero post decretum Clementis VIII. nonnullae obortae fuerint quaestiones super decreti interpretatione, omnes opportunis decretis definitae fuerunt in Congregatione particulari habita anno 1668., cujus resolutiones videri possunt relatae per accuratissimum *Rigantium* tom. II. *De regulis Cancellariae.* In hujusmodi resolutionibus sub n.° IV. habetur:

An Clerici in Urbe commorantes possint ordinari etiam ab Episcopis do-

clerici, si ultra quatuor menses Romae commorati sunt, ab alieno Episcopo absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii ordinantur, vel nullo coram eodem praemisso examine (licet licentiam obtinuerint posse ab alio ordinari), vel si in examine coram eodem Cardinali Urbis Vicario peracto rejecti a proprio Episcopo ordinantur, hanc suspensionem ab ordine suscepto ad beneplacitum S. Sedis incurrunt. Hinc pro triplici capite haec suspensio incurri potest: — 1.° si praedicti ultra quatuor menses Romae commorantes ab alieno Episcopo ordinantur absque licentia Cardinalis Urbis Vicarii;—2.° si ordinantur nullo peracto examine coram eodem Cardinali Urbis Vicario, licet licentiam obtinuerint posse ab alio ordinari;—3.° si ordinantur a proprio Episcopo postquam in examine peracto coram Cardinali Urbis Vicario rejecti fuerint, licet iterum a proprio Episcopo examinentur, et idonei reperiantur (1). Ex quo infertur: — 1.° requiri licentiam Cardinalis Urbis Vicarii et examen coram eo, quoties aliquis ab alieno Episcopo ordinatur; unde si quis a proprio Episcopo in sua dioecesi ordinatur, licet Romae commoretur, nulla requiritur licentia, quia in textu prohibetur a proprio Episcopo ordinari, si quis in examine coram Cardinali Urbis Vicario rejectus fuerit, non vero si accedit ad proprium Episcopum, et juxta formam Tridentini ab eo ordinatur (2); — 2.° vetari a

---

micilii, beneficii et ab eo, cui triennale servitium personaliter praestiterunt ad formam S. Conc. Trid. sess. XXIII. cap. IX. *de Reform.*, absque eo quod prius examinati et approbati fuerint ab examinatoribus Urbis juxta supradictum edictum? Resp. *Clerici in Urbe commorantes bene recipiunt ordines ab Episcopis domicilii, beneficii et triennalis servitii praestiti, dummodo ab ipsismet Episcopis ordinentur ad formam sacrosancti Concilii Tridentini. Acta. S. Sedis* Tom. II. pag. 537.

(1) Sub n.° III. praedictarum resolutionum legitur: *An clerici in Urbe commorantes, et ab examinatoribus Urbis rejecti recipientes ordines a propiro Ordinario incidant in poenas edicti?* Resp. *Clerici ab examinatoribus Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii reprobati incidunt in poenas edicti, etiamsi a proprio Ordinario approbati ab eodem suscipiunt ordines.*

(2) Sub n.° II. praedictarum resolutionum habetur: *An clerici in Urbe commorantes accedentes ad proprium Ordinarium, et ab eo suscipientes ordines, absque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto su-*

proprio Episcopo ordinari clericum in examine coram Cardinali Urbis Vicario peracto rejectum; at hoc dicendum si in Urbe commorari perduret, unde si Romam relinquit animo non redeundi, potest in propria dioecesi, vel alibi ubi figit domicilium, a proprio Episcopo ad normam Concilii Tridentini ordinari, quia textus loquitur de clericis saecularibus exteris Romae commorantibus, hinc qui prorsus Romam deserit, hac lege non obstringitur.

Ut autem quis incurrat hanc suspensionem ab ordine suscepto, requiritur: — 1.° ut sit clericus, hinc si est laicus, qui primam tonsuram suscipit, etiamsi simul minores ordines accipiat, cum sit una actio, hanc suspensionem non incurrit, quia textus nominat eos, qui jam sunt clerici; — 2.° ut sit clericus saecularis, unde regulares hac suspensione non ligantur; — 3.° ut sit exterus, id est nec ad Romanam dioecesim, nec ad unam e sex suburbicariis dioecesibus pertineat; — 4.° ut ultra quatuor menses Romae commoretur, hinc si ante hoc tempus, vel vix ad quatuor menses perventus quis ordinatur absque licentia Cardinalis Vicarii, hanc suspensionem non incurrit, quia textus dicit ultra quatuor menses; — 5.° ut praedictus Romae commorari perduret, hinc si Romam relinquit animo non redeundi, licet ibi ultra hoc tempus commoratus sit, potest a quopiam Episcopo cum dimissoriis proprii Episcopi ordinari sine licentia Cardinalis Urbis Vicarii, quin hanc suspensionem incurrat, quia textus dicit *Romae commorantes*, idest qui actu Romae commorantur; unde qui eam deserit animo non revertendi, non potest dici in ea habitare. Non abs re erit heic animadvertere quod si quis ultra sex menses Romae commoratus sit, ut alibi possit ordinari, indiget litteris testimonialibus Cardinalis Urbis Vicarii, quia per hoc tempus canonicum impedimentum contrahere potuit, secus incurrit Ordinans in suspensionem sub n.° III.

Ad secundam partem quod attinet. Clerici suburbicarii si extra dioecesim ordinantur, vel debent a proprio Episcopo ordi-

---

pradicto? Resp. Non afficiantur edicto, si ab ipso Ordinario suscipiant Ordines: secus si ab alio ordinentur, etiam vigore dimissorialium proprii Ordinarii.

nari, vel a Cardinali Urbis Vicario. Et ratio est, quia, ut ait *Pennacchi, cum dioeceses suburbicariae Rom. Pontifici sint subjectae, qui tanquam ipsarum Episcopus sit habendus, injuria ad alios Episcopos Clerici ordinandi dimitterentur, spreto ipsius Rom. Pontificis Vicario.* Hinc si praedicti suburbicarii extra dioecesim pergentes, etiam exhibitis litteris dimissoriis proprii Episcopi, ab alieno Episcopo ordinantur, suspensionem a suscepto ordine incurrunt ad beneplacitum S. Sedis. Unde infertur, quod si in propria dioecesi ordines suscipiunt, possunt vel a suffraganeis, vel ab alio de licentia proprii Episcopi ordinari, quia textus dicit: *si ordinentur extra suam dioecesim.* At non requiritur, ut isti Romae commorentur, postquam discesserunt a propria dioecesi, ut hanc suspensionem incurrant, quia in textu nulla mentio de commoratione fit, sed dicitur: *si ordinentur extra suam dioecesim*, unde licet in propria habitent, et alibi accedant cum dimissoriis proprii Episcopi, ut ordinentur, hanc suspensionem incurrunt.

Insuper praedicti clerici suburbicarii possunt hanc suspensionem incurrere, si suscipiunt ordines non praemissis per decem dies spiritualibus exercitiis in domo Patrum S. Missionis. At hoc intelligendum, sive ordinentur in propria dioecesi sive extra, dummodo ordines sint sacri, nam in textu dicitur *ante ordinem sacrum*; hinc si suscipiuntur minores ordines non praemissis spiritualibus exercitiis, nulla incurritur suspensio, quia non adest consuetudo ea praemittendi.

Denique in textu pro Episcopis Ordinantibus contra haec praescripta fertur suspensio ab usu Pontificalium per annum. Nomine Pontificalium intelligitur usus insignium Pontificalium, uti mitrae, baculi pastoralis, et pallii. Propterea suspensus a Pontificalibus repellitur ab usu auctoritativo mitrae, baculi et pallii, idest ab actibus ordinis Episcopalis, qui cum praefatis insignibus, regulariter loquendo, fieri consueverunt. Hinc sequitur:—1.° Episcopum sic suspensum non posse absque dispensatione confirmare, ordines conferre, consecrare virgines, calices, Ecclesias, quia haec ad Pontificalia pertinent, ita *Zerola*, *Alterius* et alii. An autem possit tonsuram conferre, dissentio est inter Doctos; — 2.° Episcopum suspensum a Pontificalibus

posse baptizare, confessiones audire, sacrum facere juxta morem aliorum sacerdotum inferiorum, haec enim non sunt Pontificalia, ita Doctores citati;—3.° Episcopum suspensum a Pontificalibus posse censuras ferre, beneficia conferre, et alios jurisdictionis actus exercere, quia haec non sunt Pontificalia.

SUSPENSIONES DIRECTE INFLICTAE A S. CONCILIO TRIDENTINO, QUAE ADHUC VIGENT EX CONSTITUTIONE APOSTOLICAE SEDIS, SEQUENTES SUNT, QUARUM ALIAE RESERVANTUR, ALIAE NON.

VIII.

Suspenduntur Episcopi, qui in aliena Dioecesi pontificalia exercent sine Ordinarii licentia.

In Sess. VI. cap. V. *de Reform.*, legitur: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum. Si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi.*

IX.

Suspenduntur clerici non arctati, qui, sede vacante, a Capitulo litteras dimissorias infra annum obtinuerunt, atque ita majorem aliquem ordinem susceperunt.

In Sess. VII. cap. X. *de Reform.*, habetur: *Non liceat Capitulis Ecclesiarum sede vacante infra annum a die vacationis ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordi-*

nibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, praesertim in criminalibus gaudeant. In majoribus vero ab executione ordinum ad beneplacitum futuri praelati sint ipso jure suspensi.

X.

Suspenduntur Episcopi titulares, qui aliquo in loco commorantes, alienum subditum ordinant absque proprii Praelati dimissoriis epistolis.

In Sess. XIV. cap. II. *de Reform.*, invenitur: *Nemo Episcoporum qui titulares vocantur, etiam si in loco nullius dioecesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam praetextu familiaritatis continuae commensalitatis suae, absque sui proprii Praelati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promovere seu ordinare valeat. Contra faciens ab exercitio pontificalium per annum, taliter vero promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo praelato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.*

XI.

Suspenduntur Ordinantes alienum subditum, et Clerici ordinati.

In Sess. XXIII. cap. VIII. *de Reform.*, legitur: *Uniusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu etiam statutis temporibus permittatur nisi ejus probitas ac mores, Ordinarii sui testimonio, commendentur. Si secus fiat, Ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

XII.

Suspenduntur Abbates regulares et alii quamtumvis exempti, qui tonsuram aut minores Ordines conferre audent alicui saeculari. Item si litteras dimissorias clericis saecularibus; ut ab aliis ordinentur, concedant; deinde tam ii, qui contra Tridentini dispositionem dimissorias concedunt, quam qui impetrant etiam ab aliis quibusvis, eadem poena afficiuntur.

In Sess. XXIII. cap. X. *de Reform.*, habetur: *Abbatibus ac aliis quibuscumque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi Abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecumque, etiam Ecclesiarum cathedralium, litteras dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant; sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in hujus Sanctae Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum dioecesis fines existant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra hujus Sanctae Synodi sub Paulo III. Decretum, a Capitulo, episcopali sede vacante, litteras dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem litteras non a Capitulo, sed ab aliis quibusvis in jurisdictione Episcopi, loco Capituli sede vacante succedentibus, obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam Decreti ab Officio et Beneficio per annum sint ipso jure suspensi.*

XIII.

Suspenduntur promoti per saltum.

In Sess. XXIII. cap. XIV. *de Reform.*, in fine invenitur: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.*

XIV.

Suspenduntur Parochi sive saeculares sive regulares, qui alterius paroeciae sponsos sine illorum Parochi consensu matrimonio conjungere aut benedicere ausi fuerint, quousque ab Ordinario Parochi, qui nuptiis interesse debebat, absolvantur.

In Sess. XXIV. cap. I. *de Reform. matr.*, legitur: *Quod si quis Parochus vel alius Sacerdos, sive regularis sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.*

XV.

Suspenduntur Episcopi concubinarii, si a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint.

In Sess. XXV. cap. XIV. *de Reform.*, habetur: *Episcopi quoque, quod absit, si ab hujusmodi crimine non abstinuerint, et a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi, et si perseverent, etiam ad Sanctissimum Rom. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpae, etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.*

XVI.

Suspenduntur Praefectae monasteriorum, quae de professione suarum novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt, ut exploret voluntatem puellae, quae habitum suscipere, vel professionem emittere debet.

In Sess. XXV. cap. XVII. *de Regul. et Monial.* legitur: *Libertati professionis virginum Deo dicandarum prospiciens Sancta Synodus statuit, atque decernit, ut si puella, quae habitum*

regularem suscipere voluerit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente. vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat, et si voluntas ejus pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et Ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat; cujus professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Praefecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Praefecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit (1).

APPENDIX

SUSPENSIO SPECIALI MODO ROM. PONTIFICI RESERVATA LATA POST CONSTITUTIONEM AP. SEDIS.

Ex Constit. Pii IX. *Romanus Pontifex* 28 Aug. 1873. contrahentes excommunicationem spec. modo Pontifici reservatam ob causas in citata Const. memoratas (idest ob regimen Ecclesiae susceptum, nondum praesentatis Bullis provisionis, cui de jure), si Episcopali charactere jam sunt insigniti, in poenam suspensionis ab exercitio pontificalium ipso facto, absque ulla declaratione incidunt S. Sedi pariter sp. modo reservatam. En verba Const. *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium... ipso facto, absque ulla declaratione incidunt Sanctae Sedi pariter* (nempe specialiter) *reservatam.*

(1) Haec tamen proprie censura non est, cum foeminae suspensioni obnoxiae non sint, sed est simplex prohibitio seu privatio.

CAPUT VI.

INTERDICTA LATAE SENTENTIAE RESERVATA.

I.

Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia.

Cum universitas non possit excommunicari (1), sed interdici, merito Summus Pontifex Pius IX. in Collegia, Universitates et Capitula ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia poenam interdicti spec. mod. eidem reservati ipso jure tulit. Hoc interdictum est generale personale, quia afficit totum corpus morale, non singulares personas (2); hinc directe ipsa Communitas interdicitur, particulares vero personae indirecte, secundum quod sunt partes illius. *Salm.* trac. X. *de Cens.* p. I. n. 4. Hoc interdicto ligantur omnes illae personae, quae alicujus Universitatis, Collegii et Capituli sunt membra, etiamsi non omnes, sed tantummodo major pars consensu aut suffragio ad

(1) Habetur de hoc expressus textus in cap. *Romana de sent. excom., in 6.°* Et ratio ibi assignata est, quia non est credibile totam Communitatem deliquisse, sed forte aliquos esse innocentes, nec est Dei aut Ecclesiae judicium condemnare justum cum impio. Ita docent D. *Thomas in addit.* q. XXII. art. V., Palaus disp. I., *Sotus* in 4 dist., *Bonac.* n. 8., *Salm.* trac. X. *de Cens.* n. 169.

(2) Interdictum dividitur: 1.° in Locale quod immediate locum afficit, in Personale quod immediate afficit personas, et in Mixtum quod immediate afficit locum et ejus incolas; 2.° Interdictum tam locale, quam personale subdividitur in generale et particulare. Generale est, quo locus generalis, v. gr. collegium, etc. interdicitur. Particulare est, quo locus aut persona particularis, aut particulares interdicuntur. *S. Alph.* VII. 329.

appellationem concurrerit; nam quod factum est a majori parte, censetur factum a toto Capitulo, Universitate et Collegio, uti eruitur ex cap. *Cum inter Canonicos, in princip. de elect.*, ita *Ugolinus*, *Duardus*, *Bonac.* At quoniam contingere potest, quod Universitas, Capitulum, Collegium interdictum coalescat ex clericis, religiosis et saecularibus, sequitur omnes sub interdicto comprehendi, quia vere sunt partes illius. Quin imo si in tali communitate reperiuntur innocentes, etiam ipsi interdicto subjacebunt, non ut innocentes, sed quia sunt partes Communitatis interdictae (1). Idem dicendum est de absentibus a Capitulo tempore appellationis, et de iis, qui post latum interdictum illius Capituli membra esse coeperunt, quia sunt partes illius communitatis interdictae. Hoc habito discrimine, quod relate ad eos, qui eorum appellatione causam dederunt interdicto, interdictum naturam induit specialis interdicti, quia habetur delictum et contumacia, ideoque est vera censura, et eos tenet etiam relicta Communitate; et si sunt clerici et ordinem sacrum exercent, incurrunt etiam irregularitatem, quia speciale interdictum excommunicationi aequiparatur, ita *Salm.* trac. X. *de Cens.* n. 35. Relate vero ad illos, qui sunt innocentes vel absentes vel postea in Communitate advenientes, est mera privatio, et tamdiu hoc interdicto afficiuntur, quamdiu sunt partes illius communitatis interdictae; hinc si ab ea recedunt, eo ipso ab interdicto liberantur; et si sunt clerici, et ordinem sacrum exercent eo tempore, quo talis Communitatis sunt membra, peccant, sed irregularitas eos non tenet. Excipiuntur tamen ab hoc interdicto: — 1.° Episcopi (fieri enim potest, ut Episcopus unus sit ex

(1) Nec ullum est inconvenicns ligari innocentes hoc interdicto, quia non privantur bono obtento, sed impediuntur, ne obtineant, quatenus Ecclesia illis non vult sua bona communicare. Quae subtractio, licet habeat rationem poenae respectu eorum, ob quorum culpam fertur interdictum, quia in eorum ignominiam et confusionem cedit; respectu tamen innocentium non habet rationem poenae, sed justae ultionis et necessariae defensionis ecclesiasticae disciplinae. Sicut multoties ob delictum Rectorum alicujus Civitatis omnibus illius incolis etiam innocentibus negantur a Principe privilegia et plura bona, quae alias esset illis concessurus. *Salm.* trac. X. *de Cens.* p. I. n. 12. *S. Alphon.* VII. 41.

Canonicis), quia Episcopus et alii majores praelati non ligantur interdicto, nisi specialiter exprimantur, et in hoc articulo non sunt expressi. Hoc tamen intelligendum est, modo Episcopus ad appellationem concurrat tanquam unus de capitulo; nam si seorsim appellat tanquam particularis persona, tunc ligatur excommunicatione sp. mod. reserv. sub num. IV; — 2.° infantes et amentes doli incapaces, quia defectu usus rationis non sunt capaces prohibitionis appositae per interdictum. Prohibentur tamen tradi sepulturae ecclesiasticae, quia haec prohibitio non tam ipsos, quam clericos afficit, qui sepulturi sunt cadavera eorum (1).

Ut autem hoc interdictum incurratur, duo requiruntur; 1.° ut Capitulum sit legitime congregatum; 2.° ut major pars Capituli vel Collegii consensu aut suffragio ad appellationem concurrat. Hinc si nonnulli rebelles seorsim, non indicto Capitulo, Collegio aut Universitate, sese congregarent, et ab ordinationibus Summi Pontificis ad futurum universale Concilium appellarent; vel licet Capitula aut Collegia sint legitime congregata, tamen minor eorum pars ad appellationem concurreret, Capitulum aut Collegium hoc interdicto non afficeretur; in primo casu quia, Capitulo juxta eorum leges non indicto, tanquam singulares personae appellarunt, non vero morales, nempe Capitulum constituentes; in altero quia minor Capituli pars Capitulum non efformat. Attamen praedicti rebelles excom. sp. mod. reservatam incurrerent, nam hoc delictum duplicem habet poenam, nempe excommunicationem sp. mod. reserv. contra appellantes uti singulares personas, et interdictum latum contra appellantes uti corpus morale, nempe nomine Communitatis.

At si Universitas, Capitulum, Collegium interdictum incurrit, incurruntne eorum membra praeter interdictum, etiam excommunicationem? Sciendum est, quod hic articulus ex Bulla Coenae desumptus est, ideoque ad ejus tenorem intelligendus est. Jam vero in Bulla *Coenae* distinguuntur singulares perso-

(1) *Salm.* tract. X. *de Cens.* p. I. n. 13, ajunt; *Sicut reliqua cadavera mortuorum, qui interdicti decesserunt, ita de cadaveribus parvulorum, aut amentium tempore interdicti decedentium sentiendum est, quamvis sint doli incapaces et ratione careant, quia talis prohibitio directe non tendit ad illos, sed ad sepelientes.*

nae a Capitulo, Universitate et Collegio; contra primas lata est excommunicatio, contra Capitulum vero Universitatem et Collegium latum est interdictum, nulla facta mentione de excommunicatione (1): ergo dicendum, quod praedictorum membra incurrunt tantum interdictum, non vero etiam excommunicationem; secus ob idem crimen duplicem poenam incurrerent, quod admitti non potest, nisi de legislatoris mente certo constet.

Hoc interdictum est speciali modo Rom. Pontifici reservatum, hinc non potest absolvi ab eo, qui generalem habet facultatem absolvendi a casibus S. Sedi reservatis. Haec tamen est differentia inter absolventem ab interdicto sp. mod. reservato, et absolventem ab excom. sp. modo reservata, quod absolvens ab excom. sp. mod. reservata absque legitima facultate ligatur excommunicatione, non autem absolvens ab interdicto, quia Constitutio mentionem facit de absolventibus ab excommunicatione, non autem de absolventibus ab interdicto.

Tandem notandum quod si in Bulla *Coenae* etiam ii, qui auxilium, consilium, favorem praestabant, hoc interdicto afficiebantur, per nostram Constitutionem non ligantur.

II.

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis; aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiae ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Hic articulus duplici constat parte; prima afficit eos, qui celebrant vel celebrari faciunt divina in locis interdictis; secunda afficit eos, qui admittunt nominatim excommunicatos ad divina

(1) In Bulla *Coena* legitur: *Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint: Universitates vero Collegia et Capitula quocumque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus seu mandatis Nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.*

officia vel sacramenta, excepta Poenitentia et Viatico in articulo mortis, aut admittunt ad ecclesiasticam sepulturam. Hinc materia utriusque partis in triplici actione consistit. Prima actio est scienter celebrare divina in loco interdicto. Secunda est celebrari facere divina in loco interdicto. Tertia est admittere nominatim excommunicatos ad divina officia, vel ad sacramenta, vel ad ecclesiasticam sepulturam; in prima et secunda actione violatur interdictum locale, in tertia violatur lex, qua prohibetur communicare in divinis cum nominatim excommunicatis. Haec explicabimus.

Et in primis cum dicitur *celebrantes divina* intelliguntur divina officia, nempe omnes sacrae functiones, quae de Christi vel Ecclesiae institutione a ministris ejusdem Ecclesiae ad id deputatis solemniter peraguntur: uti sunt sacrificium missae, publica oratio, processio, cantus horarum, benedictio olei, aquae, candelarum, et alia adnexa ordini clericali, quae solemniter exercentur, excepta concione, ita *S. Alph.* VII. 177., uti alibi dictum est. Insuper cum dicitur *celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis interdictis* intelligendum est tam de interdicto locali generali, quam particulari, nempe de omni loco, etiam particulariter interdicto, quia textus generaliter loquitur. Loca vero interdicta ab Ordinario sunt illa, quae interdicuntur ab eo, qui habet jurisdictionem Episcopalem vel quasi Episcopalem in locum, qui interdicitur. Loca interdicta a delegato Judice ea sunt, quae interdicuntur ab eo, qui delegationem habuit ab habente potestatem ordinariam in locum, quem interdicere commisit. Denique loca interdicta a jure ea sunt, quae interdicuntur a Romano Pontifice vel a Conciliis oecumenicis, nam isti tantum possunt constituere jus.

Praeterea admittentes ad divina officia, ad sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam, de quibus sermo fit in secunda articuli parte, illi proprie dicuntur, ait *Suarez* 37. lib. V., ad quorum curam spectat *prohibere*, vel *admittere* aliquem ad hujusmodi actus; vel, ut ajunt *Filliuc.*, *Avila*, aliique, ille proprie dicitur *admittere*, qui ex officio suo debet prohibere et non prohibet, uti Parochi aliique, quorum curae loca sacra commissa sunt. Unde si clericus in quadam Ecclesia, cujus regimen

non habet, more laicorum divinis officiis simul cum nominatim excommunicato assistit, hoc interdicto non ligatur, quia eum ad divina non admittit; nec eadem ratione ei subjacet, si ab eo recipit Sacramentum, sed tantum ipsius sacrilegae actioni cooperatur; nec ipsum incurrit, si eum ad sepulturam comitetur, quia comitari non est sepelire. Denique notandum est hujusmodi praedictas actiones esse vetitas, et contra delinquentes latum esse interdictum ab ingressu Ecclesiae, sed non in diebus Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. Virginis, in die et per Octavam Corporis Christi, in quibus ex cap. *Alma Mater* permittitur divina officia solemniter celebrari in locis interdictis, admissis etiam personis interdictis (quae ideo tenentur iis festis Missam audire); modo qui causam dederunt interdicto ad altare propius non accedant, neque ad communionem, ita *Salm.* trac. X. *De Censuris.*

Subjectum istius censurae sunt omnes et singuli ecclesiastici, tam saeculares quam regulares (exceptis Episcopis et aliis majoribus Praelatis, ex cap. *Quia periculosum*), qui praefatas actiones faciunt. Ratio est, quia textus generaliter loquitur hinc omnes comprehendit. Dixi *omnes et singuli ecclesiastici*, quia tantum ecclesiastici possunt praefatas actiones in hoc articulo vetitas perpetrare; hoc habito discrimine, quod relate ad *celebrantes* omnes praedicti indiscriminatim hac censura ligari possunt; relate vero ad *celebrari facientes, et admittentes nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam* tantum ii hoc interdicto ligari possunt, qui auctoritatem habent permittendi aut prohibendi hujusmodi actus; uti sunt Parochi, Rectores Ecclesiae vel coemeterii, Superiores, quia isti tantum possunt facere celebrari in locis interdictis, et possunt admittere ad praedicta, ita *Suarez, Filliuc., Avila, Bonac.*

Ut autem praedicti hoc interdictum incurrant, requiritur:— 1.° ut scienter actiones vetitas faciant, nempe sciant locum esse interdictum, et praedicta peragant; hinc ignorantia crassa seu supina eos excusat; — 2.° si loca sunt a jure interdicta, requiritur, ut sint uti talia nominatim declarata; nam juxta Extr. *Ad evitanda* Martini V. nullus locus censeri debet jure interdictus,

nisi accedat Summi Pontificis declaratio; — 3.° requiritur, ut excommunicatus sit nominatim excommunicatus ab Episcopo, quia admittentes ad divina nominatim excommunicatos a Papa incurrunt excommunicationem generali modo Rom. Pontifici reservatam, ita *Avanzinius* (1), aliique; — 4.° ut qui eos ad praedicta admittunt, auctoritatem habeant eos ab hujusmodi actibus arcendi. Denique praedicti tantum metu gravi ab hac censura excusantur, non levi, quia non adest verbum *sponte*, uti in art. XVII.

Effectus istius interdicti ab ingressu Ecclesiae, quod incurritur ab eo, qui aliquam ex praedictis actionibus facit, est 1.° privatio exercitii ordinis sacri in Ecclesia; 2.° privatio sepulturae ecclesiasticae; 3.° privatio adsistentiae divinis officiis. At potest taliter interdictus celebrare in oratorio privato, quia non est interdictus ab ingressu cujuscumque loci sacri, sed tantum publicae Ecclesiae. Insuper potest Ecclesiam ingredi ad alium finem, puta ad orandum, quia ei prohibetur tantum exercitium ordinis sacri in Ecclesia, adsistentia divinis officiis et ecclesiastica sepultura, et non aliud. Insuper potest in Ecclesia sacramenta recipere, dummodo divinis officiis non adsistat, nam hujusmodi interdictum non privat sacramentorum usu. Violantes

(1) Ait enim *Avanzinius: per verba* nominatim excommunicatos *intelliguntur excommunicati ab Episcopis vel aliis Ordinariis, qui jurisdictione et potestate pollent excommunicandi, vel declarandi in foro externo excommunicatos: ratio est quod non agitur in themate de diversa Constitutione vario tempore variisque de causis lata, sed de una eademque Constitutione, quae quantum fieri possit, armonice est intelligenda: ideoque cum ambo articuli in eadem Constitutione reperiantur et propter eandem causam, idest ne cum excommunicatis denunciatis Clerici communicent in divinis, eodem sensu articuli sunt accipiendi, eo magis quod discrimen reale jam adest in discrimine poenae. Quare Clerici omnes sive sint saeculares sive Regulares, qui sponte communicent in divinis cum excom. nominatim a R. Pontifice, excommunicationem ipsi reservatam incurrent: qui vero scienter communicent in divinis cum excommunicato ab aliis Ordinariis, erunt interdicti ab ingressu Ecclesiae. Articuli autem cum sint paralleli, ad invicem sunt declarandi, et si opus est, ad invicem supplendi.*

tale interdictum per exercitium ordinis sacri irregularitatem incurrunt, prout statuitur in cap. *Is cui*, quia veram violant censuram per exercitium ordinis majoris.

Hoc interdictum potest absolvi ab eo, qui locum interdixit, nempe est reservatum vel Pontifici, vel Episcopo, vel delegato Judici, a quo latum fuit. Attamen contra hoc articulum delinquentes, praestita competenti satisfactione ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, possunt a quocumque absolvi, quia in textu dicitur: *donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.* Utrum autem non solum reservatio, sed ipso facto cesset interdictum, quin opus sit absolutione, litigant DD. Bonacina censet quod, praestita competenti satisfactione, vinculum interdicti ex seipso exstinguitur. Alii communiter negant, quia quando quis ligatur censura, nonnisi per absolutionem cessat, et id confirmant ex responso S. Poenitentiariae an. 1832. quoad similem casum.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus, et declaramus.

His verbis Summus Pontifex declarat omnes suspensiones et interdicta a Sacrosancto Concilio Tridentino directe lata in suo robore permanere. Suspensiones directe latas a Tridentino antea proprio loco apposuimus, nunc interdicta ab eodem Conc. Trid. directe lata sequuntur.

INTERDICTA DIRECTE LATA A TRIDENTINO.

III.

Interdicitur Capitulum seu Vicarius Capitularis, qui dimissorias ad Ordines non arctatis anno luctus vacationis Dioecesis concedit.

In Sess. VII. cap. X. *de Reform.* habetur. *Non liceat capitulis, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias seu reverendas, ut aliqui vo-*

cant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusvis privilegii aut consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, Capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto.

IV.

Interdicuntur Episcopi, qui non denunciant Episcopos illegitime absentes.

In Sess. VI. cap. I. *de Reform.* legitur: *Crescente vero contumacia* (Episcopi absentis ultra secundum semestre tempus) *ut severiori Ss. canonum censurae subjiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur.*

APPENDIX

INTERDICTUM SPEC. MODO R. PONTIFICI RESERVATUM LATUM POST CONST. AP. SEDIS.

Ex Constit. Pii IX., *Romanus Pontifex*, 28 Aug. 1873. praeter suspensionem antea recensitam, latum est etiam interdictum ab ingressu Ecclesiae speciali modo Papae reservatum in Episcopos, qui electi ad Sedem Episcopalem, illius regimen suscipere audent, nondum praesentatis Bullis cui de jure. En verba Constit. *Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti in poenam.... interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt Sanctae Sedi pariter* (nempe specialiter) *reservatam.*

Quae vero censurae sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti Nostris, aut Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, aut sacris canonibus, praeter eas, quas recensuimus, latae sunt, atque hactenus in suo vigore perstiterunt, sive pro Roman. Pontificis electione, sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, nec non quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Coetuum locorumque piorum cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Licet per hanc Constitutionem omnes generales censurae antea latae, quae non innovantur, neque directe fuerunt inflictae a Tridentino, penitus abrogentur, tamen Pius IX. verbis superius citatis nonnullas peculiares censuras a suis Praedecessoribus, et a sacris canonibus latas circa electionem Rom. Pontificis, et internum regimen (intellige spirituale) Regularium, aliorumque piorum Institutorum, quae tunc vigebant, et vim habebant, declarat non esse abrogatas, sed in suo robore permanere; ideoque licet recensitae non sunt in praesenti Constitutione, sunt tamen addendae. Dixi *declarat*. non *innovat*, secus censuris, quae in desuetudinem abierant, et in hac Constitutione *Ap. Sedis* non continentur, vim addidisset, quod falsum est; nam in textu dicitur eas tantum retinere, quae *hactenus in suo vigore perstiterunt.* Hinc omnes censurae pro Romani Pontificis electione, sive pro interno regimine Regularium, aliorumque piorum Institutorum, quae ante hanc Constitutionem vigebant, adhuc vigent, et in suo robore penitus sunt.

At quoniam per haec verba textus quaestio orta fuit, an censura lata in Missionarios mercaturam exercentes post hanc Constitutionem adhuc vigeret, cum non respiciat neque electionem Rom. Pontificis, neque internum regimen Regularium, aliorumque piorum locorum, de hac re interrogata fuit S. U. Inquisitionis Congregatio, quae affirmative respondit (1). Haec autem censura

(1) Cum Supremae S. Inquisitionis Congregationi dubium fuerit expositum, an post Constitutionem Ap. Sedis editam a SSmo D. N. Pio Papa IX. 1869. adhuc vigeant censurae latae sententiae contra Ecclesiasticos et Missionarios mercaturae in Indiis Orientalibus operam dantes in Constitu-

licet sit Rom. Pontifici reservata, quia a nemine, praeterquam in mortis articulo, potest absolvi, tamen facta applicatione lucri percepti ad usus pauperum, seminariorum etc. a quocumque confessario absolvi potest, ideoque potius inter censuras nemini reservatas est adnumeranda, et inter eas relata est.

Ceterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quae ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus, et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit; quae vero privilegia aut facultates, sive a Praedecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari praedito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessae fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis vel non in corpore juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

---

tionibus Urbani VIII. 1633., et Clementis IX. 1669. editis comminatae. Emin. PP. Inquisitores generales in Cong. habita feria IV. 4 Dec. 1872. cum considerassent reservationem aut exceptionem factam ad paragraphum: *Quae vero censurae* praedictae Constitutionis posse quaestionibus ansam praebere, censuerunt supplicandum eidem SSmo Domino Nostro ut declarare dignaretur, Constitutiones Summorum Pontificum Urbani VIII. et Clementis IX. superius memoratas adhuc vigere, et declarationem notificandam esse ab hac S. Congregatione per litteras circulares, prout tenore praesentium fit Missionariis quibuslibet in Indiis Orientalibus et Americae existentibus. Porro Sanctitas Sua eidem sententiae in omnibus annuendum censuit.

His verbis Rom. Pontifex revocat omnia privilegia et facultates a S. Sede concessas cuilibet Coetui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto relate ad absolutionem casuum et censurarum in hac Constitutione Rom. Pontifici reservatarum. Cetera vero privilegia et facultates absolutionem praedictorum non respicientes sartae tectaeque servantur, et minime revocantur. Et heic sedulo duo sunt notanda:—1.° per haec verba fuisse tantum revocatas facultates reales, scilicet Ordinibus et Institutis quibuslibet ante hanc Constitutionem concessas, non vero facultates personales, quae scilicet alicui particulari personae ad tempus fuerant concessae, idest per annum, per quinquennium etc., hae siquidem revocatae non fuerunt, perdurabant, quousque tempus statutum in concessione facultatis lapsum fuisset. Id eruitur ex declaratione S. Poenitentiariae, quae interrogata: An Praelati Regulares post Constitutionem *Apostolicae Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus antea, idest possint, nec ne, suos subditos absolvere a casibus Papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis? Sacra Poenitentiaria die 5 Decembris 1873. respondit: *Negative, salvis illis facultatibus, quae promanant ex rescriptis particularibus ad tempus concessis.* Idipsum declaratum fuerat per Supremam Inquisitionem die 15 Junii 1870., en verba: *Itaque decreverunt* (Eminentissimi Inquisitores) *per Constitutionem Sanctissimus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus cujuscumque indolis, quae a S. Sede ante promulgationem ejusdem Constitutionis concessae fuerint, sive hae quinquennales sint, sive extraordinariae, sive respicientes praesens Jubilaeum; atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, tempore perdurante in dictis concessionibus sive indultis praefinito:* — 2.° notandum (quoad citata verba textus) quamcumque facultatem in posterum a S. Sede concedi, nunquam intelligi concessam facultatem absolvendi a casibus et censuris in hac Constitutione reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit. Quod si aliqua facultas expresse datur, tamen cum aliqua limitatione concessa censenda est. Revera Pius IX. per S. Univ. Inquisitionem die 17 Junii 1866. decrevit: *In facultatibus absolvendi ab omnibus casibus Papalibus excipiendos semper in po-*

sterum, et exceptos habendos esse casus Bened. XIV. in Bulla Sacramentum Poenitentiae, *qui sunt casus Sacerdotis attentantis absolutionem complicis in peccato turpi, et casus personae denuntiantis falso Sacerdotem de sollicitatione.* Die autem 4 Aprilis 1871. eadem S. Congregatio declaravit, quod etiam obtenta facultate absolvendi a censuris speciali modo reservatis, semper excipitur absolutio complicis quoad turpia.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam, Sess. XXIV. cap. VI. de Reform., in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

His verbis firma remanet facultas a Tridentina Synodo Episcopis concessa absolvendi ab omnibus casibus et censuris Rom. Pontifici reservatis vi capitis *Liceat*, dummodo casus sint occulti et ad forum contentiosum non deducti, iis censuris exceptis, quae sunt speciali modo Rom. Pontifici reservatae, quatenus hae censurae vi hujus capitis non possunt amplius absolvi, prout antea. En caput Tridentini, cui hac Const. derogatum est: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in dioecesi sua per seipsos, aut Vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro conscientiae gratis absolvere, imposita poenitentia salutari.*

Decernentes has litteras etc. sequuntur clausulae consuetae. *Dat. Romae an. 1869. IV. id. Octobr.*

Laus Deo et Mariae.

INDEX

Constitutio Apostolicae Sedis . . . . . pag. 9

CAPUT I.

EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

I. Contra apostatas et haereticos . . . . . » 17
II. Contra legentes sine auctoritate Sedis Apost. libros haereticorum et apostatarum. . . . . » 24
III. Contra schismaticos . . . . . » 36
IV. Contra omnes appellantes ab ordinationibus Rom. Pontificis ad universale futurum Concilium. . . . . » 39
V. Contra interficientes, mutilantes, percutientes, capientes Praelatos majores . . . . . » 42
VI. Contra impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori. . . » 49
VII. Contra cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas . » 57
VIII. Contra recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica profecta . . » 61
IX. Contra omnes falsarios litterarum Apostolicarum . . . » 67
X. Contra absolventes complicem in re turpi. . . . . » 72
XI. Contra usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas pertinentes . . . » 78
XII. Contra invadentes, destruentes, detinentes civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia . . . » 85

Appendix. — *Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatae latae post. Const. Apost. Sedis.*

Contra Canonicos et Dignitates Cathedralium vacantium recipientes nominatum et praesentatum ad sedem Episcopalem antequam nominatus exhibeat Bullas ; nec non contra ipsum nominatum, et praesentatum . . . . . pag. 92

Contra omnes et singulos nomen dantes societati, vulgo : *Società cattolica per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano, ed in ispecie al popolo romano* . . » 93

CAPUT II.

Excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatae.

I. Contra docentes vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excom. poena. » 94

II. Contra violentas manus injicientes in Clericos. . . » 100

III. Contra duellantes . . . . . » 106

IV. Contra nomen dantes sectae Massonicae, aut Carbonariae. » 112

V. Contra violantes immunitatem asyli ecclesiastici . . » 117

VI. Contra violantes clausuram Monialium . . . . » 121

VII. Contra mulieres violantes clausuram Regularium . . » 128

VIII. Contra reos simoniae realis in beneficiis. . . . » 132

IX. Contra reos simoniae confidentialis in beneficiis . . » 136

X. Contra reos simoniae realis ob ingressum in Religionem. » 139

XI. Contra omnes, qui quaestum faciunt ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus . . . . . » 144

XII. Contra colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, eas faciendo celebrari in locis ubi minoris pretii esse solent. » 147

XIII. Contra omnes tractantes consulentes vel insinuantes R. Pontifici alienationem aut infeudationem bonorum ad Ecclesiam Romanam pertinentium. . . . . » 151

XIV. Contra Religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis ministrare Sacramentum Extremae Unctionis aut S. Viaticum . . . . . » 155

XV. Contra extrahentes absque legitima venia reliquias ex Sacris Coemeteriis sive Catacumbis Urbis Romae . . . » 159

XVI. Contra communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso . . . . . pag. 162
XVII. Contra Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis. » 164
XVIII. Contra praesumentes absolvere excommunicationes spec. modo Rom. Pontifici reservatas sine debita facultate . . » 166

Excommunicatio latae sententiae simpliciter R. Pontifici reservata directe inflicta a S. Conc. Tridentino.

XIX. Contra usurpatores bonorum aut jurium Ecclesiae, aliorumque piorum locorum . . . . . » 168

CAPUT III.

Excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatae.

I. Contra Clericos in Sacris constitutos vel Regulares aut Moniales post emissam professionem matrimonium contrahere praesumentes . . . . . » 169
II. Contra procurantes abortum. . . . . » 174
III. Contra utentes scienter falsis litteris Apostolicis . . . » 178

CAPUT IV.

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae.

I. Contra mandantes seu cogentes tradi Ecclesiasticae sepulturae haereticos notorios aut nominatim excommunicatos aut interdictos . . . . . » 179
II. Contra laedentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii, ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes . . . . . » 183
III. Contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico . . . . . » 186
IV. Contra negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare intra mensem confessarios sive sacerdotes sollicitantes ad turpia. » 192

Excommunicationes latae sententiae nemini reservatae directe inflictae a S. C. Tridentino.

V. Contra eos, qui libros de rebus Sacris imprimunt sine Ordinarii approbatione . . . . . pag. 199
VI. Contra praesumentes docere non teneri ad confitendum, ut Eucharistiam suscipiant, eos qui se contritos existimant . . » 201
VII. Contra negantes matrimonia clandestina fuisse vera et rata matrimonia, vel asserentes matrimonia a filiis sine parentum consensu contracta irrita esse. . . . . » 202
VIII. Contra raptores mulierum . . . . . » *ibi*
IX. Contra omnes, qui servos ac subditos invitos ad matrimonium contrahendum cogunt . . . . . » *ibi*
X. Contra magistratus si ad instantiam Episcopi non praebent auxilium adversus contradictores clausurae Monialium. . » 203
XI. Contra cogentes mulierem invitam ad ingrediendum monasterium. . . . . » *ibi*
XII. Contra impedientes mulierum voluntatem accipiendi velum, aut emittendi professionem religiosam . . . . . » 204

Appendix. — *Excommunicatio nemini reservata quam Pius IX. post Const. Apost. Sedis adhuc vigere declaravit.*

Contra Ecclesiasticos et Missionarios Indiarum Orientalium atque Americae mercaturam exercentes . . . . . » 205

CAPUT V.

Suspensiones latae sententiae Summo Pontifici reservatae.

I. Contra Capitula et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum, qui recipiunt Episcopos aliosve Praelatos antequam exhibuerint litteras Apostolicas . . . . . » 205
II. Contra Ordinantes aliquem absque titulo beneficii, vel patrimonii. » 209
III. Contra Ordinantes alienum subditum absque proprii Episcopi litteris dimissorialibus, vel proprium subditum, qui aliquo tempore sit alibi moratus, sine Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus . . . . . » 212

IV. Contra Ordinantes Clericum in aliqua Congregatione viventem, in qua solemnis professio non emittitur, absque titulo beneficii vel patrimonii . . . . . pag. 216
V. Contra Religiosos ejectos extra Religionem degentes . . » 219
VI. Contra praesumentes recipere ordinem ab excom. vel suspenso vel interdicto nominatim denuntiatis . . . . . » 222
VII. Contra Clericos saeculares exteros ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinatos ab alio, quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii . . . . . » 225

Suspensiones directe inflictae a S. C. Trid., quarum aliae reservantur, aliae non.

VIII. Contra Episcopos in aliena Dioecesi pontificalia exercentes sine Ordinarii licentia . . . . . » 230
IX. Contra Clericos non arctatos, qui, sede vacante, majorem ordinem susceperunt . . . . . » *ibi*
X. Contra Episcopos titulares, qui aliquo in loco commorantes, alienum subditum ordinant absque proprii Praelati dimissoriis epistolis . . . . . » 231
XI. Contra Ordinantes alienum subditum, et Clericos ordinatos. » *ibi*
XII. Contra Abbates regulares et alios quamtumvis exemptos, qui tonsuram aut minores Ordines conferre audent alicui sacculari. » 232
XIII. Contra promotos per saltum . . . . . » *ibi*
XIV. Contra Parochos qui alterius paroeciae sponsos sine illorum Parochi consensu matrimonio conjungere aut benedicere ausi fuerint . . . . . » 233
XV. Contra Episcopos concubinarios, si a Synodo provinciali admoniti, se non emendaverint. . . . . » *ibi*
XVI. Contra Praefectas monasteriorum, quae de professione suarum novitiarum Episcopum ante mensem certiorem non faciunt. » *ibi*

Appendix. — *Suspensio speciali modo Rom. Pontifici reservata lata post Const. Ap. Sedis.*

Contra Episcopos regimen Ecclesiae suscipientes nondum praesentatis Bullis provisionis, cui de jure . . . . » 234

CAPUT VI.

Interdicta latae sententiae reservata.

I. Contra Universitates, Collegia et Capitula ab ordinationibus seu mandatis Rom. Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia . . . . . pag. 235
II. Contra scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes . » 238

Interdicta directe lata a Tridentino.

III. Contra Capitulum seu Vicarium Capitularem, qui dimissorias ad Ordines non arctatis anno luctus vacationis dioecesis concedit. » 242
IV. Contra Episcopos non denuntiantes Episcopos illegitime absentes. » 243

Appendix. — *Interdictum sp. modo R. Pontifici reservatum latum post Const. Ap. Sedis.*

Contra Episcopos, qui electi ad Sedem Episcopalem, illius regimen suscipere audent, nondum praesentatis Bullis, cui de jure. » *ibi*

Nihil obstat
Jacobus *Can.* Javarone
Censor Theologus

Imprimatur
Joseph *Can.* Molinari
Deputatus

Roma Dno Ferdinando Procaccini di Montescaglio

l'Autore

12.1.12

Dr. PETRUS PIACENZA

S. R. C. PROTONOTARIUS APOST.

IN PONT. SEMIN. ROM. S. LITURGIAE PROFES.

IN

Constitutionem " Divino afflatu „

Ss. D. N. PII PAPAE X

DE NOVA PSALTERII IN BREVIARIO ROMANO DISTRIBUTIONE

ET IN

RUBRICAS

AD NORMAM IPSIUS CONSTITUTIONIS SERVANDAS

COMMENTARIUM

ROMAE

DESCLÉE ET SOCII EDITORES

S. SEDIS APOSTOLICAE ET SS. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

PIAZZA GRAZIOLI (PAL. DORIA)

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P., S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

† Iosephus Ceppetelli Patr. Constant., Vicesgerens.

IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR

Typographia italo-polygraphica. — V. della Guardiola, 22 - Romae.

PIO X PONT. OPT. MAX.

ROMANAE PSALMODIAE INSTAURATORI

COMMENTARIUM HUNC

NOVAS LEGES ILLUSTRANTEM

AUCTOR

LIBENS MERITO DEDICAT.

LECTORI

Nemo e sacrae Liturgiae cultoribus non videbit, quanti sit momenti nova haec pontificia dispositio circa Divinum Officium. Post s. Pii V notam reformationem Breviarii Romani, variae emendationes in eo inductae fuerunt, tum prius a Clemente viij et postea ab Urbano viij, et nostris temporibus a Leone xiij, ut silentio praetereamus nonnulla tentamina, hac super re sub Benedicto xiv et aliis pontificibus, praesertim sub Pio ix anno 1856, sed vera et secundum vota Orbis Episcoporum, reformatio, qualem Ss. D. N. Pius Papa X practice excogitavit, sive per novam Psalmorum distributionem, sive per alias emandationes brevi inducendas Breviario, nunquam executioni fuerat demandata.

Sicut ipse Summus Pontifex innuit in hac sua constitutione, quam interpretandam suscipimus, etiam quando in minoribus fuerat, desideravit ut opportuna reformatio Breviarii promoveretur. ita ut Clerus, in divini Officii recitatione. majori varietate, delectatione et aedificatione frueretur, et eodem tempore Officii onus levius foret, ob conditiones mutatas in quibus Clerus ipse imminutus nostris temporibus se habet; cum autem Petri Cathedram ascendisset, illi nota facta sunt antiqua postulata ab Episcopis diversarum Orbis regionum Apostolicae Sedi proposita, nec non virorum pietate ac scientia praestantium desideria hac de re scripto ac voce manifestata, ideoque necessitate atque opportunitate huiusce utilissimae reformationis recognita, tempus tandem advenisse judicavit, ut eam in praxi deduceret.

Siquidem, cum Illi relatum fuisset, quod circa nonnullas Officii divini Rubricas aliquae modificationes fieri deberent, in iteranda Typica editione Breviarii, aperte significavit se nullam novitatem in Breviario esse approbaturum, sed magis propensiorem se se ostensurum ad suscipiendam, quasi ex integro, eiusdem Breviarii tam desideratam reformationem. Quapropter apud Deum re penitius perpensa, Commissionem instituit pro opportunis studiis conficiendis juxta mentem suam, habita ratione postulationum, quae, uti diximus, centum ab hinc annis Sedi Apostolicae delatae fuerant: et quid agendum foret, referret. Paratas a Commissione propositiones, antequam suprema sua auctoritate comprobaret, Sanctitas Sua, Patribus Cardinalibus S. R. Congregationis submittere voluit. Hi autem eminentissimi Patres, in diversis coetibus coadunati, agnoscentes recta criteria pro Psalterii nova dispositione proposita, ea plenissime admiserunt, tamquam primum gradum ad proximam Breviarii reformationem.

Tunc Commissio omni studio ac diligentia in tali proposito multo tempore adlaboravit ac distributionem Psalmorum, et novas necessarias Rubricas paravit, et sic tandem supremam Pontificis adprobationem super omnia obtinuit.

Procul dubio huiusmodi reformatio majus addet decus glorioso pontificatui Ss. D. N. Pii Papae X, qui in suo programmate *omnia instaurandi in Christo*, nullatenus praetermittere poterat hanc ipsam instaurationem divini Officii, melius actualibus Cleri necessitatibus respondentem, et menti Ecclesiae, quae totum psalterium ut in hebdomada persolvatur, semper optavit, plane conformem.

Ut autem citius ac facilius recitari possint Canonicae Horae, iuxta novas Ss. D. N. dispositiones, commentarium istud tum in pontificiam Constitutionem, tum in Rubricas conficiendum sollicite studuimus, ad majorem Dei gloriam et in commodum fratrum nostrorum in Sacerdotio.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius* [1]; verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox* [2], atque psalmodia, eius *hymnodiae filia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur [3], *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quaeque homines, in primis divino cultui addictos docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter* confiteantur [4]. Pulchre ad rem Augustinus: *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit se ipse Deus; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum* [5].

[1] *Hebr.* 13, 15.
[2] Homil. in Ps. 1, n. 2.
[3] Bulla *Divinam psalmodiam*.
[4] Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor. n. 10.
[5] In Psalm. 144, n. 1.

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur: ... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Haec iterum Athanasius [1], qui recte ibidem addit: *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet* [2]. Itaque Augustinus in Confessionibus: *Quantum,* inquit, *flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum eis* [3]. Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci, in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur? Cui non similes sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro expectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores paenitentis animae? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus [4] *vocem in omnibus Psalmis vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat? (*a*).

[1] Epist. ad Marcell. cit. n. 2.
[2] Op. cit. n. 12.
[3] Lib. IX, cap. 6.
[4] In Ps. 42, n. 1.

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent (*b*). Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus, quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent (*c*) ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait [1] *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio.* De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae (*d*), quod non modo hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum, imbecillitati nostrae quam maxime

[1] Enarrat in Ps. 1, n. 9.

opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur* [1].

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus (*e*). Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus, quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet (*f*). Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt; quam cum S. R. E. Cardinales sacris riti-

[1] Regulae fusius tractatae, interrog. 37 n. 5.

bus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent (*g*), Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authenticam in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus (*h*).

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea, quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem: sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus (*i*). Interim, opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in praesenti instauranda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur: atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent (*l*).

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum ab omnibus et singulis, qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V

editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus, qui suo officio persolvendi quotidie Horas canonicas defuerint; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant (*m*).

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent: quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit (*n*).

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac bea-

torum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo, Kalendis Novembribus, in festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. AGLIARDI
S. R. E. Cancellarius

Fr. Seb. Card. MARTINELLI
S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Plumbi.

VISA
M. Riggi C. A., *Not.*

Reg. in Canc. Ap. N. 571.

COMMENTARIUM IN BULLAM

" DIVINO AFFLATU ,,

(*a*) Ecclesia Christi, ut scribit D. Hildephonsus Guépin O. S. B. (De Ratione Brev. Monast. eiusque emendatione 1908) haereditate accepit a Synagoga collectionem 150 Hymnorum, quos Spiritus Sanctus Davidi aliisque cantoribus aemulis ejus inspiravit, [1] ut sacrificia antiquae Legis, itemque sanctis Testamenti veteris in orationibus suis auxilium ferrent.

Ut primum Ecclesiae licuit cultum publice constituere, ihs psalmis usa est, velut praecipuo in officiis diurnis nocturnisque elemento. Christus, Apostoli, atque primaevae aetatis Christiani, Psalmis etiam in vita privata utendo, nobis exemplum praebuerunt. Viri, qui prioris vitae monasticae vacaverunt, Antonius, Basilius, Cassianus, Martinus, et alii quamplurimi, psalmos frequentissime usurpabant, quorum usum docebant discipulos suos.

Celebre testimonium habemus in libro Confessionum s. Augustini (IX, 7, n. 1) de psalmis et hymnis quos can-

[1] Licet psalmi in Vulgata sub nomine David inveniantur inscripti, non omnes tamen ejus sunt; nam Commissio pontificia de re Biblica, suo decreto 1 maji 1910 ad I, declaravit, quod plurium Patrum et Doctorum sententiae qui tenuerunt omnes psalmos uni David esse adscribendos, tantam vim non habent, ut psalterii totius unicus auctor David haberi debeat. Attamen juxta catholicos magistros melioris notae huius aevi nostri (Cf. Cornely Introd. 103; Vigouroux Manuel n. 653, nota 6; Filllon la S. Bible T. 4, p. 8; et Méchineau S. J. in Civ. Catt. 7 gen. e 4 feb 1911) certo sunt David psalmi 3-9, 11-32, 34-41, 51-65, 63-70, 86, 101-103, 108-110, 131, 133, 138-145, X, 9 et 95. Dubitatur adhuc de psalmis, 121 et 124. Multi tenent, quod sint David etiam psalmi 32, 66, 70, 90, 92, 93, 96, 97, 98 et 103.

tare in Ecclesiis ordinaverat s. Ambrosius " secundum morem orientalium partium „. et s. Basilius in suis regulis jam saeculo IV, ut psalterium decantaretur, praescripserat (Cf. Regul. fusius tract. Migne P. G. XVIII col. 532).

Tanta fuit erga Psalmorum librum reverentia in utraque Ecclesia, quod antiquitus nemo ad Episcopatum promoveri posset, nisi integrum Psalterium memoria teneret. Unde s. Gregorius in Epistola ad Andream scholasticum (Ep. lib. V, n. 48. Migne LXXVII c. 777) aperte declarat: " Sed nec Joannem presbytrum psalmorum nescium praesumpsimus ordinare „. (Cf. etiam ibid. c. 1090 et 1313); et patres maurini notant, quod vetus consuetudo, psalmos memoriter cantandi in Ecclesia, diu viguit (ibid. in indice c. 1566); unde multis in coenobiis monachi, extinctis prorsus luminibus in choro, psalmos hilari corde decantare solebant.

Toletanum etiam Concilium anno 656 coactum (Harduin III, col. 978) habet: " Sollicite constituitur atque decernitur, ut nullus cuiuscumque dignitatis ecclesiasticae deinceps percipiat gradum, qui non totum psalterium, vel canticorum usualium et hymnorum perfecte noverit „. Idem decrevit Nicoena Synodus oecumenica II anno 787 coacta, (Mansi XIII, col. 158. actio 5), quam citat Meratus (sect. 5, c. 8, n. 1), qui etiam ad rem refert constitutionem quamdam Richulfi Suessionensis Episcopi (an. 889), in qua edicitur: " Monemus, ut unusquisque vestrum psalmos et sermonem fidei catholicae, cuius initium *Quicumque vult salvus esse*, memoriter et veraciter ac correcte tenere studeat „. Martène quoque (Ant. Eccl. Rit.; I, viij), idem testatur; imo etiam moniales ex s. Hieronymo, ipse dicit, psalmos nescire permissum non fuisse (IV, vj, 4); quod bene explicat consuetudinem monachorum, qui licet operibus manualibus essent intenti, psalmos nihilominus decantabant (Ant. Mon. Rit. I, vj, 11-13). Cf. etiam Grisar (Roma alla fine del mondo antico, parte II, pag. 574).

(*b*) Lex autem totum persolvendi Psalterium in spatio unius hebdomadae, vetustissima est; nam, ut legitur in Regula s. Benedicti (I. c. 18), quocumque modo distri-

buantur psalmi, " omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada psalterium ex integro numero 150 psalmorum psallatur „ : et in antiquis Breviariis, etiam in illo peculiariter contracto pro Curia Romana, ineunte seculo XIII. lex ista semper servata fuit. Grancolas (Comm. Hist. Brev. Rom. I, c. 29 in fine) citat canonem Concilii Remensis anno 1560 celebrati, in quo legitur: " A primaeva Breviarii institutione, id antiqui Patres voluisse videntur, ut singulis hebdomadis totum psalterium psallatur „.

Huiusmodi ergo sacrata lex negligi non poterat, quando juxta Tridentini Concilii decretum, Pius V Breviarii Romani correctionem incepit; hinc est propterea, quod hodie quoque, juxta Rubricas eiusdem Breviarii, *de jure* in unaquaque hebdomada integrum psalterium recitari deberet. *de facto* tamen accidit, ut ob multas Sanctorum festivitates postea tum Ecclesiae universali, tum particularibus concessas, raro fiat officium de feria ideoque perpauci sint hodie psalmi, qui dici queant. [1]

Ad rem optime scripsit cl. Isoard Episcopus Auiciensis (Le saint Breviaire 1900 pag. 8) " Breviarium hodie amplius non est unica precum forma, quam adhibent Sacerdotes; ipsi enim alias formas inquirunt, quae magis devotioni in varietate satisfaciant. Quare hoc ? Procul dubio, quia in hodierna Psalmorum distributione solummodo viginti per hebdomadam recitantur, reliqui vero perquam raro „.

Similiter et praefactus Guépin (ibid. pag. 18) ait: " Hodie feriales psalmi rarissime occurrunt, dum frequentissime psalmos repetimus circiter triginta, quibus constat com-

[1] Sed et Gregorius xiij, valde cupiens ut integre Psalterium recitaretur in termino unius hebdomadae, saltem a Monachis et Eremitis, quia ob multa festa Sanctorum, omnes Psalmi persolvi non poterant in dicto termino, indulgentias concessit, iis qui, persoluto *penso servitutis* Deo per horas canonicas, die Dominico triginta psalmos et viginti unaquaque feria recitarent, facta faculate, ut Psalmi aliquo die omissi, reassumi possent die sequenti, ita tamen ut revera totum Psalterium per hebdomadam diceretur. (Constit. 28 Febr. 1576). Id confirmavit Urbanus viij 23 Dec. 1623 Cf. Doc. Pont. Montis Coronae 1908 p. 30 et 62).

mune Sanctorum, ceteri autem ferme omnes ignoti, ut ita dicam, remanent. Omnes tamen pro utilitate nostra inspiravit Spiritus Sanctus, ut nobis offerret formam orationibus nostris adaequatam, simulque medium, ut Deo tributum adorationis nostrae, laudis et gratiarum actionis solveremus. Ita fit, ut aetate nostra, extra mentem Patris nostri s. Benedicti, veterumque Patrum praxim, fere semper maneamus „.

Adde quod et quotidianus reditus ad easdem Homilias super Evangelia de communi vel Martyris vel Confessorum, nequit amplius animum Sacerdotis allicere, et novos sensus pietatis excitare.

c) Ex sequenti tabella apparet, quomodo post correctionem s. Pii v gradatim percrebuerunt festa in Calendario Universali; numerum eorum deprompsimus ex breviariis, Romae editis, sequentibus saeculis usque ad praesens; adiecimus etiam festa quae habentur in Calendario perpetuo, tum sacrosanctae Basilicae Lateranensis, tum Ordinis Minorum Conventualium, iuxta novum Breviarium eorum, anno 1910 editum.

Officia per Annum	In Calendario Universali					In Calend. Basil. Later.	In Calend. Minor. Conv.
	anno 1568	anno 1676	anno 1738	anno 1846	anno 1911		
Festa duplicia 1 clas. (a)	4	4	4	4	9	11	14
» » 2 » (a)	18	20	21	21	23	32	45
» » Majora .	—	14	17	20	25	43	83
» » Minora .	48	58	89	111	133	240	173
» Semiduplicia . . .	34	63	60	55	53	30	40
Dies infra Octavas liberae	26	27	26	24	23	5	12
In Totum . . .	130	186	217	235	266	361 (b)	367 (c)

(a) Non computantur Festa Domini in Proprio de Tempore.
(b) In numero 361 comprehenduntur 25 festa mobilia in mensibus.
(c) In numero 367 comprehenduntur 27 festa mobilia in mensibus.

d) Doctores omnes melioris notae qui de diviniis Officiis scripserunt, semper conquesti sunt de nimia quantitate festorum, quae in Calendariis inducebantur. Gregorius xiij, immediatus Pii v, successor, in sua Constitutione *Pastorali Offici cura*, d. d. 30 dec. 1573, iam conqueri coeperat, quia ob plurima festa Hispaniae concessa, " sequebatur ut Officium maioris partis feriarum omitteretur, et ordo Breviarii fere subverteretur „. Gavantus, qui obiit anno 1638, ideoque nondum creverant ad numerum 187 festa Sanctorum, tamen ad rem scribit: (Sect. 3, c. 3, n. 5) " Videant Episcopi, ne pluralitate festorum fiat injuria officio feriali „. Guyetus qui anno 1658 opus suum edidit (L. 1, c. 1, q. 19) loquitur " de notabili detrimento, quod infertur officio de Tempore, ex ingenti illa festorum coacervatione, quam eo usque demum aliqui promovent, vix locus ullus, aut certe exiguus admodum, feriis supersit „. Eadem verba sua facit Meratus (sect. 7, c. 1, n. 5).

Cavalerius vero, qui scripsit anno 1743-48, eo nempe tempore quo dies liberae per annum adhuc erant 103, T. 1, C. 6, n. 1) ait: " Festorum prurigo multorum de Clero tam saeculari, quam regulari, animos ita pervasit, ut nihil optent, nisi fere vehementius ambiant, quam abactis procul omnium feriarum officiis, continuis ac prope quotidianis festis indulgere, opinantes sibi et Religioni magnum augmentum et Ecclesiae suae vel Ordini splendorem accivisse, si corrugatis undique opportune, importune Sanctis, confertum et coagmentatum atque supereffluente Calendarium proprium compegerint. O quam vereor ego, ne specioso pietatis praetextu, in istis se tegat innatum plerisque in divino Officio brevitatis sollicitandam studium! „ [1]

---

[1] Clarissimus D. Guéranger, qui sub Pio IX anno 1856 (Cf. Baümer part. III, c. 13) unus fuerat ex consultoribus in commissione pro revisione Breviarii, ad rem nostram ita libero calamo scribit (*Instit. liturg.* II, p. 98): « Par ses nombreuses additions au Calendrier, Clément X peut être considéré comme l'auteur d'une veritable révolution liturgique. Jusqu'a lui, on avait admis de nouveaux Doubles qu'avec modération afin de sauver la prérogative de Dimanche, et

Amice lector, attende, quod doctores isti praeclarissimi, quando haec scripserunt, in calendario Universalis Ecclesiae non habebantur nisi 94 (vel 129) festa Duplicia, et 63 (vel 60) semiduplicia, ideoque quamplures adhuc supererant sedes liberae; quid porro nunc scriberent, videntes hodiernum Calendarium universale festis duplicibus 183 et 53 semiduplicibus refertum? Imo quid dicerent, si prae oculis haberent calendarium Basilicae Lateranensis, aut Ordinis Minorum Conventualium, in praecedenti nota descripta, ut taceam de aliis quamplurimis, ut Bononiensi, nullam prorsus sedem liberam habentibus?

Adde, quod tantorum virorum procul dubio exaugerentur querelae et admirationes, si tot festa viderent fixe assignata in Dominicis diebus, quot in multis habentur calendariis, cum evidenti jactura diei, quae *Domini* dicitur per antonomasiam. Quod id fiat pro festis solemnissimis, transeat, ipsi dicerent; quod vero agatur pro festis omnino secundariis, id prorsus non intelligitur. Quapropter hodie, tum ob multitudinem festorum, tum etiam pro officiis votivis nuper concessis, si excipias 14 Dominicas majores, et 5 Ferias privilegiatas (Feriam IV Cinerum, ferias majores hebdomadae et vigiliam Nativitatis) impossibile est omnino, ut a Clero Officium dominicale et feriale nunc persolvatur.

---

les Semidoubles mêmes n'avaient crées que en petit nombre; ce Pape dérogea à cette règle d'une manière si solennelle, qu'apres lui la plupart (imo ab anno 1769 nullum festum semiduplex inductum fuit, nisi s. Joannis a Capistrano sub Leone xiij) des offices qu'on établit l'ont été du rite double; ce qui a changé définitivement la face du calendrier romain. » Et Baümer (p. 3. c. 9, pag. 296) addit: « Comme les fêtes devenaient peu à peu prépondérantes, l'office du Dimanche, à l'exception de l'Avent et du Carême, devait très souvent leur céder le pas. De plus, fort souvent, la semaine se trouvait entièrement ou en grande partie si bien remplie par les fêtes transferées, qu'il était, la-plupart du temps, impossible de réciter tout le Psautier dans les heures canoniales ».

Notatu est dignum, quod Benedictus xiv in suo non brevi pontificatu, ullum unquam novum festum in Calendario Universalis Ecclesiae induxit; nil aliud in Breviario novi molitus est, nisi qualitatem Doctoris concedendo s. Leoni I Papae.

Hujusmodi querelae verbo et scripto tunc temporis ad S. Sedem pervenerunt, ita ut Commissio Pontificia a Benedicto XIV instituta, pro correctione Breviarii, ante omnia multa festa a Calendario universali eliminare proposuerat, et sic saepius Officium feriale locum habere posset [1].

Quod autem attinet officia votiva, sciendum est, S. R. C. suo decreto 7 Julii 1753 (in ant. coll. 4234) statuisse in posterum, non esse amplius recipiendas petitiones pro aliquo officio votivo, una vice in mense recitando; attamen, cum petitiones ipsae non cessassent, alio suo decreto generali 11 Maj 1816 (in coll. ant. n. 4517), ipsa apertius declaravit:

" Cum non obstante generali decreto, quo sub die 7 Julii 1753 a S. R. C. mandatum fuit, quod in posterum preces recitandi officia votiva semel in hebdomada, vel semel in mense, amplius non recipiantur, frequentes petitiones fiant pro facultate recitandi huiusmodi officia votiva . . . . Cardinales eidem S. Congregationi praepositi . . . memoratum decretum ad omnimodam observantiam revocari, ejusdemque exemplar, ut cunctis pateat, ad Secretariae parietes affixum perpetue retineri jusserunt ".

[1] Cl. Roskovàny (*Coelibatus et Breviarium* V, pag. 584) notat quod congregatio a Benedicto XIV creata pro Breviarii reformatione, anno 1741 sequentia festa e calendario expungenda proposuerat: nempe; « Ss. Nominis Jesu, Canuti, Raymundi de Pennafort, Scholasticae, VII Dolorum B. M. V. in quadragesima, Casimiri, Vincentii Ferreri, Soteris et Caii, Apparitionis s. Michaelis, Antonini Ep., Ubaldi, Venantii, Gregorii VII, Magdalenae de Pazzis, Julianae de Falconeriis, Aloysii Gonzagae, Leonis pap. II, Comm. s. Pauli? Anacleti, B. M. de monte Carmelo, Alexii, Inventionis s. Stephani, Hyacinthi, Raymundi nonnati, Laurentii Justiniani, Ss. Nominis Mariae, Stigmatum s. Francisci, Januarii et soc., Eustachii et soc. B. V. de mercede, Wenceslai, Ss. Rosarii B. M. V., Dionysii et soc., Francisci Borgiae, Hedvigis, Andraeae Avellini, Didaci, Gertrudis, Elisabeth vid. Joannis a Cruce, Catharinae V. et M., Bibianae, Petri Chysologi, Eusebii Vercellensis; et alia plurima pro aliquibus locis.

Procul dubio, si iidem Consultores nunc viverent, multa festa ejusdem dignitatis expungere proponerent, ex illis, quae post Benedictum XIV Ecclesiae Universali concessa fuerunt.

Patet igitur aegro semper animo Apostolicam Sedem concessisse istiusmodi officia, quae impediunt officium feriale; nihilominus, postquam Leo xiij, abrogavit translationem Duplicium et Semiduplicium; datum fuit Indultum generale pro recitandis ubique officiis votivis, ut notum est. In hoc porro indulto, tria notanda veniunt: 1° Quod Officia ista omnibus ad libitum concessa sunt, etiam non petentibus; 2° quod non unum vel alterum officium permittitur in hebdomada, sed pro singulis diebus totidem concessa sunt officia votiva; 3° quod ipsa officia recitare liceat, etiam tempore Quadragesimae et Adventus, dum in ceteris antecedentibus concessionibus, haec Tempora sacratissima fuerant semper excepta.

Quid ergo dicendum? Querimoniae Gavanti, Merati et Cavalerii, de neglecto officio dominicali et feriali, ob nimiam congeriem festorum, carebantne suo fundamento? Statim responsum in promptu est: Distingue tempora et concordabis jura. Qui legit enim decretum generale d. d. 5 Julii 1883, n. 3581, quo officia votiva omnibus concessa fuerunt, inveniet in eo huius rei explicationem; dicit enim: " Per apostolicas litteras in forma brevis die 28 Julii, superiore anno editas, Ss. D. N. Leo papa XIII . . . . Rubricam generalem Breviarii Romani, Tit. X, de Translatione Festorum, immutandam praecepit, demptis videlicet translationibus Duplicium minorum et Semiduplicium. Itaque specialis Congregatio diebus 23 Junii et 2 Julii vertentis anni iterum coadunata est, ad perficiendam juxta praefatam normam, textus Rubricarum correctionem. Nutu autem ejusdem Ss. D. N., nonnulla insuper perpendere debuit immutatae Rubricae consectaria, quae novam aliquam opportunam dispositionem prorsus requirere censebantur. Compertum quippe est, coartata translationum serie, superesse quidem . . . sedes quamplurimas omnino liberas . . . interim tamen haud leviter inde augeri onus Officiorum ferialium; quod, imminuto hodie Cleri numero, auctisque aliis ejus oneribus, minime convenire existimatur . . . Sacra igitur specialis Congregatio, hisce omnibus maturo examine perpensis, de singulis, si Sanctissimo placuerit, ita de-

crevit: Detur Indultum generale . . . persolvendi officia votiva per annum *loco officiorum ferialium*, praeterquam in feriis in Cinerum, totius Temporis Passionis, ac Sacri Adventus a die 17 ad 24 Decembris . . .

En itaque causa satis valida ad probandam variationem S. Sedis in festorum et votivorum concessione ultimis hisce temporibus facta. Multi enim ex Patribus Vaticani Concilii (Cf. Martin *Conc. vatic. document. Collectio*; Paderbonae 1873, pag. 165 et 188) postulata obtulerunt, in quibus, quoad Breviarum inter alia quaerebatur, ut quod breviora fierent officia, praesertim in Dominicis et feriis, " quae officia longiora videntur, et statui praesenti Cleri saecularis, multo minus olim numerosi, proindeque magis occupati, non satis accomodata „. Quod postulatum, sicut ac aliud de abrogandis translationibus, per dictum decretum in praxi deductum fuit.

Clarissimus Cardinalis Parocchi, qui dictae speciali Rituum Congregationi interfuerat, nobis de decreto citato disserens, candide declaravit, quod proxima erat aliqua Breviarii Romani Rubricarum emendatio, nam, si ex una parte votivorum concessio officiorum necessaria fuerat, juxta mentem Episcoporum Vaticani Concilii, ex altera tamen antiquae traditioni et Ecclesiae desiderio omnino conformis non erat. Prophetane fuit sapientissimus vir? Procul dubio fuit; et cum eo nonnulli scriptores (Cf. nostras Praelect. Liturg. anno 1909 editas pag. 109) qui adhuc in Breviario videntes neglectos ac contemptos psalmos, hymnos, ac responsoria ferialia, nec non lectiones de scriptura, et in Missali Dominicarum et Quadragesimae pulcherrimas Missas, aiebant: *Ut quid terram occupant?* Si iam suo tempore Gregorius XIII conquerebatur quia *ordo Breviarii fere subverteretur*, quid diceret hodie, cum Summus Pontifex, recitans officium iuxta calendarium lateranensis Basilicae, ad omittendam maiorem Breviarii partem adstringitur? Nonne hodie in editionibus partium Aestivae et Autunnalis Breviarii, ullo sine incommodo omitti poterit totum psalterium, uti nunc iacet? Merito ergo et opportunissime Ss. D. N. Pius Pp. X, inter alia,

quae in Christo instaurare proposuerat, hanc quoque felicissimam Officii Divini reformationem praecepit.

e) Postulata a nonnullis Patribus in Concilio Vaticano facta circa divinum Officium edidit Episcopus Martin (supra citat.) Episcopi Galliarum proposuerant: " Opportune reformetur Breviarum, praecipue quoad Lectiones ab historiis apocryphis non satis expurgatas; quoad hymnos stylo obscuro et prope barbaro compositos; quoad psalmorum distributionem, quae magis variari deberet; quoad frequentes nimis, nimiumque dilatas translationes Sanctorum; quoad ipsum delectum Sanctorum, quorum multi Romae proprii sunt et extra Romam parum noti; quoad mensurum officiorum, quae saepe in Dominicis praesertim et feriis, longiores videntur, et statui Cleri saecularis, multo minus quam olim numerosi, proindeque magis occupati, non satis accomodata „.

Alli Praesules postulata obtulerunt: " ut quantum fieri potest, ordinarie recitetur totum Psalterium in Hebdomada et brevius sit officium iis diebus, quibus parochi et confessarii muneris sui officiis diutius detinentur, prout sunt vigiliae festorum, sabbata, Dominicae praesertim Adventus et Quadragesimae „.

Alii... " ut praecipue Psalterium eo ordine digeretur, quo pluries quotannis recitari integre posset, quum in praesentiarum maxima pars psalmorum vix aut ne vix quidem in officij recurreret „.

Dicendum est ergo quod Pontifices Leo XIII b. m. et Pius X huiusmodi postulatis fecerunt satis; primus quidem abrogando (licet in parte tantummodo) translationes festorum; alter vero noviter disponendo psalterium, et translationes (exceptis duplicibus I et II classis) omnino supprimendo, ut videri est in Rubricis Psalterio novo praemissis.

f) Uti vidimus (nota *d)* alias Apostolica Sedes cogitaverat recognitionem Brevarii, ut Psalterium revera in heddomada integre recitari posset, attamen sub Benedicto xiv id fieri proposuerant electi viri ad recognitionem

ipsam praeparandam, minuendo numerum Festorum, scilicet 217 ex festis Sanctorum, quae eo anno habebantur in Calendario universalis Ecclesiae, 45 expungenda esse ducebant, sicque liberae manerent pro ferialibus officiis et dominicalibus dies 172; itaque si hodie eodem numero dies liberae obtineri velint, non 45 tantum festa expungi deberent, bene vero 194. Haec autem abrogatio festorum, quae sub eodem Benedicto XIV dicta fuerat *Sanctorum Innocentium strages*, fieri nequit, sine gravi injuria cultus Sanctorum, *de quo quidquam decedere* S. D. N. Pius Papa X, non intendit.

Sed dato quod huiusmodi strages festorum fieret, aliud non minus grave incommudum inde exurgeret, nempe quod hodie imminutus et, ut diximus, magis in aliis Clerus ministeriis occupatus, graviore onere vexaretur: scilicet ex recitatione prolixioris Officii in feriis et Dominicis. Quapropter, si Summus Pontifex tria haec desiderat: *a*) ne quicquam de Sanctorum cultu decedat; *b*) ne molestius divini Officii onus clericis, imo temperatius, evadat; *c*) ut integrum Psalterium in hebdomada ab omnibus et semper recitetur, si profecto haec tria sunt obtinenda, nil aliud restat, nisi Psalmos, ita per singulas horas quotidie distribuere, ut ex una parte Officium brevius evadat, ut ex altera totum psalterium pariter in termino unius hebdomadae recitari queat.

Ut ergo officium brevius maneat, et antiquae leges Psalterii Romani, ut in festis observentur, oportet quod habeantur ad Matutinum tantummodo 9 Psalmi, 4 ad Laudes (non computato Cantico), 12 pro quatuor Horis minoribus, 5 ad Vesperas et 3 ad Completorium, nempe Psalmi 33 in quolibet die; scilicet 231 pro tota hebdomada. Cum autem Psalmi sint 150, oportet omnino, ut ita dividantur prolixiores in duas vel plures partes, ut necessarius numerus obtineatnr. In hoc itaque tota sita est ratio huiusce novae Psalterii distributione: neque huiusmodi divisio Psalmorum admirationem ullam parere debet, primo quidem quia jam in ritu Romano habemus Psalmum 118 in undecim partes divisum, et psalmum 30 non integrum ad

Completorium, sicut psalmum *Lavabo* in Missa, qui nil aliud est, nisi pars Psalmi 25; secundo autem, quia in concilio Narbonensi anno 589 coacto, ad rem habetur: (Coll. Conc. IX, col. 1015) " Hoc itaque definitum est, ut in psallendis ordinibus per quemque Psalmum, *Gloria* dicatur Omnipotenti Deo; per majores vero Psalmos, prouti fuerint prolixius (sic), pausationes fiant, et per quamcumque pausationem *Gloria* Trinitatis Domino decantetur „.

S. Benedictus ipse in Regula, (Cap. 18 *Quo ordine Psalmi dicendi sunt)* statuit: " ... Disposito ordine Psalmodiae diurnae, reliqui omnes Psalmi, qui supersunt, aequaliter dividantur in septem noctium vigiliis, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi „. Item in Ambrosiano Breviario, licet totum Psalterium distributum habeatur per duas septimanas, nihilominus multi ex prolixioribus Psalmis in partes sunt divisi.

Neque pariter mirum alicui videri debet, tam gravem immutationem in Psalterio esse inductam, eo quod per tot saecula ita distributum in Breviario Romano permansit; scimus sub Benedicto xiv agitatam fuisse quaestionem, utrum alia distributio Psalmorum, a methodo Pii V diversa, esset inducenda, et Congregatio die 2 martii 1744, ad ipsam quaestionem, longiore discussione habita, respondit: " a recepto Psalmodiae ritu nullatenus esse recedendum „ (Cf. Roskovàny 1. c. 570-687). Scimus quod et ipse b. Thomasius, interrogatus aliquando de hac ipsa re, aperte declaraverit, Psalterium Pii v non esse variandum; attamen non eadem est distributio Psalterii in Ecclesia Dei; nam Ambrosiani et Monachi Benedictini, aliam diversam distributionem sequuntur, ita et Cistercenses ac olim Humiliati adprobante Paulo III, (Cf. Brev. Humil. Mediolani 1751), ut taceamus de Breviariis, quae in Gallia saeculo XVII ab Episcopis noviter confecta fuerant.

Sed et beatissimus Monachorum anctor et Patriarcha Benedictus, cui Ecclesia Occidentalis debet Officii divini ordinationem, in sua Regula (loco cit.) sequitur dicens: " Hoc praecipue commonentes, ut si cui forte haec distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius judica-

verit, dum omnimodis id attendatur, ut omni hebdomada Psalterium ex integro, numero 150 Psalmorum persolvatur.

Itaque, cum ut obtineantur bona a Pontifice desiderata, nempe: quod Officium brevius evadat, et hoc non obstante, totum Psalterium in Hebdomada dicatur, necessario ex sua plenitudine potestatis novam hanc Psalterii distributionem statuit et praecepit. Melius est enim diversimode Psalmos distribuere, ut omnes revera in divino Officio recitentur, quam veterem servare distributionem, et omnes psalmos habere in Breviario editos, qui unquam vel rarissime dicantur.

g) Commissionem a Ss. D. N. deputatam ad Psalterii reformationem et ad novas Rubricas conficiandas hi viri clarissimi componebant: Petrus La Fontaine Episcopus titularis Charystiensis S. R. C. Secretarius, *praeses*; Scipio Tecchi alter ex Commissione Historico-Liturgica; Ioannes Bressan Ss. D. N., secretarius particularis; Aristides Gasparri Studii adiutor penes S. R. C. *secretarius*; P. Paschalis Brugnani O. M. alter ex Commissione Liturgica; P. Leopoldus Fonck S. J., Rector Instituti Biblici Romani; Joseph d'Isengard Lazarista, Academiae Liturgicae Moderator; Franciscus Brehm Director Liturgicus typographiae Pustet Ratisbonae, quibus adscitus quoque fuit huiusce Commentarii auctor. Studium huius Commissionis longo tempore perduravit. et alii quoque liturgistae auditi fuerunt, ita ut paratae propositiones, ex voluntate Summi Pontificis, Patribus Cardinalibus S. R. C. subiectae semel et bis, postea et Distributio Psalmorum, et Regulae novae, seu Rubricae, potuerint approbari. Tunc Commissio editionem typicam tam novi Psalterii quam earumdem Rubricarum diligentissime curavit a Typographia Vaticana nitidissime confectam.

(*h*) Editio ergo novi Psalterii cum suis Rubricis authentica hic declaratur, et a S. R. C. decreto d. d. 15 novembris 1911 uti Typica servanda. Poterunt quidem Typographi eandem noviter imprimere, etiam in quatuor partes distributam, ac quoque per extractum, sed semper Vaticanae editioni in omnibus conformem.

(*i*) Huiusmodi nova dispositio Psalterii, ut hic dicit Summus Pontifex, non est nisi primus gradus ad Breviarii et Missalis emendationem. Nam ut supra innuimus, pluries Antistites et docti viri et praecipue in Vaticano Concilio, supplicarunt Apostolicam Sedem, ut data occasione, Lectiones historicae Sanctorum ab iis expurgarentur, quae cum optimis criticae legibus non conveniunt, ac etiam in ipso delectu Sanctorum, qui ab universa Ecclesia sint honorandi, melius et utilius provideretur.

Quapropter, novae Commissionis erit inter alia: *a*) Criteria determinare, ut sciatur quae sint Festa in universa Ecclesia, et quo ritu, celebranda, ac proinde in Calendario inducenda. *b*) Historicas Lectiones, juxta verae criticae legis emendare. *c*) Sermones et Homilias Ss. Patrum revisioni diligenti submittere, ut quaequae spuria sunt, amoveantur a Breviario. *d*) Rubricas Generales Breviarii noviter, et juxta recentes praescriptiones, reformare. *e*) Commune plurimorum Confessorum ac illud pro pluribus sanctis mulieribus inducere, ut facilius festorum numerus minuatur absque detrimento cultus sanctorum.

Procul dubio opus istud, tam longo tempore desideratum, cum fuerit expletum, meritam gloriam pontificatui Ss. D. N. Pii X praestabit, inter alias praestantissimam.

(*l*) De Lectionibus Scripturae occurrentis quotidie legendis, ac de Responsoriis de Tempore recitandis frequentius quam antea, nec non de Missis in Dominicis minoribus et Feriis, videbimus infra in notis 17 et 37 in Commentario in Rubricas.

(*m*) A die ergo 1 Januarii proximi anni 1913 omnibus, qui ad horas canonicas persolvendas quocumque titulo adstringuntur, psalterium antiquum deserere debent, et novum recitare, nemine excluso, ex iis, qui ritum Romanum sequuntur.

Quod si aliqui erunt, qui vel ob oculorum aciem obtusam, vel ob decrepitam senectutem, novo psalterio uti nequibunt, ad Episcopum recursum faciant, qui, debita facultate obtenta, quid sit faciendum declarabit.

(n) Ex praecepto quilibet novum Psalterium sequi debet initio anni 1913; qui vero eo uti velit etiam anno 1912, bene id poterit, imo et Canonicorum Capitula, et Religiosae Familiae, cauto tamen quod major pars vocalium id exquirat. De hac facultate vide quae melius declarabimus in nota 77.

RUBRICAE

in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis apostolicae "Divino afflatu".

Titulus I.

De ratione Divini Officii, recitandi iuxta novum Psalterii ordinem.

1. In recitatione Divini Officii, iuxta Romanum Ritum (1), Psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas (2), de occurrente hebdomadae die (3), prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito (4); quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit (5).

Commentarium.

(1) *Juxta Romanum Ritum.* Uti clarius dicitur in Bulla, omnes tam de Saeculari, quam de Regulari Clero, qui utuntur Breviario Romano proprie dicto, illo nempe, quod Pius V reformavit, et alii pontifices recognoverunt, tenentur ad usum novi psalterii, relicta omnino psalmorum distributione, quae hucusque in usu fuit. Regulares ergo, licet *speciales* habeant editiones Breviarii, uti sunt Augustiniani, Minores, Servitae et alii, ad usum novi psalterii tenentur; nam illorum Breviarium nil aliud est, nisi ipsum Romanum Pii V cum Kalendario proprio, et cum Proprio Sanctorum,

juxta idem Kalendarium disposito. E contra huic legi non subiacent Carmelitae antiquae observantiae, Dominicani, Carthusiani et Cistercienses Congregationis Gallicae, qui peculiari Breviario utuntur, sicut et Monachi Benedictini, quorum Breviarium particulare reformavit Paulus V. Quod autem attinet ad Benedictinos, qui, excepta distributione psalmorum in divino officio, iisdem utuntur generalibus Rubricis praescriptis in Breviario Romano, paucis exceptis, ipsi bene poterunt has novas Rubricas acceptare. Ratio est, ut nobis videtur, quia, sicut praefati Monachi tenentur observare Rubricas Pii V cum emendationibus, postea inductis a Pontificibus Clemente VIII, Urbano VIII et Leone XIII, ita et novas has Rubricas executioni mandare debent (exceptis iis, quae tangunt numerum psalmorum, eorumque distributionem, in singulis horis canonicis) praesertim illas, quae respiciunt leges occurrentiae et concurrentiae, de quibus suo loco dicemus.

(2) . . . . *Ad singulas horas canonicas.* Sequenda namque erit nova Psalmorum distributio, in omnibus et singulis horis divini officii, eo quod etiam minores horae habent speciales psalmos unaquaque die, ita ut in festis ipsis, exceptis iis quae in sequenti numero indicantur, semper psalmi sumendi sint de die in hebdomada occurrenti, sicuti melius inferius declarabitur.

(3) . . . . *De occurrenti hebdomadae die.* Hic non dicitur *de occurrenti feria*, sed de occurrenti hebdomadae die, ut in locutione comprehendi possit et debeat etiam dies Dominica.

(4) . . . . *Prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito.* . . . Psalterium tam apud Hebraeos, quam apud Christianos, 150 psalmis, licet diversimode divisis, constat : cum vero nonnulli ex ipsis plus aequo prolixi sint, coeptum est, apud antiquos, eos in plures partes scindere, uti videri potest apud monachos S. Benedicti; et revera Amalarius (De officiis div. lib. 4) testatur jam suo tempore longiores psalmos divisos fuisse, quemadmodum dividere solemus

psalmum 118 *Beati immaculati in via*. Confer quae supra diximus in nota *b*).

Itaque, statuto numero psalmorum in quacumque hora, nempe: novem ad Matutinum, quatuor ad Laudes, quibus additur quarto loco canticum, trium pro qualibet hora minori, et quinque ad Vesperas, patet, quod, unaquaque die, occurrunt tres et triginta psalmi. Ideo numero 33 septies ducto, patet quod in ambitu unius hebdomadae dicendi sunt 231 psalmi; ergo, dempto psalmo 94 *Venite exultemus*, qui quotidie adhibetur pro invitatorio, restant 149, ex quibus prolixiores ita dividendi sunt, ut numerum 231 attigent. Quapropter psalmi, qui plus quam 20 versus continent, aliquo tantum excepto, divisi apte fuerunt in duas vel plures partes, indeque ex huiusmodi divisione, clerici psallentes non modo dicent totum psalterium infra hebdomadam, sed absque ullo novo gravamine prolixitatis officii, maiori quoque varietate delectabuntur. Item in hac nova psalmorum divisione, provisum quoque fuit, ut numquam sub una doxologia seu *Gloria Patri*, duo vel plures psalmi dicerentur; non a Laudes non amplius dicitur psalmus 66, simul cum 62, nec psalmi 149 et 150 cum 148.

(5) . . . *In novis Breviarii romani editionibus vulgandum erit* . . . Scilicet, Psalterium hoc, noviter dispositum, in separato fasciculo pro nunc edi oportet, qui, si commode fieri queat, in Breviariis, loco antiqui psalterii, colligari poterit. Quando vero nova aliqua editio Breviarii fiat, novum Psalterium in eis omnino ponendum erit. Poterit aliquis parvam hanc obiectionem proferre: Breviaria, quae nunc existunt, pluries citant psalmos de Psalterio, indicando paginam in qua psalmus citatus invenitur; cum vero diversimode psalmi in novo Psalterio disponantur, difficiliter psalmi inveniri poterunt: attamen huiusmodi difficultas, si bene consideretur, non magni est ponderis. Ratio est, quia, ut plurimum, psalmi deinceps dicendi erunt de die in hebdomada occurrenti, ideoque numquam necessarium erit recurrendi ad alia loca vel Psalterii vel Breviarii. Remanent tantummodo festa solemniora, quae sunt ritus I vel II classis, et alia nonnulla, in quibus

psalmi dicuntur speciales, sed etiam in hisce festivitatibus, sive a Communibus, sive a Proprio sumendi sunt psalmi, qui habentur per extensum; et si aliquando citantur, ut plurimum citantur non in paginis Psalterii, sed ex paginis Communium. Nihilominus, dato quod aliquibus in locis non amplius concordet citatio psalmorum, opportunis modis unusquisque providebit, ex. gr. retinendo antiquum psalterium, usquedum nova editio Breviarii fiat.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integrae Octavae, Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini, Vigiliae Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes (6); nec non omnia Festa Beatae Mariae Virginis, SS. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae Octavae, si de eis fiat Officium (7), quod recitandum erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti (8), hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio (9); ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati (10). Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est « *Ego dixi: In dimidio* ». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio (11).

(6) *Excipiuntur omnia Festa Domini eorumque integrae octavae* . . . Ut supra dictum est, semper sumendi sunt psalmi, uti iacent in occurrenti hebdomadae die; sed quandocunque occurrunt festa Domini, psalmi dicuntur prout indicatur in proprio festivitatis officio; ratio huius rei est, quia, ut optime docet s. Ambrosius (*Enarrat. in Psalm.* Praef. 4, 7, Migne P. L. 14. 922). " In psalmis non solum nascitur Jesus, sed et salutarem illam suscipit corporis passionem, quiescit, resurgit, ascendit in caelum . . . „ scilicet habentur revera psalmi, qui sunt prophetici, ac proinde aptissime variis mysteriis conveniunt, quae celebrantur in Festis Domini; igitur, quia in Breviario psalmi in festivitatibus istis, proprii sunt, variari non debent. Quod hic dicitur de Festis Domini, dicitur etiam de eorum Octavis. Rubrica ista excipit *integras octavas* Domini, nempe, non tantum diem Octavam, sed etiam dies infra ipsam, quandocunque de infra octavam agendum sit officium. Item *excipiuntur Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi*, quia officium harum Dominicarum est de Octava, exceptis lectionibus et nonnullis aliis, quae Dominicis ipsis pertinent. Excipiuntur quoque *Vigilia Epiphaniae*, cuius Officium nil aliud est, nisi officium Dominicae, quae occurrere potest a die 1 usque ad 6 Januarii, ac proinde iisdem legibus regitur ac Dominicae infra octavas privilegiatas; nec non *Feria VI post Octavam Ascensionis*, cuius officium est ad instar diei infra octavam. Adiungitur autem: *quando de eis persolvendum sit officium*, nam, ut per se patet, quando quibusvis diebus hic exceptis, occurrat fieri officium de aliquo Sancto, tunc in eo psalmi sumendi sunt, ut n. 1 dictum est. Tandem iisdem ex rationibus excipiuntur *Vigiliae Nativitatis et Pentecostes*: quod autem attinet ad Vigiliam Nativitatis, opportune hic dicitur, quod psalmi sumendi erunt, prout indicantur in Breviario, tantummodo *ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam*, quia ad Matutinum, iuxta solitum, sumuntur ex occurrenti hebdomadae die.

(7) . . . *Nec non omnia Festa B. Mariae V., Ss. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Ss. Apostolorum et Duplicia I et II classis.* Licet psalmi pro huiusmodi festi non sint ita proprii, sicut illi qui reperiuntur in festis Domini, nihilominus in eis non sunt dicendi psalmi de occurrenti hebdomadae die, ratione solemnitatis non solum, sed etiam quia saepe saepius in Breviario habent officium proprium, quod omnino servari debet; et insuper, quia multoties Antiphonae ex Psalmis sunt exceptae. Dicit autem rubrica: *omnia festa*, ut non excludantur festa illa, quae ritu celebrantur duplicis maiori, ideoque comprehenduntur festa omnia B. Mariae V., etiam illa, quae pro aliquibus locis concessa fuere, festa Apparitionis S. Michaelis Archangeli, Angelorum Custodum, Ss. Gabrielis et Raphaelis, utraque Cathedra et Festum S. Petri ad Vincula, Conversio et Commemoratio S. Pauli, S. Ioannis ante portam latinam, nec non S. Barnabae. Eadem ex ratione si alicubi occurrat aliquod festum secundarium S. Iosephi, pariter sumendi erunt in eo Psalmi de Dominica. Additur, ut supra, *eorumque integrae Octavae, si de eis fiat officium*, quia, si occurrat fieri officium de octava alicuius ex festis hic exceptis, psalmi dicendi erunt, ut in ipso festivitatis die.

(8) . . . *quod recitandum erit, prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti* . . . In hisce scilicet festivitatibus exceptis, officium recitandum erit, uti nunc iacet in Breviario, nulla mutatione facta, aut in Proprio Diocesis, vel Instituti, quo nomine veniunt non tantum Ordines regulares, proprie dicti, sed et aliae familiae Religiosae utriusque soxus, quae ad divinum recitandum Officium tenentur. Ideo psalmi istis in festis exceptis, non sumuntur ex novo Psalterio, de occurrenti hebdomadae die, bene vero dicuntur, uti proprio loco indicatur, sive ex Communi competenti, sive ex Proprio.

(9) . . . *hac lege tamen, ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio.* Usus sumendi psalmos ad Laudes et per Horas minores ex Dominica, in festis, perantiquus est. S. Bene-

dictus (Regul. c. 14) praescribit, ut in festivitatibus Sanctorum, et in omnibus solemnitatibus, recitetur officium sicut die Dominico. Hinc factum est, quod in omnibus Sanctorum festis, etiam ritu semiduplici celebrandis, psalmi ad Laudes, et per Horas minores, semper mutuabantur ex Dominica, quia Dominica erat *Festum* antonomastice dictum, ac proinde cetera festa, non feriales, sed festivos psalmos accipiebant in dictis horis, prout etiam Breviarium S. Pii V edixit. Huiusmodi ergo antiqua regula nunc quoque servata est in novis Rubricis, saltem pro festivitatibus hoc loco exceptis: non vero pro aliis Duplicibus et semiduplicibus festis Sanctorum, in quibus psalmi ad Laudes et per horas semper sumendi sunt ex occurrenti hebdomadae die. Ratio huius est, ut integrum psalterium in hebdomada recitari valeat, quia, si in omnibus festis, etiam inferioris ritus, semper sumendi forent de Dominica, raro dici potuissent psalmi omnes, quod omnino vitandum voluit Summus Pontifex, ut patet ex methodo totius novae Psalterii dispositionis.

(10) ... *ad Matutinum vero, et ad Vesperas dicantur, ut in respectivo Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati.* Quod antea dictum est de psalmis in Laudibus et Horis minoribus, non valet pro psalmis in Matutino et in Vesperis, quia, ut omnes norunt, ad Laudes et per horas in festis semper revera dicebantur psalmi de Dominica, ad Matutinum vero, et ad Vesperas, multis in festis, speciales psalmi pro qualitate festi erant assignati proprii, vel de Communi. Hi ergo etiam hodie retinendi erunt, prout indicatur in Proprio Sanctorum, in festis omnibus in hac Rubrica exceptis.

(11) *Tribus autem ultimis diebus majoris hebdomadae, nil erit innovandum* ..... Scilicet in venerando Triduo mortis Domini, Officium persolvendum erit, prout nunc jacet in Breviario, quia, si ceteris per annum diebus solemnioribus nihil immutatur, et officium recitatur juxta solitum, eo magis id fieri oportet in hoc Triduo, quod alioquin jam inter excepta enumeratur sub locutione:

excipiuntur Duplicia I classis. Additur autem: *sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio.* Prima fronte aliquibus videbitur, quod aliqua mutatio gravis inducta sit in officio huius Tridui sacratissimi, sed psalmi qui nunc habentur ad Laudes in Feriae V et VI atque in Sabbato Sancto, sumpti sunt ex psalterio Breviarii: cum autem in novo Psalterio necessario mutati fuerint psalmi de Laudibus in Feriis omnibus, et cum in ultimo Triduo mortis Domini Psalmi ad Laudes de Dominica esse nequeant, Rubricae noviter hic propositae disponunt, quod psalmi in eodem Triduo, pro Laudibus item sumantur de respectiva feria occurrenti, cum antiqua exceptione quoad Canticum Ezechiae; hoc enim sicut antea, ita et in posterum, dicendum erit in Sabbato Sancto, loco cantici Moysis.

Item additur: *ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, ut in novo Psalterio,* quia in novo Psalterio suppressus est psalmus 30, *In te Domine speravi.* et relicti tantummodo alii tres, nempe 4, 90 et 133. Ergo deinceps etiam in hoc Triduo, Psalmi ad Completorium recitandi erunt, prout ponuntur in Psalterio, die Dominica, scilicet absque psalmo 30.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simplici, et in Feriis Tempore Paschali (12) semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die (13) reliqua omnia, et Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus,* ut in Proprio aut Communi (14). Quod si aliquod ex Festis huiusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicantur de Feria occurrente (15).

(12) *In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel semiduplici vel simplici,* ..... Scilicet in omnibus Festis

in praecedenti numero non exceptis; .... *et in Feriis Tempore Paschali*, in quibus antea ad Laudes et Horas minores, psalmi sumebantur ex Dominica (eo quod feriae Paschalis Temporis aliquid de festorum laetitia habebant), nunc vero, cum et in festis duplicibus maioribus psalmi sumantur de feria currenti, hoc idem statutum fuit pro feriis paschalibus.

(13) ... *semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die.* In omnibus ergo festis Sanctorum (non vero Angelorum, S. Joannis Baptistae et Apostolorum), quae non celebrantur sub ritu duplici I vel II classis, in posterum non erit amplius pro psalmis recurrendum, sed Matutinum sumendi erunt Psalmi, Antiphonae et Versus ex Psalterio de currente hebdomadae die, ad matutinum et pro reliquis horis.

(14) *Reliqua omnia, et Antiphonae ad* Magnificat, *et* Benedictus, *ut in Proprio aut Communi.* Reliqua omnia, nempe, Capitula, Hymni, Versus (extra Matutinum), Invitatorium, Responsoria prolixa et brevia, Oratio, ac etiam Antiphonae ad *Magnificat* et ad *Benedictus*, in omnibus festis, quae non sint I vel II classis, aut ex illis numero praecedenti exceptis, dicenda erunt, vel ut in Proprio, vel de Communi, prout enucleatius declaratur in sequenti n. 5.

Nonnulli maluissent quod, saltem in festis simplicibus, Hymni de feria dicerentur ad Vesperas, Matutinum et Laudes, ex eo maxime permoti, quod ad rem scripsit Bernardus Cluniacensis (apud Hergot Vetus Disciplina Monastica pag. 378), scilicet: " Propter festivitatem trium lectionum, nec Antiphonae, nec psalmi feriales mutantur „. Attamen id visum fuit inopportunum, eo quod, sublatis translationibus accidentalibus festorum etiam duplicium maiorum, et suppressis Officiis votivis, locus nunc superest pro recitandis persaepe officium feriale, ideoque Hymni quoque pulcherrimi de psalterio, frequentius quam antea dici bene poterunt.

(15) *Quod si aliquod ex festis huiusmodi proprias vel peculiares assignatas habeat Antiphonas in aliqua hora majori, eas in eadem ipsa retineat cum suis psalmis, prout habetur in Breviario.* Sunt festa nonnulla Sanctorum, uti ex. gr. Joannis et Pauli, Clementis I, Papae, Caeciliae, Luciae, Agnetis, Agathae, Martinae et Elisabeth reginae Portugal, in quibus habentur Antiphonae propriae ad Laudes et Vesperas, et aliquando etiam ad Matutinum: igitur, ne officia ista antiqua pereant omnino, statutum est, ut in iisdem festis retineantur psalmi cum suis antiphonis propriis, in ipsis Horis maioribus, nempe ad Matutinum, si adsunt, ad Laudes et ad Vesperas: *in ceteris* autem *Horis*, prosequitur Rubrica ista, *Psalmi et Antiphonae dicantur de feria occurrente.* In Horis enim minoribus, cum non urgeat ratio venerationis antiqui officii proprii, sumendi erunt, prout in aliis minoribus festis, psalmi et antiphonae de occurrenti hebdomadae die.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur (16), nisi sit Festum Domini aut Festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginis, vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistae, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis (17), aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat (18). In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eaedem Lectiones cum propriis Responsoriis (19).

(16) *Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente* etc. .... Juxta Rubricas S. Pii V quotidie legi deberent lectiones de Scri-

ptura occurrenti in die, nisi officium diei sit ex solemnibus. Cum vero antiquitus pauca essent festa Sanctorum ritu solemni celebrata, raro descrendae erant lectiones Scripturae occurrentis, et sic revera lex Rubricae servabatur.

Progressu vero temporis, prout supra dictum est (nota *c*) maxime in multis particularibus calendariis, Duplicia maiora plus aequo excreverunt, et etiam festa Doctorum, in quibus lectiones I Nocturni propriae vel de Communi dicendae erant; ideoque, omnibus apparet quam grave damnum lectioni Scripturae in divino Officio obveniret; centies milliesque repetitae erant nonnullae lectiones de communibus, ac prope oblitae manebant lectiones in feriis per annum distributae.

Ut tantum damnum in posterum evitaretur, Summus Pontifex sapientissime per huius Rubricae dispositionem statuit, ut semper in I Nocturno dicantur lectiones de Scriptura occurrenti in quibuslibet Festis Sanctorum, etiam ritus duplices maioris, et excepta tantum voluit Festa Domini, et alia nonnulla, ut infra dicetur.

Proposuerant aliqui, ut restituto usu quotidie recitandi Lectiones de Scriptura occurrente, denuo etiam in pristino et antiquo honore restituerentur Responsoria de Tempore, quae ab omnibus Liturgistis, tamquam elegantior pars totius divini officii, existimantur. Et sane, ut de aliis taceamus, en quae scribit Grancolas (Comment. histor. in Rom. Brev. lib. I. c. 30): " Responsoria vero optandum esset, ut cum Lectionibus affinitatem haberent, qualia sunt Responsoria Dominicae et Feriarum, quae petita sunt ex Libris paulo ante perlectis; Lectionum enim Responsoria instituta sunt, ut quiescendi spatium legenti concedatur, et ei, qui lecturus est, se parandi, atque ad auditorum attentionem conciliandam, spatiumque iis concedendum, quae lecta sunt, considerandi atque meditandi „.

" Saepe autem fit, ut quotidianae e Scriptura Lectiones nullam affinitatem habeant, cum Responsoriis de Communi Sanctorum; imo sunt quaedam, quae ex adverso appositas significationes habent, velut cum legitur historia Absalonis

vel Achabi, aut cuiusvis mali principis, dicitur: " *Ecce Sacerdos magnus* „ vel " *Sponsabo te mihi* „. Quaelibet ergo Lectio proprium Responsorium habere deberet, quod animo altius imprimeret ea, quae Lectio mentem edocuit..... Possunt praeterea festis diebus, cum de Feria lectum est, (intellige cum lectae sint Lectiones de occurrenti Scriptura), de Feria quoque Responsoria adiici „.

Nihilominus aliud ex necessitate statutum est in novis Rubricis; nam in usu practico Breviarii, usquedum non reformetur hac quoque in re, nonnulla incommoda obvenirent, hisce ex rationibus:

1° Quia Responsoria de Tempore rarissime inscribuntur per extensum post Lectiones de Scriptura in Feriis, sed citantur tantummodo ex alio loco.

2° Quia in hebdomada prima post Octavam Epiphaniae, atque in omnibus Sabbatis Tempore Paschali, desunt omnino Responsoria, sicut eodem Tempore in ceteris Feriis duo tantummodo adnotantur Responsoria, omisso tertio cuius loco eo Tempore dicitur *Te Deum*.

3° Quia saepe saepius Responsoria quibusdam in Feriis indicata, post Lectiones feriales, omitti debent, ut resumantur Responsoria omissa in praecedenti Dominica.

4° Quia in Festis trium Lectionum, cum post tertiam Lectionem dici debeat *Te Deum*, necessario in fine secundi Responsorii addi deberet *Gloria Patri*. Nemo est ergo qui non videat huiusmodi incommoda nec pauca, nec parva, quae haberentur, tum a recitantibus Officium, in inveniendis Responsoriis, tum a redactoribus Calendariorum in eis designandis; nam cuique notum est, quam difficilis intellectu sit Rubrica de Responsoriis de Tempore in Rubricis.

Ceterum, si consideremus, quod abrogata prorsus translatione Duplicium etiam maiorum, et suppressis omnino officiis votivis, frequentius recitabitur Officium Feriale; imo cum in ipsis Dominicis minoribus nunc celebrari nequeant nisi Duplicia I et II classis et Festa Domini, ideoque saepius Officia Dominicalia sint recitanda, ipsa Responsoria de Tempore procul dubio frequentius dici po-

terunt, prout innuit Summus Pontifex in bulla *Divino afflatu*; vide notam *m*.

(17) ... *nisi sit Festum Domini aut festum cuiusvis ritus B. Mariae V.; vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistae, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis.* In Festis Domini leguntur speciales Lectiones scripturales, eo quod de mysteriis vitae et passionis Domini, ac de eius doctrina, aperte loquuntur Scripturae, tam veteris, quam novi Testamenti, ideoque apte pro qualibet festivitate inveniri possunt lectiones, quae revera sunt propriae.

Item excepta fuerunt festa B. Mariae V., Angelorum, S. Ioannis Baptistae S. Joseph et Apostolorum, eadem fere de causa; quia, licet de B. Maria non multa legantur in Scriptura, nihilominus ei applicatae fuerunt aliquot prophetiae et libri sapientiales; de Angelis vero, de Baptista, ac de Apostolis, habentur revera narrationes, quae opportune legi possunt in eorum festis. Excipiuntur pariter Duplicia I et II classis, ratione solemnitatis, et quamquam de eis nihil explicite habeatur in sacra Scriptura, attamen nonnulla in ea leguntur in laudem Sanctorum antiqui Testamenti, quae apprime aptantur, et ideo bene possunt legi in festis solemnioribus.

(18) ... *aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque lectiones de Communi necessario recipiat.* His verbis excipiuntur quoque festa illa, quae in Breviario habent lectiones *proprias*, non vero de Communi, uti sunt ex gr. Inventio S. Stephani, in qua habentur lectiones vere propriae, nempe de Actibus Apostolorum, in quibus agitur explicite de eo; item festum S. Leonis I papae, S. Mariae Magdalenae, Impressionis stigmatum S. Francisci, et festum S. Ioseph a Cupertino, pro quibus Breviarium proponit lectiones, quae licet *propriae* non sint, illis tamen ab Ecclesia appropriatae fuerunt, et non sunt a respectivo Communi excerptae.

Sunt et alia festa, quae in Breviario quodammodo dicuntur habere lectiones *proprias*, uti S. Benedictus, sancti Doctores et alii; nihilominus, illae non sunt nisi de Communi. Hoc in casu, cum revera non sint *propriae*, omitti debent, etiamsi in Breviario notentur, et earum loco dicendae erunt lectiones de occurrenti Scriptura.

Aliter e contra dicendum est, quandocunque aliquod festum occurrat in feriis, quae habent lectiones de Homilia in Evangelio, ac proinde careant lectiones de Scriptura pro I Nocturno, tunc enim, uti notatur in Breviario, necessario dicendae erunt lectiones de Communi.

Nihilominus etiam in huiusmodi feriis sumendae erunt lectiones de Scriptura occurrenti, quandocunque omissae fuerint aliquae ex praecedentibus, vel impediantur lectiones sequentis diei. Rem explicabit exemplum. Quando Feria II Rogationum in die 7 Maii occurrit, tunc agitur festum S. Stanislai Ep. Mart. cum commemoratione feriae, ideoque in I Nocturno dici deberent lectiones de communi, eo quod feria praedicta habet lectiones de homilia super Evangelium, non vero de Scriptura. Quia vero die sequenti fieri debeat festum S. Michaelis Archangeli, in quo habentur lectiones propriae in I Nocturno, ac proinde legi nequeant lectiones de Scriptura, nempe de Epistola I b. Petri, iuxta nostram sententiam, quae summopere sensui Ecclesiae respondet, hoc in casu, huiusmodi lectiones anticipandae erunt in praecedenti die, scilicet in officio s. Stanislai, omissis lectionibus de Communi.

Neque aliquis dicat, in casu non agi de initio cuiusdam Libri, vel Epistolae, ideoque, nulla lege sustineri istiusmodi nostram opinionem, quia etiam in Dominicis II, III et IV Quadragesimae non habentur initia, et tamen si aliquando in dictis Dominicis occurrit Duplex I classis, lectiones I Nocturni Dominicae omissae, dicendae sunt in officio sequentis diei, uti praescripsit S. R. C. suo decreto 9 Iunii 1899 N. 4028... Voluntas est enim Ecclesiae, ut quoad fieri possit, de Scriptura semper legatur, et nonnisi quando impossibile sit ad Commune recurrendum.

(19) *In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eaedem Lectiones, cum propriis Responsoriis.* Hoc valet pro festis S. Luciae, S. Agnetis. S. Agathae, S. Elisabeth Portugal, S. Martini Ep. Conf., S. Caeciliae et S. Clementis I Pap. In his porro festis, retinendae erunt lectiones de Communi, prout assignantur proprio loco in Breviario. *Et vicissim dicantur Responsoria de Communi, quando habentur Lectiones propriae*, quod valet ex gr. pro festis S. Leonis I papae, Impressionis Stigmatum S. Francisci et S. Iosephi a Cupertino, in quibus assignantur speciales lectiones I Nocturni, quae de Communi non sunt, et Responsoria propria non habent.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis:

Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi: Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae ex Proprio, vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio vel de Communi (20).

(20) *Porro sic erit persolvendum officium in Festis duplicibus et semiduplicibus superius non exceptis.* Scilicet in omnibus Officiis, quae non sint festorum Domini, bea-

tae Mariae Virginis, Ss. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, Apostolorum, cuiuscumque ritus: aut festorum sub ritu duplici I vel II classis, aut illorum festorum, in nota 16 praecedenti enumeratorum, Officium hoc modo recitatur:

Ad Matutinum: Invitatorium et hymnus proprius vel de Communi; postea:

In I Nocturno: Antiphonae et Psalmi ac Versus ut in Psalterio de occurrenti Hebdomadae die; Absolutio et Benedictiones ut in Ordinario, Lectiones de Scriptura occurrenti, in Proprio de Tempore, cum Responsoriis de festo, vel propriis vel de Communi.

In II Nocturno: Antiphonae, Psalmi et Versus ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; Absolutio et Benedictiones ut in Ordinario, Lectiones vel historicae propriae, vel de Communi cum Responsoriis pariter propriis vel de respectivo Communi.

In III Nocturno: Antiphonae, Psalmi ac Versus ut in Psalterio de occurrenti hebdomade die: Absolutio et Benedictiones ut in Ordinario, Lectiones et Responsoria vel propriae vel de Communi.

Ad Laudes: Antiphonae et Psalmi ut in Psalterio in primo schemate, de occurrenti hebdomadae die; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphonae ad *Benedictus*, aliquando propria vel de Communi cum Oratione assignata.

Ad Primam: Omnia ut in Ordinario et in Psalterio de occurrenti hebdomade die, sumpto pro Lectione brevi Capitulo ad Nonam.

Ad Tertiam, Sextam, et Nonam: Similiter Hymnus ut in Ordinario, Antiphona et Psalmi ut in Psalterio de occurrenti hebdomadade die; Capitulum, Responsorium breve in Proprio vel de Communi cum oratione assignata.

Ad Vesperas: Antiphonae et Psalmi de occurrenti hebdomadae die, Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphona ad *Magnificat*, aliquando propria, vel de Communi cum oratione assignata.

Ad Completorium: Omnia dicuntur ut in Ordinario et in Psalterio de occurrenti hebdomadae die.

6, In Officio S. Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum: Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis vel de Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo, duabus Lectionibus in unam invectis, si quando duae de Festo habeantur: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est (21).

(21) In Officio S. Mariae in Sabato, et in Festis Simplicibus, sic Officium persolvendum erit.

Ad Matutinum: Invitatorium et Hymnus de B. Maria, vel de Communi respectivo. si agatur officium de Sancto simplici.

Ad Nocturnum unicum: Novem Antiphonae et Psalmi ut in Psalterio sine interruptione, ut in nota sequenti dicitur; primae duae Lectiones (aliquando prima tantummodo) de Scriptura occurrenti, ut in Proprio de Tempore, cum Responsoriis vel de Beata, vel de Sancto in respectivo Communi; tertia Lectio item de Beata, ut in ejus Officio in fine Breviarii, vel de Sancto, si propria habeatur in Proprio Sanctorum, et in fine Hymnus *Te Deum.*

Ad Laudes et Horas minores, ut supra in Officio Duplici.

7. In Feriis et in Festis Simplicibus Psalmi: ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo (22).

(22) Scilicet, in omnibus officiis ferialibus, et in Festis trium lectionum, psalmi dicuntur, prout adsunt in psalterio, nempe novem, qui in occurrenti hebdomadae die

habentur; qui licet ibi sint per tres Nocturnos distributi, dicantur omnes sine ulla interruptione, cum suis Antiphonis, et cum Versu III Nocturni. Hinc ut patet, Matutinum feriale et in festis Simplicibus, brevius est quam Matutinum in Duplicibus, et Semiduplicibus.

Titulus II.

De Festorum praestantia.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt: (23)

a) *Ritus altior,* nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas (24).

b) *Ratio Primarii* aut *Secundarii* (25).

c) *Dignitas Personalis,* hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum (26).

d) *Solemnitas externa,* scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava (27).

(23) *Ut recte dignoscatur, quale ex pluribus Officiis sit praestantius...* Licet in Rubricis Breviarii Romani (Tit. X, n. 6; et XI, n. 2) habeantur notae ad commensurandam nobilitatem festorum, quando simul occurrunt, vel concurrunt, nihilominus non semper aliquibus clarae apparuerunt.

Qui legit Rubricas ante ultimam emendationem anno 1897 peractam, inter notas praelationis festorum non aliud legit nisi: *a*) Ritus altior, *b*) dignitas, et *c*) solemnitas. In dicta vero emendatione, a S. R. C. decreto 11 Decem-

bris 1897 praescripta, aliae notae inductae fuerunt, nempe: *a*) ritus, *b*) qualitas primarii, *c*) dignitas, *d*) qualitas *fixi* prae *mobili*, *e*) proprietas.

Huiusmodi notae praeferentiae in hisce novis regulis aliquantisper immutatae sunt; imo qualitas *fixi* prae *mobili*, suppressa omnino fuit. Cum enim nonnulli rerum liturgicarum scriptores, hanc qualitatem in omnibus cohaerentem cum aliis Rubricis Breviarii non recognovissent, Commissio Liturgica votum suum dederat S. R. C. ut, data occasione, praedicta qualitas ex Rubricis expungeretur; quod opportunissime in his Rubricis factum est. Videsis, quae ad rem nos ipsi scripsimus in libro cui titulus: *Expositio Rubric. Brev.* (vol. 2, p. 91–97). Ratio est, quia dies *propria* reputatur a Rubricis, iam dies *mobilis*, ex. gr. Dominica, quam dies *fixa* in mense. Scilicet, sicut est dies propria pro S. Bernardo Ab. dies 20 Augusti, ita est dies propria pro S. Joachim Dominica infra octavam Assumptionis. Imo, si aliqua differentia existit, haec prodesse deberet festo mobili, non fixo, eo quod in casu festum S. Joachim praecise translatum fuit a sua die 20 Martii, et affixum Dominicae praedictae, ut feriatio, diei Dominicae propria, in honorem quoque cederet huic sancto Patriarchae, pro quo, Imperatore petente ut festum eius cum feriatione, sicut festum S. Annae, celebraretur, Clemens XII, ne festa de praecepto nimis succrescerent, concessit, ut dicta Dominica sedes eius festi evaderet. Patet ergo quod, festum mobile in casu, nobilius est quam fixum.

In posterum ergo non amplius attendenda est qualitas festi *fixi*, ut praeferri possit festo *mobili*.

(24) *Ritus altior*. Etiam in antiquis Rubricis Breviarii, prima nota nobilitatis festorum, quando inter se sunt comparata, est *Ritus*. Sed non tantum considerandi sunt diversi Rituum ordines, nempe Duplex, Semiduplex, et Simplex, sed, ut omnibus notum est, etiam diversae classes eiusdem ritus sunt attendendae, ita ut Duplex I classis praevaleat Duplici II classis, et sic dicatur de Duplici minore. Ritus altior ergo, indicat etiam huiusmodi diversitatem inter festa eiusdem ritus.

Additur tamen: *nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava Privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas;* quia licet Dominicae, Feriae et Octavae huiusmodi, ritu gaudeant semiduplici, vel simplici, nihilominus in occurrentia praevalent festis duplicibus, uti notum est. Item dies Octava cuiuslibet festi, etiam secundarii, licet colatur ritu duplici minore, attamen ex Rubricis, praefertur festo Duplici majori.

(25) *Ratio Primarii et Secundarii.* Nota huiusmodi invecta est in Rubricis in praedicta ultima emendatione, et adhuc attendenda est. Cum de qualitate primarii et secundarii satis superque disputatum sit, et cum in Breviario, ante Tabellas Occurrentiae et Concurrentiae distincte recenseantur, supervacaneum putamus in eis immorari.

(26) *Dignitas personalis.* Haec etiam nota praeferentiae addita fuit in emendatione Rubricarum anni 1897, et nil aliud est, nisi ordo dignitatis festorum, qui legitur loco Rubricarum citato (Tit. XI, n. 2). Hinc ratione dignitatis Personae, quae obiectum speciale est Officii recitandi. Festa Domini, ceteris paribus, praeferuntur Festis B. Mariae V. et sic per ordinem Festa eiusdem Deiparae praeferuntur Festis Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Joseph B. Mariae sponsi, et Apostolorum ac Evangelistarum. Ceteri autem Sancti, Martyres, Confessores, Virgines et non Virgines nulla diversitate, quoad dignitatem personalem, gaudent.

Nihilominus, uti tradunt nonnulli scriptores cum P. Aloisio a Carpo (Bibliot. p. 2, c. 10, n. 148 vij) quando plures Sancti eadem die occurrunt, et eorum festa inscribenda sunt in Kalendario perpetuo, tunc alia dignitas, ut vocant, *exigua*, prae oculis haberi fas est; tunc enim, ordo quo Sancti inscribuntur in Litaniis, sequi potest, nempe Martyr prae Confessore, Confessor Pontifex, prae non Pontifice; Virgo martyr, prae non martyre.

(27) *Solemnitas externa.* Scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum octava. Apud antiquos feriatio

non semper habebatur tamquam nota praeferentiae; imo non unum extat S. R. C. decretum, quo aperte declaratur feriationem nullam maiorem qualitatem adiungere festivitati. Attamen hodie res aliter se habet, nam eadem S. R. C. in decreto generali (4 Februarii 1896. N. 3881) quo declaravit Dedicationem Ecclesiae esse Festum Domini, statuit etiam, quod hoc non obstante, cedere debeat festo Patroni, cum feriatione celebrato. Et bene: feriatio enim vocat populum ad Ecclesiam, ad quam pergit ut Patronum suum colat et veneretur: inconveniens ergo esset quod populus ad Ecclesiam accederet, ad Patronum suum colendum, et in ea aliud festum celebraretur. Nunc vero, ceteris paribus, festum cum feriatione, praefertur festo non feriato. Congruunt Rubricae generals (Tit XI, n. 2) praeferentiam, ceteris paribus, concedentes ad Vesperas, Festis illis, quae cum solemnitate celebrantur.

Item antiquitus Festum, gaudens octava, nullo privilegio praeferentiae fruebatur, super festum absque octava; nunc vero huiusmodi ius praeferentiae datum illi fuit. Ratio est, quia Octava addit solemnitatem Festo, et tantummodo festa nobiliora gaudent Octava, ideo ceteris paribus, festum habens Octavam, nobilius esse videtur. Sed alia ratione praelatio datur per hanc Rubricam, festo cum Octava, quia hoc modo Octava ipsa suis diebus non perturbatur.

Huiusmodi quatuor characteres pro commensuranda nobilitate Festorum, nempe: *Ritus*, *Qualitas Primarii*, *Dignitas personalis* et *Solemnitas*, attendendi sunt, tam in occurrentia et in ordine translationis perpetuae et accidentalis, quam in concurrentia, uti disposuit S. R. C. suo decreto generali, 2 Julii 1893, N. 3808.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum* (28). Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de

loci Patrono etiam secundario (29), de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia (30), vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem (31). Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae (32). Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt (33). Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt (34).

(28) *In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis alius quoque character considerandus est, nempe: Proprietas Festorum.* Sed datur et quintus character praelationis, nempe *Proprietas festi*, qui tamen locum habet solummodo in ordine Occurrentiae et repositionis seu translationis, non vero in Concurrentia. Erant nonnulli, qui instabant, ut festum *proprium* etiam in concurrentia, praeferri deberet festo non proprio, quod fieri affirmabant, ob simplicitatem regularum.

Si enim, ipsi aiebant, festum aliquod ius habet ut praeferatur in occurrentia, eodem iure potiri deberet in concurrentia. Attamen notandum est, quod in occurrentia, de duobus Officiis, unum tantum celebrari potest, ac proinde illud celebrandum est, quod nobilius sit; in concurrentia vero, de duobus officiis, optime inter ea Vesperae dividi possunt, et ideo, cum Proprietas sit ultima ac minima nota praelationis, tanta vi ipsa potiri non videtur, ut integras Vesperas sibi vindicet, alteri relinquendo commemorationem tantum. Et sane, mea in Ecclesia die 13 Martii agitur festum Beati Jordani (*festum proprium*) duplex; in crastino agitur vero festum S. Gregorii magni, hoc in casu

non videtur congruum et opportunum huic Pontifici, tam in Ecclesia insigni, negari Vesperae a capitulo, hac sola ratione, quod festum B. Jordani, eiusdem ritus, sit festum *proprium*. Igitur in Concurrentia, ceteris paribus, festum proprium et universalis Ecclesiae, iisdem gaudent iuribus.

(29). *Dicitur Festum alicuius loci Proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de loci Patrono etiam secundario.* De Titulo propriae Ecclesiae, ac de Patrono loci, etiam secundario, evidentissime patet, quod revera sunt festa *Propria*. Nam, ut bene notat cl. Guyetus (Heortol. I, 1, q. 3) " ... si tu communia festa dixeris quaecunque in Calendario Romano, seu in universa Ecclesia recepta sunt, propria statim appellabis, quae in particularibus Ecclesiis vel locis celebrantur. Neque id ego abnuam, modo *proprium* non sic restringas, quasi ejusmodi festa in iis dumtaxat Ecclesiis seu locis, quorum propria sunt, ac nusquam alibi fiant; latius siquidem vocem hanc usurpamus pro quocumque festo, quod ad Ecclesiam, seu locum aliquem, vel ad Religionem, aut Congregationem peculiari aliqua ratione spectat, quantunvis illud contingat in aliis quoque ecclesiis, seu locis, vel in aliis Religionibus et Congregationibus, imo et in universa Ecclesia generatim celebrari; multis siquidem Sanctis quadrare potest, quod de uno pronunciavit S. Ambrosius (homil. Ss. Nazarii et Celsi): Licet hic Mediolanensium peculiaris putetur privilegio sepulcri, sed omnium est communione suffragii „. Igitur, si ecclesia mea dicata est S. Hieronymo Doct. et meae civitatis Patronus est S. Martinus Episcopus, festa eorum sunt Propria pro mea Ecclesia et civitate, licet sint etiam festa universalis Ecclesiae.

(30). *De Sancto (in Martyrologio vel eius appendice approbata descripto) cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica Reliquia.* Ut optime Gyetus scribit (ibid. I, 9). " Patronis et Ecclesiarum Titularibus proximi sunt ii, quorum pignora seu Reliquiae in singulis ecclesiis asservantur „. Nam teste eodem S. Ambrosio (De viduis IX, 55, edit. mediolan. 1879, p. 258) Martyres obsecrandi sunt,

quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vendicare „. Et concilium Turonense VII. anno 858 coactum (Mansi Supl., I, col. 341) ad rem statuit: " Sanctorum, quorum corpora in Ecclesiis possidentur, festivitates agendas esse „. Ut autem ratione corporis aut Reliquiae, celebrari possit festum, nonnullae conditiones requiruntur, ita tamen, ut, etiamsi una tantum desit, festum ipsum institui nequeat.

Conditiones istae sunt quatuor. 1. Ut Reliquia sit ex corpore Sancti, non vero de rebus quibus ipse usus est in vita uti vestes etc. 2. Ut sit *insignis*; Insignas autem Reliquiae. ut declaravit S. R. C. (13 Jan. 1631, n. 555), sunt: Caput. brachium, crus, aut magna pars corporis; et juxta Benedictum XIV (De Canoniz. IV, p. 2, C. 6, n. 3) etiamsi in pulverem redacta, faciat quasi acervum. Item ex novo S. R. C. decreto (27 Jun. 1899, n. 4041) pars anterior brachii, sive ulna cum fibula, humerus, ac proinde tibia et femur; atque etiam cor, lingua, manus (si miraculose intacta sint).

2. Ut sit ab Ordinario adprobata, iuxta praeceptum Tridentinum (Ses. 25 de invoc. Ss.), scilicet quod constet de authenticitate Reliquiae, ac de ejus identitate; nempe quod revera sit reliquia ex corpore talis Sancti specifice, et non alterius ejusdem nominis, sicuti declaravit eadem S. R. C. (19 Oct. 1691, n. 1853).

3. Ut revere servetur in ecclesia loci, in quo instituendum sit festum. (S. R. C. 8 April. 1628, n. 460).

4. Ut Sanctus, cuius habetur Reliquia vel corpus, inscriptus sit in Martyrologio Romano (S. R. C. 3 Jun. 1662). Haec tamen conditio, ita est intelligenda, ut dummodo nomen Sancti sit inscriptum in Appendice dioecesana Martyrologii, sufficiat; quia, si ut declaravit S. R. C. (13 Dec. 1895 ad 5, n. 3876) potest Episcopus dedicare Ecclesiam Sancto, in Martyrologio non inscripto, in supplemento tamen pro eius dioecesi inserto, multo magis id valet pro instituendo festo ratione reliquiae; et ita in hac Rubrica definitum est, per verba, *in Martyrologio vel ejus appendice approbata descripto.*

Ratio huius patet, quia, si in Supplemento dioecesano ad Martyrologium, sive in ejus approbata appendice invenitur Sanctus, cuius habetur Reliquia, jam de eo agitur officium, vel saltem commemoratio; ergo in casu, in Ecclesia, ubi habetur eius Reliquia, nil aliud faciendum est, nisi ritu duplici cum *Credo* officium ejus celebrare.

Quid autem, si Reliquia insignis sit de aliquo Beato? Distinguendum est: vel de eo agitur officium in loco, vel non. Si primum, tunc nulla quaestio manet, atque non aliud est agendum, nisi addere *Credo* in Ecclesia, ubi colitur insignis Reliquia. Si secundum, tunc, cum ex decreto Alexandri vij (27 Sept. 1659, n. 1100) super cultu Beatorum, officium recitari nequit de iis, nisi Sedes apostolica indulserit, rector Ecclesiae, in qua habetur reliquia insignis alicuius Beati, id exponat S. Sedi, ut officium recitari concedat.

(31). *Vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel Personarum coetu specialem habeat rationem.* De huiusmodi Sanctis propriis iam citatus Gyetus, opus suum liturgicum (Heortologia sive de festis Propriis) specialiter conscripsit: Cavalerius autem breviter perstringens notas, quibus apparet, utrum aliquis Sanctus proprius sit necne alicuius loci, haec loculentissime scribit (Tom. 2, decr. 1, 221, n. 3): " Sancti, qui ut *proprii* ac particulares in dominiis, nationibus, provinciis, dioecesibus, locis vel Religionibus excoluntur, sunt: qui vel ortu, vel occubitu, insigni commoratione, praecipuo aliquo munere (ex. gr. Episcopatus, Sacerdotii vel etiam gubernii civilis etc.) advectione suarum Reliquiarum, invectione fidei, ejusdem promotione et dilatatione, signis, virtutum exemplis, doctrina, miraculis, aut gratia aliqua inibi fuerunt illustres „. Item proprii sunt, iuxta Guyetum (ibid. I, 14, q. 4), multo magis " qui religionem aliquam professi sunt, dum viverent, in ea pie et constanter ad obitum usque perseverantes, sacrum apud posteros cultum publico Ecclesiae judicio meruerunt... vel qui, licet extranei sint, affinitate tamen aliqua, aut alio quovis nexu ad ipsam religionem aut congregationem utcumque pertinere noscuntur „.

Hac ergo de causa ex. gr. Augustiniani celebrant uti proprium, festum s. Monicae matris sancti Fundatoris. Item utpote quodammodo affinis, s. Joannes de Deo celebratur a Ministris infirmorum, propter identitatem finis utriusque congregationis s. Camilli, et ejusdem s. Joannis.

(32). *Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae.* Huiusmodi dispositio cohaeret cum S. R. C. decreto (5 maj 1736. n. 2319) ubi aperte praescribitur, quod ceteris paribus, festum *Proprium* alicuius Ecclesiae, praeferri debeat festo Ordinis, vel Dioecesis; et festa Ordinis ac Dioecesis festo Universalis Ecclesiae. Ratio huius patet, quia quod magis nos attinet, majori devotione colitur, ideoque festa localia, illa scilicet, quae habent majorem relationem ad locum, ad Ecclesiam, ad Congregationem, ad coetum personarum utcumque, celebriora sunt, quam festa generalia.

Quod autem Sancti *naturales*, aut cives speciali et praestantiori honore a coacivibus suis recolantur, non solum ab indole et ingenio humano comprobatur, homines enim intensiori amore suos prosequuntur quam alienos; sed et a ratione theologica.

Divus Thomas (*Suppl. Q. 72 vel 74, art. 1*) docet: *Licet Sancti essentiam Dei non comprehendentes non omnia cognoscant, in Verbo tamen cognoscunt quae ad eos spectant, scilicet vota et devotiones ac orationes hominum, qui ad eorum auxilium confugiunt.* Quapropter si Sancti in coelis eos qui ad eos spectant magis exaudiunt, viatores etiam Sanctos suos concives speciali cultu venerari tenentur,

S. Maximus Taurinensis († 400), homiliam 81, quam habuit in natali Ss. Martyrum Taurinensium Octavii, Adventii et Salutoris, ita aggreditur: *Cum omnium Ss. Martyrum fratres devotissime natalem celebrare debeamus, tum praecipue eorum solemnitas tota nobis veneratione curanda est, qui in nostris domiciliis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet universi Sancti ubique sint, et omnibus prosint, illi tamen pro uobis interveniunt, qui et supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed et civibus; sibi enim patitur ad prae-*

mium, civibus ad exemplum; sibi patitur ad requiem, civibus ad salutem. Et paulo inferius hoc Sanctos vocat familiares: *cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt* (Migne. *P. L.* 57, 954). Nil ergo mirum si huiusmodi Sancti *naturales* seu *familiares* in ecclesiis singularibus speciali cultu honorantur.

Hoc principium implicite invenimus in Rubricis Breviarii, quia in eis *inter festa solemniora*, festa Dedicationis et Titularis Ecclesiae propriae et Patroni loci, sicut ergo huismodi festa, ratione proprietatis, celebrari debent in suis diebus, amotis festis non propriis, licet ejusdem ritus (exceptis iis, de quibus infra), ita et alia festa, quae *propria* sunt, praeferentia gaudere debent super festis universalis Ecclesiae [1].

Attamen, non tantum habentur Sancti *proprii* unius Dioecesis, vel religionis, sed etiam, Sancti *proprii* alicuius, nationis, vel regni. Splendidum argumentum pro istis Sanctis *propriis*, totius regni, nobis exhibet Gregorius xiij in sua Constitutione, d. d. 30 decembris 1523, superius, citata in qua legimus:

" Item volumus, quod festivitates sequentes sint in tota Hispania generales; ita quod omnes ecclesiae et Religiones exsistentes in illa provincia recitent de illis et celebrent propria illorum Officia quae sunt, etc. „.

---

[1] Sunt nonnulli, qui sub pretextu maioris coniunctionis cum Romana Ecclesia, optarent ut in universo orbe christiano quotidie celebraretur idem festum, idemque officium recitaretur, iuxta calendarium cleri Romani, amotis quibuscumque particularibus officiis, de quibus ad summum sola commemoratio permittenda esset. Inter hos novatores, princeps fuit Generalis Ordinis Minimorum P. Raphael Ricca, qui in Concilio Vaticano (*Coll. lac., t. 7, p. 892*) propositionem huiusmodi pandere est ausus. *Zelus est, sed non secundum scientiam*; si enim haec propositio acceptata fuisset, sacra antiquitas magnum detrimentum passa esset, et, ut ait D. Bäumer (*Hist. du Brév.* II. p. 407), activitas ecclesiarum particularium aliquomodo torpore corriperetur; ei vincula multa, omnino relaxata manerent; uno verbo, si Patris Ricca votum infelix a Concilio acceptum fuisset, in sacra Liturgia quaedam mortua ac frigida uniformitas inducta esset, loco huius unitatis in multipticitate, tam naturalis et iugiter a Romana Ecclesia admissae et summopere collaudatae.

Quae ergo festivitates, *propriae* sunt pro universo regno Hispaniae, ita ut, non tantum saecularis clerus sed et regularis ad eas celebrandas teneatur. Porro, sicut habentur Festa universalis Ecclesiae, ita habentur, uti iam diximus, festa alicuius Regni, seu regionis, festa dioecesis, festa Ordinis regularis et festa alicuius loci vel ecclesiae specialis.

Si huiusmodi Gregorii xiij praescriptiones e mente numquam excidissent, non tot et tam facile petitiones ad S. R. C. porrigerentur pro novis officiis obtinendis.

Determinentur opportune criteria, ex quibus nosci queant, qui Sancti ab universa Ecclesia sint excolendi, qui a tota natione, qui a tota dioecesi, qui a toto Ordine regulari, qui tandem in aliquo loco vel ecclesia particulari; tunc, si determinata criteria inveniuntur, pro singulis petitionibus, concedantur, alioquin, minime; nulla enim plerumque suffragatur ratio, nisi voluptas brevioris officii.

(33). *Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae priviligiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt.* Dominicae enim I classis, non cedunt alicui Festo etiam Ecclesiae universalis; item dicatur de Feriis iv Cinerum, ij, iij, et iv majoris hebdomadae, de diebus infra Octavas Paschatis et Pentecostes, de diebus octavis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, in quibus pariter ullum festum etiam I classis celebrari nequit.

Item dicendum de festis primariis I classis, quae in kalendario universali inscripta sunt, nam huiusmodi festa dicuntur I classis et primi ordinis, quae nulli festo particulari cedunt.

Ratio huius est, quia in praedictis Dominicis I classis, et Feriis ac Vigiliis privilegiatis, et in Duplicibus I classis primariis, quae pertinent ad universalem Ecclesiam, mysteria ac memorias concelebrat sancta mater Ecclesia, quae proxime tangunt omnes Christifideles per orbem diffusos, et omnino intendit, quod ubique terrarum, iis diebus sacratissimis ac solemnioribus, una mens sit omnium filiorum

ejus, in concelebratione ejusdem festi, ideoque dedecet alicubi diversum obiectum cultus prae oculis habere.

Celeberrimus est, hac super re, sermo, quem habuit S. Augustinus in festo Ascensionis Domini, anno illo quo, eadem die, Hipponae incidit festum S. Leontii martyris. (Migne P. L. 38, col. 1208) Populum suum enim sic est allocutus: " Hodiernum diem Ascensionis ipsius (Domini) celebramus; occurrit autem huic ecclesiae alia vernacula sollemnitas conditoris ecclesiae huius; sancti Leontii hodie depositio est, sed dignetur obscurari stella a Sole: ergo de Domino potius, quod cooperamus, loquamur, gaudens bonus servus, quando laudatur Dominus „.

Optime igitur, hoc loco novae Rubricae declarant: quod huiusmodi festa solemnissima, et Dominicae ac Feriae privilegiatae, *Propria uniuscuisque loci considerantur et sunt.*

(34). *Festum autem universalis Ecclesiae cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet festis, aliquibus locis ex mero indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo sopra, dici nequeunt.* Opportunissima fuit ac summopere laudanda huiusmodi dispositio, quia, ut supra vidimus, ea tantum sunt festa Propria, quae pertinent Sanctis illis, qui cum loco, vel Ecclesia, vel coetu personarum relationem habent; cum autem quam pluribus dioecesibus et Ordinibus religiosis, maxime seculo XIX, concessa fuerint particularia officia, haec apud aliquos scriptores habita sunt, quasi essent revera *Propria*, ita ut in occurrentia cum festis generalibus universalis Ecclesiae, praecedere deberent.

Isti enim scriptores et rubricistae sic ratiociniabantur: statim ac S. Sedes aliquod officium cuidam loco concedit, eo ipso *Proprium* illius loci evadit; et cum festa particularia, universalibus praeferantur, ideo et huiusmodi festa praeferri debent. Hoc tamen ratiocinium aequivocatione laborat; etenim, licet festa, ex mero indulto concessa, sint *particularia*, non tamen sunt *Propria*. Ad festa *propria* celebranda quodammodo jus inest omnibus, et eorum cele-

bratio radicem habet in Rubricis, ut vidimus: festo autem ex mero *indulto* concessa, non videtur, quomodo possint praevalentiam sibi vindicare super festis de praecepto. Ad rem nobis placet hic referre, quae jam disseruimus in nostra Expositione Rubricarum Breviarii (nota 410, vol. 2, p. 101): " Cum De Herdt (part. 4, n. 268, Reg. 3) observandum est, non omnia festa, quae sunt particularia, dicuntur idcirco propria esse . . .

Iuxta enim Cavalerium illi veri sunt sancti proprii qui vel ortu, vel occubitu etc. (ut supra) . . . particularemque ad respectiva loca quandam habent attinentiam ac cultum. Diversa tamen ratione est quoad officia, quae alicubi ex speciali recitantur indulto, sicut illa quae supra memoravimus, quaequae idcirco aliis officiis eiusdem ritus et dignitatis praeferri nequeunt. Hoc probatur ex S. R. C. decreto d. d. 31 Mart. 1821, et a Pio VII adprobato, die 3 Apr. sub n. 4581 ad 3 antiquae collectionis, quod hic referri debet, quia adhuc illud vim habere credimus, cum nulli novo decreto contradicat. Ad quaesitum enim: " An officia specialiter concessa patribus Congregationis Ss. Redemptoris, consideranda sint tamquam Propria Ordinis, ac propterea in paritate ritus sint praeferenda in occurrentia Sanctis, qui sunt in Kalendario diocesano, juxta quod unaquaequae domus tenetur recitare horas canonicas? „ S. R. C. respondit: Negative.

Et. cl. Gardellini in nota ad hoc decretum haec habet: " Quoniam alumni Congregationis Ss. Redemptoris calendario diocesano uti debent, et officia particulariter ipsis concessa, vere propria Congregationis non sunt, quamvis improprie talia dicantur, quia ab iis tantummodo recitantur et non ab aliis, qui eodem calendario utuntur, ideo ad propositum dubium S. R. C. respondit: Negative. quod idem est ac si dixisset: in occurrentia, ceteris paribus, praeferentiam dandam esse Sanctis, qui in Kalendario dioecesano notantur. Aliud certe fuisset responsum si festa illa, quae in dubio *propria* dicuntur, ad eamdem Congregationem jure quodam pertinuissent, utpote Sanctorum, quos aluit, vel quorum regulam sequendam sumpsit „ .

Jure ergo distinguenda sunt festa *propria* a festis particularibus ..... Hinc prius agenda sunt festa vere *praeceptiva* generalis Ecclesiae, et postea, illa *facultativa*, quae particularia sunt, sed non propria, uti supra explicavimus.

Valde laetamur nobisque gratulamur, eo quod sententia haec nostra, quam cum citatis Gardellinio et De Hertd, jam ab anno 1902, contra plurimos propugnavimus, hodie per hanc novam Rubricam tamquam lex ab omnibus sit servanda.

Fatendum est enim quod ultimis temporibus nostris, in solatium Cleri, frequentioribus occupationibus et maioribus curis detenti, faciliores fuerunt Episcopi in postulandis novis officiis, etiam Dominicis diebus affixis, et in aliquibus dioecesibus plus aequo percrebuerunt, licet cum dioecesi nullam haberent relationem. [1] Quomodo ergo huiusmodi festa, ex mera benignitate S. Sedis concessa, potissimum ob levamen cleri, sicut et officia votiva, praeferri possunt festis praeceptivis? Nonne grave esset inconveniens, si ex. gr. Festum b. Julianae Corneliensis extra belgicam regionem die 5 Aprilis impediret festum prae-

---

[1] Ex gr. pro Diocesi Fidentina, seu Burgi S. Domnini in Aemilia, quae sanctos proprios non habet nisi Domninum, et Gislamerium ratione corporis utriusque, Episcopus medio saeculo xix obtinuit, ut celebrari possent officia Sanctorum et Beatorum Societatis Jesu; et sic minori numero remanerent sedes pro longiore officio feriali. Item anno 1879, clerus Montisregalis in subalpinis, in obsequium sui praeclari Episcopi Placidi Pozzi, qui tunc temporis Synodum coegerat; petiit et obtinuit, ut in calendario illius Diocesis inscriberetur festum duplex Ss. Placidi et Soc. Similiter anno 1904 Episcopus Fesulanus nomine David, petiit et obtinuit ut festum S. Davidis regis et Prophetae in sua dioecesi celebraretur die 29 Decembris.

In calendario Dioecesis Regiensis in Aemilia, Episcopus Vincentius Manicardi, petiit et obtinuit quod incriberetur festum duplex S. Domnini, eo qood antea fidentinam rexerat Ecclesiam. Similiter Ven. Antonius Giannelli Episcopus Bobiensis, qui anno 1840 interfuerat canonizationi S. Alphonsi de Ligorio, et aliorum sanctorum, pro singulis eorum, festum celebrandum in dicta dioecesi obtinuit. Quis autem dicet huiusmodi festa *propria* esse harum Dioeceseon?

ceptivum S. Vincentii Ferrerii eadem die in Breviario inscripti, ex hoc solum quod officium huius beatae Virginus, sit particulare, non vero proprium ?

Titulus III.

De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium: Dominicae vero II classis, cedunt tantummodo Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum (35).

(35) *De Dominicis maioribus I classis,* etc.....
Quod ad Dominicas, tam I, quam II classis attinet, nulla facta est mutatio in antiquis Rubricis, quae igitur, uti jacent in Breviario, observari debent.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavae fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum (36). Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo s. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis; quo in casu die 30 decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo

Nativitatis, cum Responsoriis Dominicae. Quoad Dominicam vero, quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur (37).

(36) *De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini*, etc. Juxta Rubricas s. Pii v Dominicae minores omnibus duplicibus, etiam minoribus, locum cedere debuerant: in eius tamen Breviario solummodo 30 erant duplicia Sanctorum vel B. Mariae, non exclusis eorum diebus octavis, quae praeferri poterant Dominicis minoribus; nunc vero ut vidimus in nota *c* commentarii in Bullam, 158 duplicia habentur Officia in kalendario universali, non comprehensis Duplicibus I et II classis. Iis addi debent infinita officia in kalendariis locorum particularibus, nec non illa plura quae affixa sunt diei Dominicae. Si ergo sub Pio v dies Dominica omnibus duplicibus etiam minoribus cedebat, hoc raro contingere poterat; hodie vero e contra, per quam raro, imo aliquibus in dioecesibus et Ordinibus vix, de Dominica agi potest officium, nisi in Quadragesima et Adventu.

Micrologus (Migne P. L. 151, c. 1013), cuius auctor exeunte seculo decimo floruit, habet: " Juxta romanam consuetudinem in omni Dominica ecclesiastico conventui cum officio Dominicae satisfacimus, nisi aliqua multum celebrior occurrat festivitas „. Similiter Rodulphus Tungrensis (De Can. Observ. prop. 13 ed Hittorp.), qui obiit circa annum 1386, testatur, aetate sua aliquot tantum festorum officia celebrata fuisse, ut b. Virginis, s. Joannis Baptistae s. Petri et Pauli, cum in Domicam diem incidissent, nulla vero juxta ritum Ambrosianum.

Huiusmodi laudabilissimus mos semper viguit et adhuc viget in ecclesia Ambrosiana, in cuius Breviario legimus (Rubric, gen. n. 3): " Si igitur cum Dominica concurrit (intellige *occurrit*, juxta Romanum ritum) aliquando officium de aliquo festo vel b. Mariae V., vel alicuius Apostolorum, vel sancti Patroni, etiam S. Ambrosii, fit de Dominica translato officio de sancto, qui in Dominicam inciderit.

Si vero ut supra, aliqua solemnitas Domini in Dominicam incidit, fit de illa sollemnitate cum commemoratione Dominicae „.

Pariter in Concilio provinciali Moguntino (an. 1549) legitur: " Sed et Sanctorum sollemnitates in diem Dominicam incidentes, censemus submovendas, quo Sanctorum omnium Domino sua conservetur solemnitas „.

Quam ob causam auctores omnes melioris notae, ut Gavantus (sect. 3, c. 3, n. 4) Gyetus (I, 1, q. 20), ut de aliis minoribus taceamus, semper conquesti sunt de nimia multiplicatione festorum duplicium, quae impedimentum praebent, quominus officium dominicale recitari queat. Sed ad rem nostram citare hic placet cl. Grancolas, qui (Comm. hist. Brev. I, c. 41) scribit: " Est de Dominica adnotandum, eam tam Deo sacram habitam fuisse, ut tunc nullius sancti festum celebraretur..... Optandum sane esset, ut mos iste (celebrandi nempe in Dominica, nonnisi festa solemnissima) rursum restitueretur, cum hodie nullae fere loco suo constiterint, nisi Adventus et Quadragesimae Dominicae „. Doctus iste liturgista, qui diem supremum obiit die I Augusti 1752 (et plurimum laudatur a Benedicto XIV (De canoniz. SS. 4, part. 2, n. 5) quid revera diceret, si viveret hisce nostris temporibus?

Sed et Commissioni sub Benedicto xiv pro emendatione Breviari institutae, " displicebat Dominicos dies festis plurimis destinatos fuisse „ (cf. Roskovány V, p. 547); quapropter, non defuerunt viri piissimi sive sub Pio vi (Bäumer l. 3, c. 13), sive sub Pio ix; Gueranger et plures Patres Vaticani Concilii, qui vota obtulerund ut honor debitus diei Dominicae restitueretur: quomodo autem huiusmodi restitutio fieri poterat? bifarie tantummodo, vel supprimendo maximam partem duplicium minorum et majorum, uti sub Benedicto xiv proposuerat Commissio pro reformatione Breviarii, vel moderando Rubricas, ita ut concessa sit Dominicis per annum praeferentia super festis, quae non sint Duplicia saltem II classis.

Primum remedium ex duplici capite adprobari non potuit: 1° quia id fieri nequit, nisi cum diminutione cultus

erga sanctos; 2° quia officium Dominicale, prout jacet in Breviario, prolixum est, et valde decet, quod die Dominica brevius sit pensum officii, ne Sacerdotes diutius detineantur, quominus aliis muneribus fungi utiliter queant. Quapropter, licet forsan aliqua moderatio in festis Sanctorum celebrandis quoad numerum et ritum opportuna videatur, maxime per Commune plurimorum Confessorum in Breviario inducendum, nihilominus id nonnisi maturo consilio fieri potest; interim autem bene restitui decet antiquus honos diei Dominicae, moderando Rubricas, prout factum est.

Itaque, per hanc novam dispositionem, melius et ordinatius dividuntur Dominicae in tres ordines: Dominicae I Ordinis, nulli festo locum cedunt; Dominicae II Ordinis, cedunt tantummodo duplicibus I classis; Dominicae vero III Ordinis (quae hucusque cedebant cuilibet Duplici minori etiam secundario), nunc non cedunt, nisi Duplicibus II classis.

Et sane; Dominica est dies Domini; ergo in ea, nisi aliter suadeat maxima sollemnitas, uti jam saeculo XIII, teste Rodulpho superius citato fiebat, summopere decet, quod in ea non celebretur aliud Officium, nisi quod directe sit in honorem Domini. Optime ergo, ex ista nova Rubrica, hodie in Dominicis minoribus per annum, non celebrantur nisi festa Domini, aut eorum dies Octava; et ratione solemnitatis Duplicia quoque I et II classis.

(37) *Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occurrentis. Quoad Dominicam vero, quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.* Quod dicitur hic de festis s. Thomae et s. Silvestri, dicendum est etiam de quocunque alio Duplici minore vel maiore, quod alicubi occurrat infra octavam Nativitatis; cum enim ex hac nova Rubrica dies Dominica praevaleat Duplici, quod non sit saltem II classis, nulla ratio aliter esse faciendum suadebat, quando dies 29 et 31 Decembris sit Dominica; in casu enim die 30 agitur officium de infra

octavam, et officium Dominicae ipsius fit sua die quo cadit. cum commemoratione seu s. Thomae seu s. Silvestri.

Aliter tamen dicendum est de Dominica, quae occurrere potest a Circumcisione usque ad Epiphaniam: siquidem stricto iure loquendo, deest in Breviario officium huius Dominicae, ita ut si in Dominica incidunt dies octavae s, Stephani, s. Ioannis Ev. et ss. Innocentium, fiat de octava sine commemoratione Dominicae, quae *vacans* dicitur, nempe non habetur eius officium. Nihilominus advertendum est, officium Vigiliae Epiphaniae, si bene quis aciem mentis intendit, nihil aliud esse, nisi officium, quod optime convenit diei Dominicae, quae occurrere potest primis illis diebus Ianuarii. Re quidem vera, totum officium, exceptis lectionibus, capitulis et oratione, sumitur ex Circumcisione, sicut omnes aliae Dominicae, quae infra octavas festorum Domini obveniunt. Capitula vero, et Missa, excepto Evangelio, sumuntur ex Dominica infra Octavam Nativitatis. Quare hoc? quia, ut optime notat Grancolas (II, 29). " Nihil in toto hodierno (nempe officio vigiliae Epiphaniae) referri potest ad titulum: *In vigilia Epiphaniae*, idest ad Epiphaniam; totum est sicut in Dominica infra octavam Nativitatis, estque, ut aiebat Micrologus, illud officium, quod repetebatur quotidie a Natali usque ad Epiphaniam. Evangelium tantum proprium est, nempe de fuga Iesu Christi in Aegyptum „.

Quam ob causam, usque dum aliter in Breviario non praescribatur quoad Octavas dies s. Stephani, s. Ioannis Ev. et ss. Innocentium, quando occurrunt in Dominica, de iis ageudum est officium, sine commemoratione Dominicae, ut sic disponit Rubrica ista.

Quid autem dicendum de festo s. Telesphori Papae, quando dies 5 sit Dominica? Primo obtutu idem agendum esse videtur, nempe officium de festo, cum commemoratione Vigiliae prout fit etiam, quando Vigilia ipsa non incidit in Dominicam; nihilominus, melius mentem Ecclesiae attingere videtur ille, qui in casu officium ageret de ipsa Vigilia, cum commemoratione s. Telesphori. Ratio est quia, ut omnes docent auctores, officium Vigiliae Epi-

phaniae est ad instar officii Dominicae et ritum habet semiduplicem, ergo quando dies 5 revera est Dominica, rationabiliter deducitur, quod de ea fieri debeat officium, cum commemoratione festi s. Telesphori.

Hoc tamen, ut diximus, fieri nequit diebus 2, 3 et 4 Ianuarii, quia si occurrente in Dominica una ex dictis Octavis, fieri deberet officium de Dominica (anticipando officium Vigiliae) cum commemoratione Octavae, iam deesset officium pro die 5.

3. Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua Dominica maiori, seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem (38), quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus (39); salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis solemnis S. Ioseph (40).

(38) *Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua Dominica maiori, seu a nobiliori officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem.* Ad illustrandam dispositionem huiusce Rubricae novae, non aliud utile credimus, nisi hic referre, quae iam scripsimus in nostra Expositione Rubricarum (nota 402, vol. 2, p. 77-81.

Ibi enim, postquam egimus de singulari privilegio, quo gaudebat in antiquis Rubricis, semiduplex occurrens in Dominica infra aliquam Octavam, aut in festo habente octavam, ut celebraretur in feria II sequenti, non impedita, licet reponendum esset quodcumque officium, etiam I classis, antea translatum (Cf. Antiq. Rubr. X, 5, et S. R. C. decr. N. 4056 ant. coll.); et postquam retulimus rationem datam in alio decreto (4041 ant. coll.), *quia nempe in casu, talis dies est assignata pro dicto semiduplici;* sequentia scripsimus:

Raro S. R. C. solet rationem reddere suae responsionis, et hoc in casu mentem suam perbelle exprimit.

Res est profecto maxima animadversione digna; hinc audiatur Cavalerius, dictum Decretum illustrans (T. 2, c. 30 dec. 4): " I. Eu rationem validam, ob quam semiduplex incidens in Dominicam infra octavam, reponi debet in die immediato sequenti in exclusionem cuiuscumque duplicis licet primae classis et praecedenter translati, quaeque argumenta omnia, quae in contrarium adduci unquam possunt, vel excogitari, penitus enervat et dissipat: *Quia eo casu talis dies est assignata pro dicto semiduplici*; hoc enim ipso, quod ea feria est illi assignata, in hac accidentariam subit immutationem, in eaque censetur occurrens, unde ab eadem quodcumque translatum abigit. Cui assignationis fortasse favent ea verba Rubricae de Translat. n. 5: *Transfertur in sequentem diem non impeditam.* „

" II. Privilegii autem haec est ratio. Ne a frequenti semiduplicium translatione, quae ceteroquin eiusdem ritus sunt cum die infra octavam, nimis de facili obruerentur octavae, ab his illa reiecta fuere, solo reservato casu diei proximae sequentis, ad quam *ius quoddam vicinitatis habent.* Quae reservatio, ne in irritum recideret ob duplicia translata, sequens dies dicta *ut propria*, fuit in iisdem assignata, quia alias horum repositio usque post octavam differri deberet, ubi duplicia adhuc locum habent in qualibet die infra octavam, et nonnisi per accidens, ratione scilicet totius octavae, per Festa impeditae, ultra octavam protrahuntur. „

Nimis prolixi essemus, si omnia S. R. C. Decreta in medium proferre velimus, quibus hoc principium recognoscitur et statuitur, quod Festum in crastino celebratum, tamquam in sua die habetur. Hinc, ex. gr. in Hymno *Iste confessor* dicendum est *meruit beatas* ad Matutinum et secundas Vesperas quando Festum alicuius sancti Confessoris a die sua natalitia in proxime sequentem transferri per accidens vel perpetuo contingat, si capitulum habuit. Ita S. R. C. die 13 Iunii 1899 n. 4033.

Similiter advertendum est, quod ex Rubricis specialibus Festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., s. Ioseph, et s. Ioannis Baptistae, et Pretiosissimi Sanguinis

D. N., si sua die impediantur, celebrari debent in proxime sequenti die, licet occurrat aliud festum, non tamen dignius aut nobilius, tamquam in sede propria. Eodem privilegio gaudebat Immaculata Conceptio, quando ritu II classis recolebatur; et adhuc gaudet Nativitas B. M. V. in Diaconia S. Hadriani, ubi celebratur die 9 Septembris licet occurat Romae Festum duplex (S. R. C. Decr. n. 3876 ad 4).

Ex quibus dispositionibus liquido profluit Ecclesiam semper reputasse, et nunc quoque reputare, diem proxime sequentem, tamquam sedem subrogatam, sed adhuc *propriam*.

Quod facile intelligitur; compertum est enim Festa duplicia et semiduplicia binas vesperas habere. Ecclesia Christi, quae moseas leges complevit, in celebratione Festorum illud divinum retinuit praeceptum: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra* (Lev. 23, 32). Hinc, sicut Iudaei in sero Parasceve, quod est interpretatum praeparatio sabbati, nullum opus excercebant, quia iam Festum inceptum erat. ita et Christiani, testante Gregorio papa iv (a. 833), Festa sua, seu ferias, observabant a vespera ad vesperam ut habetur in decretalibus Gregorii xi (Tit. 9, de feriis). Deinceps vero. licet onus praecepti festivi inceptum fuerit a media nocte sabbati, usque ad mediam noctem diei Dominici, ut in foro civili, nihilominus quoad leges liturgicas antiqua computatio religiosissime servata est usque in hodiernum diem.

Et bene, ait Gavantus (sect. 4, c. 5, n. 2), quia " magnitudo Festi exigit ut citius inchoetur, hoc est a primis vesperis, et tardius absolvatur, idest ad secundas. „

Festa quoque simplicia, licet non habeant secundas vesperas, duobus in diebus naturalibus celebrantur; ideoque hodie ex. gr. habent primas vesperas, cras vero ceteras horas usque ad nonam inclusive.

Dies porro ecclesiastica longior est quam dies naturalis; ideoque quando Festum aliquod in crastinum celebratur, primae eius vesperae locum tenent secundarum eius, si in sua die celebratum fuisset. Igitur Festum in

crastinum celebratum adhuc est in sua ecclesiastica die. in qua saltem habet primas vesperas. Quibus expositis, nimis nos audere existimet nemo. si propositionem, novam quidem primo obtutu, antiquam vero quoad Ecclesiae sensum, proferimus. (Haec scripsimus anno 1903).

Privilegium quo gaudent adhuc Festa Purificationis et Annunciationis B. M. V., s. Ioseph et s. Ioannis Baptistae, ac pretiosissimi Sanguinis D. N. ut celebrentur tamquam *in sede propria* in crastinum, translato alio Festo aequalis ritus, non tamen nobiliori, tribuatur omnibus Festis Duplicibus I et II classis.

Quamquam ex professo nemo ex liturgicis scriptoribus umquam protulerit huiusmodi propositionem, nihilominus plus minusve duo, et quidem celeberrimi, ad eam proxime accesserunt, Gavantus nempe et Guyetus. Hinc est propterea, quod nos maiori et tutiori animo eam hic exponimus, sperantes fore ut facilius lectores nostri illam fausto vultu sint accepturi.

Gavantus (sect. 3, c. 10, n. 1) ait: " Quaesitum est aliquando, quid agendum esset in Ecclesia Regularium, in qua occurrebant duo Festa eodem die, Patroni Principalis loci, et Titularis Ecclesiae illorum Regularium. „ Et postquam dixerit agendum esse de loci Patrono. subdit: " quod si quotannis hic accidat occursus, assignanda erit dies sequens in perpetuum, Titulari illius Ecclesiae. „

Sed melius et clarius, in sua Heortologia (lib. 4, c. 8. q. 6) hanc quaestionem sibi proponit Guyetus: " In quam diem transferri operteat duplicia primae classis? » respondit iuxta Rubricas, nempe in primam diem liberam; et sequitur dicens: " Et haec quidem certa sunt ex Rubricis; dubia vero quae sequuntur. Primo, an Festum Patroni seu Dedicationis, aut aliud simile, quod usu proprii loci consuevit transferri... *in proxime sequentem diem*... an inquam, debeat festum illud fieri tali die, translato alio duplici aut semiduplici, quod eadem quoque die occurrerit? Respondeo usum *eiusmodi posse retineri*, ob eam maxime causam, quod talis translatio non tam censenda sit translatio quam mutatio, haud illa perpetua quidem,

sed ordinaria in tali casu, in eo loco et *tali anno est dies propria praedicti festi.* Imo seclusa etiam festivitate publica... aio consuetudinem eiusmodi, *utpote laudabilem, posse retineri.* „

" Quam ego argumentationem in eo potissimum casu valere contendo, in quo Festum solemne longius esset differendum, propter occurrentiam Festi alicuius inferioris recenter inducti; v. g. Festum s. Ioannis ante Portam latinam, quod est 6 Maii, occurrens in die Ascensionis Domini, transferebatur alias in sequentem proxime diem nempe 7, nunc vero, cum dies ille 7 occupetur a Festo s. Stanislai a Clemente viij addito, reiiciendum est predictum Festum S. Ioannis... quod sane incommodum valde est ecclesiis, in quibus Festum illud sic impeditum consuetudinem retineant, *nonnisi laudabiliter mihi facere videntur.* „ Huc usque clarissimus Guyetus; iuxta quem, absque formidine, Festum ex solemnioribus decet celebrari in crastinum, cum impediatur.

Cum autem iam plurimae Congregationes regularium, ut ex. gr. Monachi s. Benedicti, Franciscani, et Sacerdotes Congregationis Missionis a S. Sede obtinuerint, ut Duplicia I et II classis, quandocumque sint impedita, celebrari possint die immediate sequenti sicut in sede propria, opportunissime nunc hoc ipsum privilegium tanquam lex generalis fertur pro tota Ecclesia.

Eo autem magis huiusmodi legem grato animo excipient liturgistae, non tantum quia conformior est antiquitati, sed etiam quia per eam tolluntur duo decreta, quae regulas occurrentiae et translationis aliquantulum deturbarunt. Primum est illud, quod latum fuit die 2 Decembris 1891 n. 3756, concedens privilegium Duplicibus II classis (et ideo etiam I classis) ut, quando impediebantur, et dies liberi pro iis reponendis in decursu anni non essent, celebrari possent diebus semiduplicibns, et in eorum defectu, duplicibus quoque. Quod reponantur festa ista solemniora die sequenti, quae, ut vidimus, est adhuc dies sua propria, licet simplificari debeat aliquod duplex, sane intelligitur: quod vero transferatur longius, in diem, quae

nullimode sua esse dici nequit, non satis neque intelligitur, neque probatur.

Secundum decretum, illud est, quod die 23 Aprilis latum fuit, anno 1895 n. 3853, in quo S. R. C. declarat: festum duplex I vel II classis, habens octavam, quando nec in die sua, nec infra octavam suam celebrari queat, transferendum esse in ipsam diem octavam, quamvis in Dominicam incidat; dummodo non occurrat aliud festum nobilius. Decretum istud, variis interpretationibus fuit obnoxium, ita ut Romae, ex gr., anno 1902, festum s. Andreae Apostoli in sua ecclesia ad Quirinale, celebratum fuerit Dominica II Adventus, eo quod die sua, 30 novembris, impeditum fuerat a Dominica I. Id procul dubio contra mentem S. Congregationis fuit, sed ex locutione decreti, aliquibus visum fuerat conforme. Optime ergo per huiusmodi novam Rubricam, qua conceditur ius Duplicibus I et II classis, ut celebrentur die immediate sequenti, non amplius locus manet pro utroque decreto, maximo cum lucro scientiae liturgicae.

(39) . . . *quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab officio huiusmodi festa excludentibus.* Convenientissime adiecta fuit exceptio ista; nam Duplicia tam I, quam II classis, solemniora sunt, et ideo maxime decet quod a sua die non perturbentur, nisi quando aliqua occurrat festivitas ex solemnissimis pro tota Ecclesia. Excipiuntur etiam Officia, quae excludunt Festa Duplicia vel I vel II classis, uti sunt ex. gr. Feria IV Cinerum, Vigilia Pentecostes, et pro Duplicibus II classis etiam dies infra octavam Ss. Corporis Christi.

(40) . . . *salvo tamen pvivilegio a Rubricis concesso festivitatibus Purificationis et Annunciationis B. M. V. nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.* In Rubricis anno 1897 emendatis, festo Purificationis datur privilegium, quando impediatur a Dominica maiori, ut sequenti die celebretur, tamquam in sede propria, licet occurrat alicubi festum aequalis (non tamen altioris) ritus; et in hoc situm est privilegium Purificationis, quae propterea cele-

brari potest die 3 februarii, etiam in locis ubi S. Blasius ritu II classis recolitur. Item festa Annunciationis et S. Ioseph, si impediantur a Dominica Passionis, celebrantur in sequenti feria II, et in casu, eodem iure fruuntur, prout cetera Duplicia I classis, de quibus in nota praecedenti. Si vero occurrant in hebdomada maiori vel paschali, tunc celebrantur, tanquam in sede propria, respective feria II, vel feria IV post Dominicam in Albis. Excipiuntur ergo festa praedicta a regula generali, eo quod in casu, quod alia habeantur festa Duplicia I classis transferenda, dictae feriae II et IV post Dominicam in Albis, impeditae manent pro aliis festis assignandis, nisi agatur de Duplici I classis, quod revera occurrat, prout notat Rubrica specialis diei 25 martii.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt (41) (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata (42).

(41) *Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis, et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae, non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, ut de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt.* Privilegio ergo translationis in casu impedimenti accidentalis, nunc gaudent tantummodo Duplicia I et II classis, prout praecedenti numero dicitur; cetera festa Duplicia maiora et minora; licet sint festa Domini, quandocunque aliquo anno accidentaliter impediuntur a nobiliori Officio, non amplius transferuntur, sed eo anno de

eis fit tantum commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa, cum IX lectione historica, si habeatur, et si plures sunt, in una redacta.

Ratio huius novae dispositionis in eo sita est, quod, iuxta Rubricas Breviarii, Duplex maius et Duplex minus non constituunt, stricto sensu, duos ordines distinctos seu duos diversos ritus. Duplicia I classis, iura nonnulla habent, quibus caret Duplex II classis; ex. gr. non admittunt commemorationem simplicis, neque ad Laudes, quae fit in Duplici II classis; ideoque constituunt duos ordines, bene distinctos, cum diversis iuribus; e converso inter Duplex maius et minus, nulla adet diversitas; eadem enim habent iura et onera; ambo admittunt easdem commemorationes, et eadem lege amittunt ius ad commemorationem in Vesperis, quando concurrunt cum sequenti Duplici I classis. Tota ergo differentia inter Duplex maius et minus, consistit in praecedentia, qua gaudet primum supra secundum. Aliis verbis, sicut Duplex maius B. Mariae V. praecellit Duplici maiori cuiusvis Sancti, et tamen utrumque manet in eodem ordine, ita Duplex maius praecedit minori, quin diversum ordinem revera constituat. Multo magis idem dicendum est ut patet, de Duplici Doctoris Ecclesiae. Igitur, si Duplex maius et minus referuntur ad Duplicia I et II classis, unam et eandem classem tertiam constituunt; si vero inter se considerantur, non alia differentia dividuntur, nisi quoad praecedentiam inter se.

Quapropter, si privantur cetera Duplicia minora iure translationis, privari bene possunt etiam maiora, et eo magis Duplicia Doctorum; ubi enim est eadem ratio, eadem quoque debet esse legis dispositio.

Quod autem hic dicitur de Duplicibus maioribus, quae accidentaliter aliquando impediuntur ab aliquo officio nobiliore mobili, dicendum est etiam de illis Duplicibus, quae perpetuo affixa sunt in aliqua Dominica, ut ex gr. Festa Maternitatis, Puritatis B. M. V. et similia. Excepto festo Ss. Nominis B. Mariae V. quod, ut infra dicetur, deinceps celebrandum erit die 12 septembris. Cetera festa huiusmodi mobilia, Duplicia maiora vel minora, non am-

plius celebrari poterunt in Dominicis, quibus affixa erant, sed, vel de eis fiet commemoratio, tamquam duplicia semplificata, vel alia die determinata in mense fixe celebranda erunt, obtento tamen a S. Sede speciali indulto.

Re sane vera, festa celebrantur in Ecclesia, non tantum intuitu divini officii, quo collaudatur quotidie Deus ab Ecclesia militante, sed etiam ut sua die Sancti debito sibi honore recoli possint. Cum ergo *festum* aliquod impediatur, quominus sua die cum suo *officio* celebrari possit, si ad aliam transferatur diem non suam, de eo non transfertur *festum*, sed tantum *officium*. Adde, quod ubi vere celebratur *festum* aliquod a populo, licet de eo transferatur *officium*, nihilominus sua die *festum* reapse celebratur; ergo huiusmodi translationes, si suo nomine appellandae sint, nil aliud sunt, nisi nova et multiplicata impedimenta, ne diebus illis, in quibus fiunt translationes, recitari possint ferialia officia.

Hisce ergo de causis, et etiam ad removendum incommodum illud, quod oriebatur, cum officia (praesertim Doctorum, quae occurrunt mensibus martii et februarii, recitanda erant mense decembri) optime statutum est, iuxta postulatum in Concilio Vaticano exibitum (Cf. not. *c* Comm. Bullae), ne in posterum transferrentur officia Duplicia minora et maiora, et ideo tantummodo Duplicia I et II classis hodie transferuntur, in diem tamen immediate sequentem, quae, prout explicavimus, est adhuc sua dies.

Duplicia maiora et minora, imo et Semiduplicia, quando perpetuo impediuntur, ius adhuc habent repositionis, sed, in casu, reponitur *Festum*, et non tantum *Officium*; ut infra videbimus.

(42) ... *Salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX lectione historica, nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata*. Lectio ergo ix historica, de officio simplificato, dicenda est tantummodo, quando non occurrit in Dominica, ut numero sequenti explicabi-

tur. Itaque, ex gr., feria III post Septuagesimam, ubi celebratur festum Orationis D. N. I. C., si occurrat fieri commemorationem alicuius Duplicis vel semiduplicis, de eo recitatur adhuc ix lectio historica (ex duabus vel tribus una).

Quia vero per hanc novam Rubricam non amplius transferri possunt Duplicia maiora, etiam B. Mariae V. imo et Domini, et quia hisce in festis, ut plurimum, non habentur lectiones historicae, procul dubio de illis recitanda non erit ix lectio ex sermone alicuius Patris, iuxta regulam generalem (Rubr. gen. IX, 10; X, 9; XXVI, 3).

In casu autem quod in II nocturno huiusmodi festorum, habeantur duae lectiones de sermone, et tertia historica, ut in festo B. Mariae sub titulo Auxilium Christianorum, tunc procul dubio lectio ista legenda erit. E contra, quando in fine sextae lectionis de sermone habeatur aliqua additio historica, ut ex. gr. in festo B. Mariae Matris boni Consilii, tunc nullimodo haec additio erit legenda, tamquam ix lectio, eo quod ita cum praecedenti sermone coniungitur additio ipsa, ut separari nequeat, nisi introducendo alia verba.

Item, in Duplicibus I classis, iuxta Rubricas, sub Leone xiij emendatas, de simplificato etiam Duplici maiori, nulla debet fieri commemoratio. Nonnulli, nec sine bona ratione, in pristinum revocare proposuerant legem antiquam, qua Duplicia ac semiduplicia, ad ritum simplicem redacta, commemoratione non privabantur in Duplicibus I classis, etiam in festo Ascensionis et Corporis Christi (Cf. decr. 4378, 4594, 4810 et 5084 antiq. coll.), (exceptis solummodo festis Paschatis et Pentecostes ac duobus sequentibus diebus), saltem in Laudibus, et Missis privatis, ne omnino eo anno periret memoria Sancti simplificandi; sed praevaluit sententia, quod in Duplicibus I classis nulla deberet fieri commemoratio, nisi de privilegiatis diebus, nempe de quacumque Dominica, atque de Feriis Adventus et Quadragesimae, quatuor Temporum, II Rogationis, nec non de Octavis privilegiatis, Epiphaniae, Ss. Corporis Christi et Nativitatis.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica (43). Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicae (44).

(43) *Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel semiduplex, vel simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de simplici in primis tantum) Laudibus et Missa, sine IX lectione historica.* Hic melius applicatur regula in praecedenti numero exposita, quae eadem est ac illa, quae exstat in Breviario, iuxta mentem Leonis xiij emendata circa commemorationem Duplicis et semiduplicis ad instar simplicis redacti; unica differentia adiungitur, quod non amplius dicenda sit IX lectio historica.

Haec nova dispositio inducta est in novis Rubricis, ut Officium Dominicae, iuxta votum expositum in Vaticano Concilio, minus prolixum evaderet, cum iis diebus Sacerdotes maioribus curis animarum premantur.

(44) *Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat quodcunque festum Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de festo vel de octava, cum commemoratione et IX lectione Dominicae.* Hic ampliori modo explicantur, quae supra iam sunt disposita. Vide quae diximus in nota 36, circa exceptionem festorum Domini ac Duplicium I et II classis.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi (45).

(45) Scilicet dies 2 Novembris (et in locis ubi ea die occurrit Duplex I classis, dies 3) excludit translationem accidentalem cuiuscumque festi, etiam I classis. Haec autem dispositio ponitur in his novis Rubricis, ut ubique eadem die commemoratio omnium Defunctorum celebrari queat. Antiquitus S. R. C. decreverat, quod in die 2 Novembris (vel in die 3) nullum officium transferri posset, nisi in casu, quo nulla dies suppeteret in decursu anni (Cf. decr. ant. coll. 3127, 3565, 4044 et 4771): nunc vero, quia Duplicia, etiam maiora, non amplius transferri possunt, et quia non amplius recitatur officium ea die, nisi pro Defunctis, antiqua lex huiusmodi necessaria ablata fuit.

Titulus IV.

De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.

1. Festa omnia ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas (46).

(46) Sicut Leo xiij in emendatione Rubricarum, abstulit translationem Duplicium et semiduplicium, quando impedimentum est perpetuum, ita, et in ista nova constructione Rubricarum, repositionis iure privata non fuere. Ratio est, quia alioquin cultus Sanctorum, de quibus festum impeditur, in perpetuum periret. Quod id contigat semel in septennio, transeat; quod vero semper vel nihil, vel tantummodo commemoratio fiat in septennio, tolerari nequit, quia cultus in casu vel totaliter supprimeretur, vel valde esset imminutus. Itaque omnino convenit quod repositio perpetua Duplicium maiorum et minorum, ac semiduplicium adhuc retenta sit in novis Rubricis.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitati Purificationis B. M. V. concesso (47).

(47) Privilegium quo gaudent Duplicia I et II classis, si valet pro impedimentis accidentalibus, multo magis valet pro perpetuis, ob rationes in praecedenti nota expositas. Hoc loco, inter dies, in quibus prohibetur repositio Duplicium I et II classis, addita est etiam dies Octava, sine ulla exceptione, scilicet perpetuo reponi nequit Duplex I vel II classis, in die Octava cuiusvis festi, etiam secundarii. Ratio est, quia Octava convenit, ut celebretur integra, ideoque, si in ea reponeretur translatum Festum, quasi obruncata maneret. Si occurrit Duplex I vel II classis *in die sua propria*, cum die aliqua Octava, bene de festo celebratur officium, ut disponunt Rubricae, cum commemoratione Octavae, quia est in sua die; quando vero transfertur, licet immediate in sequenti die, quae est adhuc dies propria, non tamen, ut patet, eodem modo quo revera dies sua. Excipitur hic festum Purificationis, eo quod in speciali sua Rubrica, hoc privilegium ei tribuitur, tam in occurrentia accidentali, quam in perpetua.

3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi Duplicis etiam I classis (48): Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum Domini (49). Festum Ss. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei XII mensis septembris (50).

(48) *Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis festi Duplicis etiam I classis*: Sensus huiusce Rubricae est, quod in Dominicis maioribus, Adventus scilicet, Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquage-

simae, nec non Quadragesimae, non potest perpetuo assignari aliquod festum, etiam I classis, quia Dominicae illae, tanta veneratione coluntur, ut in eis numquam permiserit Ecclesia, ut celebraretur aliquod aliud festum.

Permittutur quidem, ut in Dominicis II classis celebrari possit festivitas I classis, quando accidentaliter occurrat, ut Immaculata Conceptio in Dominica II Adventus, sed, quod semel in septennio permittitur, incongrue concederetur perpetuo.

(49) . . . *Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris et minoris, nisi sit festum Domini.* Huiusmodi dispositio tamquam corollarium est praecedentis Rubricae Tit. III, n. 5; Si enim in occurrentia accidentali Duplex minus et maius (quod non sit festum Domini) locum cedere debet diei Dominicae, multo magis id fieri necesse est in occurrentia perpetua. Igitur, quodcumque festum, quod hucusque, sub ritu Duplici maiore (ex. gr. Puritas et Maternitas B. M. V.), aut Duplici minore (ex. gr. Commemoratio omnium Pontificum) in aliqua Dominica assignatum fuit, non amplius celebrari poterit in Dominica; ac proinde, ut dicitur in praescriptionibus temporaneis in fine harum Rubricarum, vel perpetuo omitti debent, eo quod privilegium translationis non habent, vel commemoratio de eis agenda est, vel si bonae habeantur rationes, Ordinarius loci postulet, ut alia die, fixa, in mense celebrari queant. Aliter, ut explicavimus in nota 36, dicendum est de festis Domini (ex. gr. de Ss. Redemptore, ubi celebratur sub ritu Duplici maiore in Dominica III Iulii), quia adhuc possunt ea in die Dominica perpetuo celebrari; agitur enim de eodem obiecto, quod directe in die Dominico colitur.

(50) *Festum Ss. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei XII Septembris* De festo isto loquens Benedictus XIV (De Festis, II, xi, 5) ait. " Haec festivitas firmata est pontificio diplomate anni 1513 in civitate et dioecesi Conchensi in Hispania. Eam a Pio V sublatam restituit Sixtus V, cardinalis Dezae precibus permotus, iuxta ea quae tradit

Ciaconius in eius vita. Officium vero Nominis Mariae ab universali Ecclesia recitari iussit Ven. Innocentius xj decreto suo anno 1683 edito, in eius victoriae memoriam, qua Beatissimae Matris ope a Christianorum copiis profligatis Turcarum exercitus ab obsidenda Vienna destitit, quae urbs, si in barbarorum manus venisset, plurimum Catholica Religio detrimenti cepisset „. Cum autem huiusmodi victoria parta fuerit die 12 Septembris, ea die in Martyrologio legitur eius mentio. Nunc vero, cum festa Duplicia maiora, quae Domini non sint, in Dominica amplius celebrari nequeant, ne festum Nominis Mariae, populo Christiano tam acceptum, pereat, celebrandum erit dicta die sua 12 Semptembris, uti disponit specialis Rubrica Breviarii anno 1909 emendata, quae sic se habet: *Si hac Dominica occurrat festum nobilius, eo anno festum Ss. Nominis celebretur die XII Septembris, tamquam in sede propria, uti notatur in Martyrologio.*

Notandum est autem, quod hodie in Calendario Universalis Ecclesiae nullum aliud festum habetur celebrandum in Dominica, quod ritu Duplici maiore recolatur. Paucis ab hinc annis habebantur festa s. Joachim, Ss. Rosarii, et Septem Dolorum B. M. V. mensis Septembris, quae, nisi nunc ritus essent Duplicis II classis, certo certius e Dominica exulare deberent.

4. Dies II novembris excludit tum Festa occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festa perpetuo reponenda cuiusvis ritus (51).

(51) Ratio huius dispositionis, ut supra iam innuimus, est, quia hodie, ea die, non aliud fit officium, nisi pro Defunctis, ita ut neque Missa conventualis de festo, vel de octava cantari possit: hinc, ne Sanctus aliquis suo officio destituatur, dicta dies 2 Novembris vacua manere debet. Quod si alicubi die 2 occurrit natale cuiusvis Sancti, quod ritu duplicis I classis sit celebrandum, tunc eo in loco Commemoratio celebratur die 3, quae pariter eo in loco vacua a quovis officio servanda est si vero ritu inferiori celebrari debeat, fixe rapouatur prima dia libera.

Titulus V.

De concurrentia Festorum.

1. Dominicae maiores Vesperas habent integras in concurrentia cum quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis sumuntur Antiphonae cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae cum iisdem Psalmis de Sabbato.

2. Dominicae minores cedunt Vesperas, tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini, tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato (52).

(52) *Dominicae maioris, Vesperas habent integras in concurrentia cum quovis festo, nisi sit ritus Duplicis I et II classis.* Nova est omnino huiusmodi Rubricae praescriptio; cum enim Dominicae etiam maiores, ritu gaudeant semiduplici, antea ipsae vesperas integras cedebant cuiusvis officio Duplici, etiam minori; hodie vero, postquam Ss. D. N Pius X voluit antiquum honorem restituere Officiis dominicalibus, etiam in Vesperis nonnulla quaedam privilegia Dominicae reservari praecepit, nempe ius ad integras Vesperas, nisi concurrat aliquod Festum Duplex I vel II classis, si agatur de Dominicis maioribus; aut quodvis festum Domini, vel eius dies Octava, licet celebretur ritu Duplici maiore vel minore, si agatur de Dominicis minoribus sive per annum, ut infra dicitur.

Ut autem dies Dominica integras primas Vesperas obtineat, non amplius officium eius incipiendum est a capitulo, ut hactenus factum est, quando cum praecedenti Semiduplici concurrebat, sed tum antiphonae, tum psalmi, sumendi erunt ex Vesperis Sabbati, prouti, quando in sab-

bato nullum festum ix lectionum occurrebat. Attamen, notandum est, quod si de aliqua Dominica Adventus primae vesperae integrae dicendae erant, sumebantur quidem psalmi de Sabbato, sed quoque eius antiphonae psalteriales; hodie vero, haec Rubrica exigit, quod in casu, antiphonae sumantur propriae ex Landibus Dominicae, prout fit in secundis Vesperis, et sic revera dicuntur integrae primae vesperae de Dominica.

Quapropter ex. gr. anno 1913 Dominica I Adventus occurrit die 30 Novembris, ac propterea festum s. Andreae Ap. celebratur feria II die 1 Decembris. Cum autem die 29 agatur de Vigilia, vel etiam licet eo die actum sit de festo Duplici maiori vel minori, Vesperae erunt de Dominica I, cum Antiphonis ex eius Laudibus, et psalmis de Sabbato.

E contra, II Vesperae erunt integrae de s. Andrea, cum commemoratione ipsius Dominicae. Similiter dies Octava Imm. Conceptionis anno 1912, incidit in Dominicam, ac propterea iuxta novas Rubricas, celebrabitur officium de Dominica (quae erit III Adventus) cum commemoratione diei Octavae. Primae autem Vesperae erunt de ipsa Dominica, cum Antiphonis, ex Laudibus ipsius Dominicae et Psalmis de Sabbato ut in Psaltario, Capitulum et reliqua, item de Dominica, Commemoratio autem facienda erit, non de die Octavo, sed de die septimo infra Ocatavam, cum Antiphonis et Versu ex I Vesperis festi. Ratio est, quia de die Septimo actum est Officium in Sabbato, et de die Octavo in crastino non fit aliud nisi commemoratio; cum autem ex Rubricis prima commemoratio facienda est de Officio concurrenti, et dies Octavus in casu non concurrat, ut patet, de die septimo, non vero de Octavo, agenda erit commemoratio.

Pariter anno 1913 dies Octava Ss. Apostolorum Petri et Pauli occurit in Domenica, quae est VIII post Pentecosten, ideo primae ejus Vesperae erunt persolvendae cum Antiphonis Psalmis, Capitulo, Hymmo et Versu de Sabbato, ut inpsalterio, Antiphona ed *Magnificat* de Sabbato ante dictam Dominicam VIII, *Exaudisti Domine,* et Ora-

tione. *Largire nobis* de eadem Dominica; postea vero facienda erit Commemoratio de Octava; cum autem in Sabbato actum sit Officium s. Antonii Zaccariae, et de die Séptimo infra Octavam Ss. Apostolorum facta sit tantum commemoratio, hoc in casu, agenda erit commemoratio de sequenti die Octavo, scilicet cum Oratione *Deus cuius dextera*, nil vero de die Septimo. Ratio huius est, quia cum agitur de duabus commemorationibus, primo fit de nobiliori, ratione ritus, nempe de sequenti Duplici simplificato (die Octavo), postea de praecedenti semiduplici pariter simplificato (die septimo infra Octavam): cum vero ejusdem sint obiecti, de praecedenti simplificato nihil fit.

3. Leges, quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini, immutatae manent (53).

(53) Quod attinet ad Vesperas festorum, quae occurrunt infra Octavam Nativitatis Domini, nihil innovatum est in his novis Rubricis, ac propterea dicendae erunt semper cum Antiphonis ex II Vesperis Nativitatis.

Juxta enim Gavantum (Sect. VI, c. v. n. 6), Antiphonae in II Vesperis Nativitatis Domini, *Tecum principium, etc.*, sunt privilegiatae, ut numquam omittantur infra Octavam; de iis fit mentio apud Amalarium (Ord. Antiph. 16). Cum enim infra Octavas festorum solemniorum Epiphaniae, Paschatis et Pentecostes, semper fiat officium de ipsa Octava, omnino decebat, quod etiam infra Octavam Nativitatis, licet officia admittat de Sanctis, in ipsis aliquid de solemnitate Nativitatis haberetur; nempe, ut saltem semper dicerentur in Vesperis Antiphonae festivitatis. Porro, in hac nova Psalterii dispositione, nil innovandum praescribitur circa Vesperas infra Octavam istam privilegiatam.

Inutile non esse putamus, hic referre declarationem S. R. C. (Decr. 27 Maii 1911 ad v.) circa Vesperas s. Silvestri Papae, ubi sit Titularis Ecclesiae vel loci Patronus. Juxta enim sententiam multorum, qui sequebantur Gavantum (ibid. n. 9) in II Vesperis s. Silvestri, cum dici

nequeant Antiphonae sequentis Festi Circumcisionis Domini, et cum Octava Nativitatis, ut ipsi aiunt, ad Nonam cessaverit, necessario in casu pro s. Silvestro sumendae erant Antiphonae de Communi, *Ecce Sacerdos, etc.* Attamen sapientissime S. R. C. aliter declaravit, nempe, quod in casu, etiam in II Vesperis s. Silvestri, dicendae sunt Antiphonae: *Tecum principium, etc.,* de Nativitate. Ratio est, quia Octava Nativitatis revera non terminat ad Nonam, sed extenditur etiam ad diem 1 Januarii. Hoc autem ita verum est, ut in Breviario et in Martyrologio ea die legatur: *Circumcisio Domini et Octava Nativitatis eiusdem:* ergo revera continuatur et non cessat Octava ad Nonam precedentis diei. Si igitur non cessat, et cum Antiphonae de Circumcisione dici nequeant, quia festum s. Silvestri est in casu Duplex I classis, reviviscit ius Octavae Nativitatis, quae adhuc perdurat, ut dicantur Antiphonae privilegiatae eius, nempe *Tecum principium, etc.,* de Dominica.

Titulus VI.

De Commemorationibus.

1. In Duplicibus I classis non fiat commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut Dominica quaevis, etiam per annum, aut Duplex I vel II classis, aut dies Octava alicuius Festi Domini primarii, aut dies infra Octavam privilegiatam. In occurrentia fiat tantum commemoratio de Dominica quacumque, de Octava privilegiata et de Feria maiori. De sequenti vero Officio (etiam ad modum Simplicis redacto) fiat semper commemoratio, minime autem de die infra Octavam non privilegiatam aut de Simplici.

2. In Duplicibus II classis de praecedenti Officio semper fieri debet commemoratio, nisi fuerit de aliquo

Festo Semiduplici, vel de die infra Octavam non privilegiatam. In occurrentia fit commemoratio de quavis Dominica, de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum Simplicis redacto, de Octava privilegiata, de Feria maiori et de Vigilia: de Simplici vero fit tantum in Laudibus et in Missis privatis. De sequenti autem Officio quolibet, etiam Simplici vel ad modum Simplicis redacto, fit semper commemoratio, ac etiam de die infra Octavam, si in crastino Officium de ea agendum sit; et tunc cum Antiphona et Versiculo e I Vesperis Festi (54).

(54) In Rubrica ista nil novi praescribitur, nisi commemoratio Dominicae, etiam minoris, in primis Vesperis Duplicis I classis. Huius novae praescriptionis causa fuit, ut aequiparetur commemoratio diei Dominicae, feriis maioribus, de quibus fit etiam memoria in I Vesperis Duplicis I Classis; etenim, ob restitutum a Summo Pontifice antiquum honorem Dominicae, commemoratio eius in I Vesperis sequentis Duplicis I et II classis, denegata non fuit. Hac super re concordant Rubricae Breviarii Ambrosiani (Par. 7) et Breviarii Carmelitarum antiquae observantiae (Rubr. 12, 6).

Forsan alicui non conveniens apparebit dispositio huius Rubricae, quae concedit commemorationem Dominicae in I Vesperis Duplicis I classis, et illam negat Festo Domini, quod non sit saltem II classis: sic enim argumentari quis potest: Festum Domini quodcumque, etiam ritus Duplicis maioris, si occurrat in Dominica, fit de eo cum Dominicae commemoratione, ergo, si I Vesperae Duplicis I classis, admittunt commemorationem praecedentis Dominicae, quae minoris est dignitatis, quam festum Domini, eo magis huius festi admittenda erit commemoratio. Attamen considerandum est, quod de feriis Quadragesimae quoque et Adventus fit commemoratio in I Vesperis Duplicis I classis, et tamen omittitur de Duplici et Semiduplici praecedenti; cum autem ad effectum numquam omit-

tendi commemorationem, Dominicae aequiparatae fuerint feriis maioribus, nulla discrepantia in Rubricis novis existit.

Addit vero Rubrica quod in II Vesperis Duplicis II classis, fieri debeat commemoratio etiam de die infra Octavam, si in crastino officium de ea agendum sit. Hoc ipsum in antiquis Breviarii Rubricis invenitur, positum est autem, ut hoc loco novissima dispositio S. R. C. haberetur, in Decreto in Atrebaten. contenta d. d. 5 Julii 1908, addendo: " et tunc cum antiphona et Versiculo e I Vesperis „.

Antiquitus enim, cum alicuius diei infra octavam agi deberet commemoratio in Vesperis, semper fiebat per antiphonam et Versum e II Vesperis, quia opinio communis erat, quod dies infra Octavam ius non haberet unquam ad I Vesperas. Attamen si Ecclesia dies infra octavas ritu semiduplici concelebrat, dicendum est dies ipsos revere frui omnibus iuribus et oneribus, quibus gaudent et gravantur alia officia semiduplicia.

Esto quod *per accidens*, ut plurimum, habeant tantummodo secundas Vesperos, sed iure et primis gaudent omnino. Aliud enim est Vesperas primas *semper impediri*, aliud est primis vesperis *carere:* ut plurimum dies infra octavas, primas vesperas impeditas habent, a secundis vesperis praecedentis diei: cum enim duo festa eiusdem ritus, eamdem personam respicientia, simul concurrunt, Vesperae fiunt de praecedenti, absque ulla commemoratione sequentis, prout decrevit S. R. C. suo decr. n. 2514. Ex. gr. occurrit hodie officium Coronae Spineae D. N. I. C. et cras officium Lanceae et Clavorum; in Vesperis totum fit de primo, sine commemoratione de secundo, quia agitur de eadem persona, et festa habent eumdem ritum. Pariter, hodie officium ago de die II infra octavam B. Mariae V., et cras item de die III, quomodo recitabo vesperas? Eo quod utraque dies colitur ritu semiduplici, et agitur de eadem persona, Vesperas integras tribuam diei II, sine commemoratione diei III sequentis.

Et sane, qui legit Tabellam Concurrentiae, quae in Breviario prostat iam a tempore Gavanti, facile inveniet

quod inter officia concurrentia *in primis vesperis*, adest etiam *dies infra octavam;* ergo Rubricae Breviarii recognoscunt quod revera dies infra octavas ius habent ad primas Vesperas, alioquin inter officia sequentis diei umquam eos posuisset; si ergo posuit, dicendum est ius ipsos habere ad I Vesperas; scilicet sunt revera officia semiduplicia cum omnibus iuribus quibus gaudent cetera festa huius ritus.

Huiusmodi sententia tamen, est contra doctrinam Gavanti, qui (sect. 3, c. 8, n. 13) aperte docet, dies infra octavam habere tantummodo secundas vesperas, et officium diei VII terminare ad Nonam; et est quoque contra sententiam Merati, Cavalerii, nec non omnium, qui usque ad dies nostros hac de re scripserunt, adhaerentes plus aequo magistro Gavanto. Attamen clarissimus vir Guyetus, qui saeculo XVII floruit, et in elucidandis Rubricis Gavanto non secundus, aliter sentit, et docet (Heortol. IV, 6, q. 7): « Nonnisi improprie dictum est officium diei (septimae) infra octavam terminatum fuisse ad Nonam, nisi quatenus vesperae non sint eiusmodi, quidni continuanda erit in iis octava, eo modo quo fieri potest, nempe sumendo psalmos et antiphonas de ipsa ex secundis vesperis festi...? „ Et alio loco (IV 13, q. 6) idem docet, et probat dies infra octavam habere ius ad vesperas prout habent alia officia semiduplicia.

Nihilominus usque adhuc, sententia Gavanti accepta fuit, ut diximus, a scriptoribus, eo quod et Rubricae speciales aliquae, illi favent, ut est Rubrica quae legitur die XV decembris, quando dies octava Conceptionis Immaculatae, occurrit in Dominica III Adventus.

Hodie vero, post S. R. C. decretum in Atrebaten. d. d. 5 iunii 1908, aliter sentiendum est: nam in eo praescribitur quod, de die infra octavam, cuius agitur officium in crastino, agenda sit commemoratio, sumendo antiphonam et versum *ex primis vesperis*, et addit rationem, dicens: *quia habetur concursus.* Si autem inter dies infra octavas datur concursus, ius habent ad utrasque Vosperas; ergo dies septima revera ius habet ad secundas.

Quapropter nunc sententia Gavanti omnino deserenda est, et sequenda sententia Guyeti, quam nos ipsi in Ephemeridibus Liturgicis (an. 1893, p. 562; 1895, p. 75; 1904, p. 20) novis rationibus defendimus ac propugnavimus; ergo hodie, post huiusmodi S. R. C. decretum, revera dicendum est, quod dies infra octavas, sunt vera officia semiduplicia cum omnibus iuribus ritui semiduplici spectantibus.

Merito ergo haec nova Rubrica praescribit, ut de sequenti die infra Octavam, fieri debeat commemoratio per Antiphonam et Versum e I Vesperis Festi; nam evidens est, quod in Festo duplici 2 classis, occurrente in die, verbi gratia, III infra Octavam, de ipso die III nulla fit commemoratio neque in Laudibus, neque in Missa; ergo, juxta regulam generalem, de eodem die III nequit fieri commemoratio in II Vesperis, licet in crastino agendum sit officium de infra octavam. Quod si huiusmodi commemoratio Octavae agenda sit, procul dubio jam non erit de III die occurrenti, bene vero de sequenti die IV.

Itaque toto jure sumenda est Antiphona e I Vesperis, sicut fit in I Vesperis diei Octavi, quia sunt revera I Vesperae sequentis diei infra octavam.

Notandum est tamen, quod non semper sumenda erit Antiphona ex I Vesperis festi; ex. gr., quando die 30 Decembris fit Officium de octava Nativitatis, in II Vesperis S. Thomae sumi nequit Antiphona *Cum ortus fuerit Sol*, et Versus *Crastina die*, ex I Vesperis, ut patet, ne dicatur adhuc adveniendus qui jam est natus, sed eo in casu, retinenda erit antiphona: *Hodie Christus*, cum ℣ *Notum fecit, etc.* Idem est dicendum de diebus infra Octavas illas, quae ad *Magnificat* habent quotidie Antiphonas proprias, ut in Octava Epiphaniae; similiter in II Vesperis Visitationis B. M. V. commemoratio Octavae Apostolorum Petri et Pauli, non est desumenda ex I Vesperis festi Antiphona: *Tu es Petrus*, sed illa retinenda quae notatur in Breviario, scilicet: *Petrus Apostolus et Paulus doctor gentium etc.*; quia in die festo officium, excepta oratione communi cum S. Paulo, est totum de S. Petro, infra tamen Octavam officium est de utroque Apostolo, ideoque non est varianda Antiphona in casu.

3. Licet Festa Domini eorumque Octavae privilegio gaudeant ut in occurrentia praevaleant Dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes (cauto quod in Vesperis semper fiat prima commemoratio de Officio cuncurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis), tam in Vesperis, quam in Laudibus et Missa hic ordo servetur: 1° de Dominica qualibet; 2° de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3° de die Octava; 4° de Duplici maiore; 5° de Duplici minore; 6° de Semiduplici; 7° de die infra Octavam communem; 8° de Feria VI post Octavam Ascensionis; 9° de Feria maiori; 10° de Vigilia; 11° de Simplici (55).

(55). Ut regulae observandae in ordine Commemorationum faciles ac simplices fierent, in novis Rubricis datum fuit idem jus praelationis Dominicis, tam majoribua, quam minoribus, ita ut, quando agitur de *mera commemoratione* differentium Officiorum, praedictus ordo servandus sit.

Nam aliud est jus habere ad Vesperas, aliud ad Commemorationem. Officium, quod jus habet ad Vesperas, licet de facto integras eas non obtineat, nihilominus partem in eis habet omnino, cuiuscumque sit ritus vel nobilitatis; hinc est propterea quod tam in Rubricis Breviarii, a Leone XIII reformatis, quam in novis istis, cautum fuit, ut in Vesperis prima semper commemoratio agatur illius Officii, quod revera in ipsis Vesperis concurrat; servatis ergo juribus, duobus officiis concurrentibus, ceterae commemorationes non sunt nisi memoriae, ac proinde inter ipsas servatur ordo praescriptus. Licet ergo festa Domini eorumque dies octavae praevaleant, tam in occurrentia quam in concurrentia, ut vidimus, Dominicis minoribus, nihilominus quando de utroque officio agenda sit mera commemoratio, Dominica praevalet semper in ordine commemorationum, sive major sit sive minor.

Hac ergo ratione, statuto ordine Commemorationum in Vesperis, nulla causa suadere poterat, ut diversus ordo

servaretur in Laudibus et Missa, ac proinde in Ordine posita est quoque Vigilia, quae, uti notum est, in Vesperis locum habere numquam potest.

Ad abundantiam posita fuit 8° loco Feria VI post Octavam Ascensionis, quia bene poterat subintelligi simul cum diebus infra Octavas, quibus assimilatur, licet minoris sit nobilitatis.

Itaque hoc modo ordinandae erunt Commemorationes in Officiis pro diverso eorum ritu:

IN DUPLICIBUS I CLASSIS.

Ad I Vesperas:

De alio Duplici I classis praecedenti;

de Duplici II classis praecedenti;

de Dominica quacunque;

de Die Octava Festi Domini primarii;

de Die infra Octavam privilegiatam, Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi;

de Feria majori, Adventus et Quadragesimae.

Ad Laudes et Missam:

De Dominica quacunque;

de Octava privilegiata;

de Feria majori Adventus et Quadragesimae, ac insuper de Feria Quatuor Temporum et II Rogationum.

Ad II Vesperas:

De quacunque Dominica occurrenti et sequenti;

de Octava privilegiata;

de Feria majori Adventus et Qurdragesimae;

de quocunque Duplici vel Semiduplici sequenti, licet ad modum simplicis redacto;

Cauto tamen ut prima commemoratio fiat de officio sequenti cuiusvis sit ritus, excepto die infra Octavam non privilegiatam, aut Simplici, etiamsi agatur officium in crastino, eorum tamen commemoratio non admittit Duplex I classis.

IN DUPLICIBUS II CLASSIS.

Eaedem commemorationes agendae sunt ut in Duplicibus I classis, iusuper:

Ad I Vesperas: de quocumque Duplici majori vel minori praecedenti. et ideo de quacunque die Octava, etiam simplificatis.

Ad Laudes et Missam: pariter ut in Duplicibus I classis, et insuper: de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum simplicis redacto, et de Vigilia, ac etiam de Simplici (de quo tamen non in Missa solemni).

Ad II Vesperas, item omnes commemorationes fiunt ut in Duplicibus I classis, et insuper: De die infra Octavam sequenti, si in crastino agendum sit de ea officium (et tunc per Antiphonam et Versum e I Vesperis festi), ac de Simplici sequenti.

IN ALIIS DUPLICIBUS, IN DOMINICIS ET SEMIDUPLICIBUS.

Omnes fiunt commemorationes in die occurrentes ulla sine exceptione.

Quod autem attinet regulas praecedentiae officiorum, in commodum Lectoo um hic subiicere volumus ordinem juxta novas Rubricas.

I.

ORDO PRAEFERENTIAE OFFICIORUM IN OCCURENTIA.

1. Dominicae 1 classis.

2. Circumcisio Dni – Dies octavae Epiphaniae et Corporis Christi – Feria IV Cinerumet Feriae majoris hebdomadae – Dies infra octavae Paschatis et Pentecostes – Vigiliae Pentecoste et Nativitatis Domini.

3. Duplicia 1 classis Primaria Universalis Ecclesiae.

4. Dedicatio et Titulus Ecclesiae propriae – Patronus loci principalis – Titulus et Fundator Ordinis seu Congregationis religiosae.

5. Cetera Duplicia 1 classis.

6. Dominicae 2 classis – Dies infra Octavas Epiphaniae et Corporis Christi.

7. Duplicia 2 classis.

8. Festa Domini duplicia majora et dies octavae festorum Domini.

9. Dominicae minores.

10. Dies Octavae Duplicium 1 classis.

11. Id. Id. 2 classis.

12. Duplicia majora quae non sint Domini.

13. Duplicia minora.

14. Semiduplicia.

15. Dies infra octavas Duplicium 1 classis.

16. Id. Id. 2 classis.

17. Feriae majores, et Vigiliae.

18. Simplicia.

Nota tamen quod inter Officia sub eodem numero supra inscripta, dantur aliae notae praeferentiae, nempe:

1. Qualitas *Primarii*, ita ut festum ejusdem gradus quod sit Primarium praefertur festo *Secundario*.

2. Dignitas personalis, ita ut festum Domini, ceteris paribus, praeferatur festo B. Marie V., et sic per ordinem (Angelorum, S. Joannis Baptistae, S. Joseph, Ss. Apostolorum et Evangelistarum).

3. Sollemnitas externa, nempe feriatio, vel jus octavae, ita ut festum feriatum, vel habens octavam, ceteris paribus praferatur festo non feriato, vel octavam non habenti.

4. Proprietas, scilicet festa alicui loco propria, vel ratione patronatus, aut Ecclesiae Tituli, vel ratione Reliquiae insignis, aut ob aliam relationem cum Ecclesia vel loco juxta novas Rubricas.

5. Praeceptum universale, ita ut festa universali Ecclesiae extensa, ceteris paribus, praeferri debeant officiis

alicubi ex mero indulto S. Sedis concessa, quin revera sint propria.

6. Indultum denique particulare, ita ut festa ex indulto, cedere debent festis de praecepto ut supra.

II.

ORDO PREFERENTIAE OFFICIORUM IN CONCURRENTIA.

1. Duplicia I classis Universalis Ecclesiae (excepto festo Ss. Cordis Iesu).
2. Dedicatio et Titulus propriae Ecclesiae, Patronus loci principalis, Titulus et Fundator Ordinis seu Congregationis religiosae.
3. Cetera Duplicia I classis.
4. Duplicia II classis.
5. Dominicae maiores.
6. Festa Domini Duplicia maiora et dies Octavae festorum Domini.
7. Dominicae minores.
8. Duplicia maiora quae non sint Domini.
9. Duplicia minora.
10. Semiduplicia.
11. Dies infra Octavas Duplicium I classis.
12. id. id. II classis.
13. Feriae maiores.
14. Simplicia.

In Ordine praeferentiae Officiorum pro Concurrentia, valent eaedem notae ut in Occurrentia, exceptis ultimis tribus, nempe: *proprietas*, *praeceptum universale*, *et indultum particulare*, quia huiusmodi notae non considerantur in ordinandis Vesperis. Itaque ceteris paribus, duo officia concurrentia, unum proprium aliud universale; vel unum universale et aliud ex indulto particulare, dividunt vesperas.

Titulus VII.

De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano et de tertia oratione in Missa.

1. Quando eadem die occurrunt plura Officia, quae propriam habeant conclusionem Hymnorum vel proprium Versum ad Primam, conclusio et Versus dicantur, quae propria sunt Officii, quod ea die recitatur (56).

(56) Huiusmodi Rubrica declarat principium illud, ab omnibus liturgistis admissum, quod scilicet, in officio et Missa, si aliquid est mutandum ratione Temporis vel Octavae, puta Praefatio, conclusio Hymnorum, Versus ad Primam, mutatio ipsa facienda est semper, dummodo officium et Missa diei propriam non habeat Praefationem, seu Versum, seu hymnorum conclusionem.

Ex. gr. Dominica I Julii occurrit festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C., cuius missa praefationem habet propriam, nempe de Cruce; ergo haec Praefatio dicitur, relicta praefatione Octavae SS. Apostolorum. Pariter, in festis B. Mariae V. quae occurrunt Tempore paschali, dicitur Praefatio, conclusio Hymnorum, et Versus ad Primam, de ipsa Beata, relictis Praefatione, conclusione et Versu paschali.

Ex his ergo notionibus, sequens ordo servandus est, inter varias Praefationes eadem die occurrentes: 1° Propria de die; 2° De octava; 3° De tempore; 4° Communis. Similiter dicendum est de conclusione Hymnorum, et de Versu ad Primam. Quia vero male nonnulli auctores interpretati sunt regulam istam, et docuerunt, quod in Dominica II Adventus, ad Primam dicendus sit ℣. *Qui natus es de Virgine*, non vero: *Qui venturus es in mundum*, as-

serentes, hunc Versum esse de Tempore, et ideo ei praeferendum esse Versum Octavae, opportune per hanc Rubricam meliori ratione principium declaratur, et praescribitur. quod in casu Versus ille dicatur, qui proprius est officio diei; atqui ℣. *Qui venturus es*, revera proprius est officii Dominicae Adventus ergo iste dicendus, est, non Versus octavae.

Idem dici deberet de conclusione hymnorum, si Hymni Adventus *propriam* conclusionem haberent, hoc tamen non obstante, ex alio pariter acceptissimo principio, putamus, quod in Dominica II vel Adventus, neque conclusio Hymnorum: *Iesu, tibi sit gloria, qui natus*, dicenda sit. Enim vero, admitti numquam debet in officio quidquid cum eo non quadret, aut non conveniat; et multo minus si ei contradicat, velut ex: gr.: si in festo S. Petri exaltarentur virtutes S. Ioannis, aut in Officio Nativitatis Domini, legeretur evangelium cum homilia Resurrectionis eius.

Hinc est, quod in esto Expectationis partus B. M. V., ad Primam non dicitur ℣. *Qui natus es de Maria Virgine*, licet sit festum proprium ipsius Deiparae, sed sumitur ℣. *Qui venturus es in mundum*, de Adventu, ne dicatur iam natus, qui adhuc expectatur; sed etiam conclusio hymnorum, loco: *Iesu, tibi sit gloria*, sumitur ex Adventu: *Virtus, honor, laus, gloria*. Et est notandum, quod impune poterat retineri in dicto officio Expectationis ad Horas minores conclusio Hymnorum solita, nempe *Praesta, Pater piissime*, nihilominus voluit Ecclesia ut in illo diceretur conclusio *Virtus, honor*, etc. ac proinde quis inde arguere bene posset, huiusmodi conclusionem esse propriam Adventus, sicut certo proprius est ℣. *Qui venturus es*. Attamen, sit vel non sit propria Adventus conclusio Hymnorum *Virtus, honor*, etc. nos arbitramur, quod ipsa non sit mutanda in officio Dominicae Adventus, quae occurrit infra Octavam Immaculatae Conceptionis, ut rectus sensus absque dubio docet.

2. Deinceps, quando facienda erunt Suffragia Sanctorum, unum tantum fiet Suffragium, iuxta formulam propositam in Ordinario novi Psalterii (57).

(57) Ad maiorem simplicitatem inducendum in Officio, et etiam ut magis conveniat cum commemoratione in Missa, statutum est, quod unum tantum Suffragium fiat, adhibendo antiphonam, quae ad B. Virginem Mariam et ad omnes Sanctos dirigitur; et oratio missalis *A cunctis*, in qua ad litteram N. exprimi debet nomen S. Titularis propriae Ecclesiae. Quod si aliquis nulli Ecclesiae sit adscriptus, neque ratione beneficii, neque ratione ministerii ex deputatione Ordinarii, bene exprimere potest nomen Titularis propriae paroeciae. Vide notam 3 ad Psaltarium.

3. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in in Festo Ss. Trinitatis et in Dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de eis persolvendum est Officium, salva exceptione, de qua n. sequenti.

4. Quando in Dominica fit commemoratio de aliquo Officio Duplici, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, omittuntur Suffragium, Preces, Symbolum *Quicumque* et tertia Oratio in Missa (58).

(58) Uti nos probavimus, cum Merato et Montfauçon, (Praelectiones S. Liturg. p. 154) non amplius eruditi tribuunt compilationem Symboli *Quicunque* s. Athanasio. In constitutionibus anni 889 Episcopi Suessionensis a Merato citatis (sect. 5, c. 8, n. 1), huiusmodi Symbolum vocatur: *Sermo fidei Catholicae, cuius initium: Quicumque vult salvus esse;* ex quo non immerito argui potest, tunc temporis symbolum ipsum sub nomine S. Athanasii non venisse. Hodie (Cf. *Civiltà Cattolica* 4 Dic. 1910 p. 591) nonnulli putant s. Ambrosium huius symboli fuisse auctorem; attamen ne antiqua traditio omnino obliteretur, Symbolum Athanasianum vocatum est.

Ut autem obtineatur maior brevitas in Officio Dominicali, opportune statutum est, quod Symbolum ad Primam dicatur tantummodo in Dominicis post Epiphaniam et

Pentecosten, quia Dominicae maiores, iam habent psalmos longiores ad Laudes, et reliquae Dominicae, quae occurrunt in Octavis privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis ac Corporis Christi, et Tempore Paschali, cum festiviore Officio celebrentur, omittunt Symbolum. Hac eadem ex ratione omitti praecipitur iis in Dominicis, in quibus occurrit aliquod Duplex ad instar simplicis commemorandum. Itaque Athanasianum Symbolum dicetur exinde, tantummodo ad Primam Dominicarum minorum, quae occurrunt post Octavam Epiphaniae, usque ad Septusgesimam, et post Octavam Corporis Christi usque ad Adventum, dummodo, ut innuimus, non occurrat commemoratio alicuius duplicis simplificati, aut alicuius Octavae.

Titulus VIII.

De Officiis votivis deque aliis Officiis addititiis.

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causae cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 iulii 1883. pro Officiis votivis, haec ipsa Officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur (59).

(59) In Decreto generali d. d. 5 Iulii 1883 n. 3581, quo concessa fuerunt officia votiva universae Ecclesiae, legitur: " Compertum quippe est, coarctata translationum serie, haud leviter inde augeri onus Officiorum ferialium, quod imminuto hodie Cleri numero, auctisque aliis eius oneribus, minime convenire existimatur „.

Quibus de causis, S. R. C. indultum dedit generale dicendi Officia votiva, omnibus feriis per hebdomadam universo clero saeculari et regulari, etiam in Quadragesima et in Adventu. Cum itaque hodie officium feriale brevius evaserit, quam officium Sanctorum, habet enim ad Matutinum tantummodo novem psalmos, et quidem bre-

viatos, et tres lectiones, cessaverunt omnino causae, ob quas indulta fuerunt officia votiva: et ideo opportunissime per hanc Rubricam sunt abrogata. Sed in ea dicuntur etiam suppressa et alia officia votiva, quae aliquibus dioecesibus et Ordinibus regularibus concessa fuerant: mens enim est Summi Pontificis, ut officium feriale ad pristinum honorem restituatur. Et sane, desiderium semper fuit Ecclesiae, ut Officium Feriarum, maxime Quadragesimae et Adventus, quoad fieri potest, numquam omitteretur: et ideo in Rubricis Breviarii (Tit. VIII n. 1, et post Tab. Occurr.) iis temporibus prohibentur Octavae. Concessa quidem fuere etiam officia votiva, ut diximus, aliquibus Dioecesibus et Religionibus, semper tamen exclusis temporibus Adventus et Quadragesimae, et tantummodo semel vel bis in mense, numquam vero ita, ut omnes feriae per hebdomadam impedirentur. Nemo ergo, sacrae antiquitatis cultor, huiusmodi abrogationem votivorum officiorum plenisssime non laudabit.

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus praescriptis, Officium parvum B. Mariae Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos Graduales ac Poenitentiales. Capitula vero, quae ad ista Officia addititia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt.

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum (60).

(60) Ut in choro divinum officium cum maiore attentione ac pietate recitetur, omnes conveniunt, quod brevitas eius ad hunc finem obtinendum conspirat; hinc, cum facilius, quam antea, hodie dicenda sint officia ferialia in Quadragesima et Adventu, ob suppressionem translationis omnium Duplicium etiam maiorum, voluit Summus Pontifex benigne supprimere obligationem recitandi officia

additionalia, nempe parvum B. M. V., Defunctorum, nec non Psalmos Graduales et Poenitentiales.

Et sane, proprium est conditionis humanae naturae, ut in prolixioribus neque variatis occupationibus, mens valde defatigetur. Hinc est propterea, quod ipse s. Benedictus, aliique Ordinum institutores, mandaverunt, ut pluries in die in Chorum adiretur, non longum tamen tempus in singula Hora Canonica insumendo, atque interpositis vel manualibus operibus, vel litterarum studiis, sicque psallentium animus facile, et fructuosius Deo esset intentus. Atqui, cum in civitatibus amplioribus clerus pluries ad Cathedralem Ecclesiam accedere nequeat, nisi cum non parvo incommodo, et cum consequenti jactura aliorum operum, in quibus nostra aetate est occupatus; et cum proinde sancta Sedes (licet aegro animo, ex necessitate tamen) concesserit, ut mane Officium nocturnum et diurnum simul persolveretur, cum Missa Conventuali, et saepe saepius cum duabus vel tribus, quomodo choralium mens jugiter permanere poterit in Deo absorpta?

Candide confitentur, piissimi quoque Ecclesiastici viri quamplurimi, quod, paulo post primam horam, praesentia in choro tantum corporalis evadit, mens est defatigata, lassatus est animus. Nonne ergo melius est, ut brevior sit permansio in choro, prompto tamen animo, et mente semper Deo intenta? Procul dubio huiusmodi fuisse voluntatem Summi Pontificis, dicendum est, quum abrogare jussit officia additita, et quotidianam psalmodiam contraxit.

Quia vero in aliquibus Capitulis, ut Canonici frequentarent chorum, etiam quando huiusmodi additionalia officia vel psalmi dici debebant, speciales distributiones ex fundationibus piorum constitutae fuerunt, Capitula Canonicorum, quae huiusmodi habent onera ex fundatione, supplicem libellum ad S. Sedem mittere curent, pro impetranda opportuna commutatione.

Quod autem attinet ad recitationem Litaniarum, die 25 aprilis, et diebus Rogationuum, haec immutata manet, non tantum in choro, sed etiam in privata officii recitatione.

Titulus IX.

De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiae et de Patronis.

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini (61).

(61) Quod festum Dedicationis Ecclesiae sit festum Domini. iam docuerant plurimi ex doctoribus melioris notae, nostrae praesertim aetatis; nonnulli tamen dubitarunt, vel id omnino negarunt (Cf. Gavantum cum Merato sect. 3, c. 8; Guyetum IV, 15, et Cavalerium T. 1, decr. 16). Hodie vero quaestio a S. R. C. resoluta fuit decreto generali 4 februarii 1896 N. 3881; et sane, festa Ecclesiae instituta sunt, nonnisi in honorem Dei directe, ut solemnitas Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi etc. vel in honorem B. Mariae V. Angelorum, vel Sanctorum; ergo festum Dedicationis Ecclesiae, cum non habeat pro obiecto, neque mediato, ullum Sanctum, vel Angelum, vel B. M. V., restat, ut sit institutum directe in honorem Dei. (Cf. suffrag. super eod. decr. Vol. 4 Decr. p. 408).

Item disputatum est quoque, utrum Anniversarium Dedicationis Ecclesiae, esset Primarium festum, etiam quando celebrandum sit pro Ecclesia aliena, scilicet ex gr. Dedicatio Cathedralis pro Regularibus. Hac super re fatendum est extare quoque aliquod S. R. C. decretum, quod favet illis, qui docebant revera in casu Dedicationem alienae Ecclesiae esse festum secundarium. Notandum est tamen, quod si de una eademque Ecclesia, plusquam una consecratio fieri posset, tunc optime diceretur quod una ex ipsis Dedicationibus sit primaria, et aliae secundariae; cum vero, e contra, una tantummodo haberi possit consecratio Ecclesiae, haec omnimode debet esse primaria, quia, quod unicum est, non potest habere secundum in ordine suo. Hoc nos docuimus (Praelect. Lit. pag. 235), et valde

gaudemus, quod sententia nostra per S. R. C. adprobata fuerit suo decreto 16 februarii 1910.

Enimvero, iuxta Rubricas Breviarii, nemo debet celebrare festum Dedicationis Ecclesiae, nisi sit *Propria*, et hoc sensu eadem S. R. C. suo decreto, iam citato n. 3863, declaravit, quod tam festum Titularis Ecclesiae, quam Dedicationis eiusdem, celebrandum sit ab iis omnibus e clero, quibus Ecclesia *propria* est, aut ratione beneficii, aut ratione *subiectionis*. Cum ergo Clerus dioecesanus, ratione subiectionis teneatur ad recitandum Officium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, et etiam Regulares, qui Episcopo, in cuius territorio degunt variis in adiunctis subiiciuntur, pro ipsis quoque Ecclesia Cathedralis est revera *propria*; et quia defendentes sententiam, nobis contrariam, docebant, Dedicationem ecclesiae alienae esse festum secundarium, posito nunc a S. R. C. quod Cathedralis in casu non sit Ecclesia aliena, sed *Propria*, cadit argumentum eorum.

Quidquid sit ergo de disputatione doctorum hac super re, nunc nova Rubrica ista principium a S. R. C. admissum solemniter confirmat, quod scilicet Anniversarium cuiuslibet Ecclesiae sit semper festum Domini et Primarium.

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava (62).

(62) Festum Titularis Cathedralis celebratur a Regularibus sub ritu Duplicis I classis, etiamsi extra Civitatem episcopalem degerent; dum anniversarium eiusdem ecclesiae recolebatur a Regularibus tantummodo in civitate degentibus, et quidem sub ritu 2 classis. Quod, ut nos iam

notavimus in nostris Praelectionibus (loc. cit.) bene non comprehenditur; si enim ratione subiectionis tenentur Regulares in civitate degentes, etiam qui in dioecesi commorantur, nec plus nec minus. subiiciuntur Episcopo. Item, si sub ritu 1 classis celebrari debuit festum Titularis Cathedralis, quod est minus, eo magis sub eodem ritu celebranda est Dedicatio eiusdem, quod est maius, cum sit festum Domini.

Itaque Rubrica ista omnem differentiam optime tollit inter clerum saecularem et regularem, quoad ritum; et inter clerum dioecesanum et urbanum quoad Octavam; recognoscit tantummodo exceptionem favore Regularium, de non celebranda Octava, tum Titularis tum Dedicationis Cathedralis, dummodo tamen proprium calendarium perpetuum non obtineant; quia, si calendario dioecesano utuntur, tunc etiam Octavam celebrare debent.

Hoc sciant, ex gr., Congregationes illae, quae utuntur Calendario Cleri Romani. quia licet sint Regulares, et ad octavam Titularis et Dedicationis non teneantur, hac tamen ratione, quia Romae utuntur calendario dioecesano, in posterum celebrare debent etiam Octavam tum Transfigurationis Domini, tum Dedicationis Lateranensis Basilicae. Quod hic dicimus pro Congregationibus, quae in Urbe degunt, valet etiam pro alumnis eiusdem Congregationis alibi commorantibus; fictione enim iuris considerantur de clero Romano.

3. Quum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini, quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicae sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur (63).

(63) Antiquitus, ut videre est in Costitutionibus venerandi Capituli Lateranensis (Edit. 1858), Transfiguratio Domini, tamquam festum Titulare Basilicae minime celebratum fuit, eo quod suo titulo Resurrectionis Dominicae fundata fuisse dicitur. Cum vero Gavantus in suo Octavario romano, a S. R. C. adprobato (19 Febr. 1622) his verbis diem 6 Augusti inscripserit: " Infra Octavam Transfigurationis Domini seu Salvatoris ..: factum est, ut plures Ecclesiae, dicatae Ss. Salvatori, festum Titulare suum celebrare coeperint ea die, quod profecto probavit S. R. C. decreto suo 29 Nov. 1755, n. 2439.

Teste autem Gardellinio (Decr. Authent. Vol. 4, p. 344, vot. in decr. 2721) hoc idem confirmatum fuit per aliud decretum (quod tamen in collectione sive antiqua sive nova non invenitur) 6 Aug. 1831 pro Urbe emanatum; in eo dicitur, quod festum Transfigurationis D. N. I. C. in Archibasilica Lateranensi occurrens VIII idus Augusti, ceu Titularis fuerit hactenus celebratum; quo quidem die idcirco Gregorius xj idem festum Transfigurationis celebrandum aliis etiam locis concessit, et eo ritu, qui Titularibus convenit. Igitur, cum in dicta Basilica festum Titulare celebretur die 6 Augusti, etiam a toto Romano Clero, sub ritu duplici I classis recolitur.

Quoniam vero clerus universae Ecclesiae, iure divino subiacet Episcopo Romano, tamquam S. Petri successori, in signum huiusmodi subiectionis, uti supra declaravimus, anniversarium Dedicationis Cathedralis ipsius Romani Antistitis universalis, eiusque Titularis, celebrare decet omnino.

Hucusque huiusmodi festa dioeceseos Romanae in universali Ecclesia ritu duplici maiore celebrata sunt; propositum quidem fuerat ab aliquibus, ut ubique terrarum, ritu Duplici I classis recolerentur; sed opportunum potius visum est, ut augeretur tantummodo, et ritus 2 classis illis datus fuit, ne Festa 1 classis nimis succrescerent, et perpetuo exinde perirent officia simplicia SS. Xisti et Sociorum die 6 Augusti, et S. Theodori die 9 novembris. Ceterum non eodem modo subiicimur Romano Episcopo; clerus enim almae Urbis strictiore vinculo illi obstrin-

gitur, cum nullum alium Episcopum venerari debeat, nisi Summum Pontificem; clerus vero aliarum dioeceseon, suum quisque Episcopum habet, cum quo, Christi in terris Vicario absoluta dependentia subiicitur.

Illi quoque, qui peculiarem latinum ritum sequuntur, a Romano diversum, in posterum debent celebrare festa Ss. Salvatoris et eius Dedicationem, eodem ritu 2 classis. Hinc Carmelitae antiquae observantiae, ritu duplicis maioris 2 classis, ut ipsi vocant, Dedicationem ipsam celebrabunt, cum Transfigurationem iam agant tali sub ritu. Pariter Fratres Praedicatores, iuxta praescriptum eorum Breviarii (Rubr. XXXVI, 4) ritu, quem vocant Totum Duplex, Dedicationem Basilicae Lateranensis exinde peragent, nam et ipsi sub eodem ritu toto Duplici iam colunt Transfigurationem. Similiter Ambrosiani idem festum Transfigurationis Domini celebrant ritu Duplici 2 classis; quia vero Dedicationem Basilicae Lateranensis inscriptam non videmus in Breviario (Edit. Gaisruch 1830), hoc festum hodie in calendario Ambrosiano inscribendum erit, et dicto ritu celebrandum.

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis,vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis, et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava (64).

(64) Quae supra dicta sunt de Titulari et Dedicatione Ecclesiae Cathedralis, dicenda sunt quoque de Patrono principali loci. Rubrica ista per se patet, et nulla indiget expositione; unum solummodo est notandum, scilicet, quod Regulares degentes in loco, ubi recolitur festum Patroni, debent et ipsi sub ritu 1 classis celebrare, iuxta solitum, et quidem cum octava, si proprium non habeant calendarium, sed diocesano calendario utantur.

Quaecumque ergo festa Sanctorum, qui legitime tamquam Patroni sub ritu duplicis I classis recoluntur, licet post legem Urbani VIII unus tantum ex iis cum feriatione celebratus fuerit, pariter a Regularibus sunt celebranda, ad mentem S. R. C. (decr gen. 9 iulii 1895, n. 3863, 4), et quidem cum officio proprio, integro, vel in parte tantum, si pro loco ubi Patroni honorantur, integrum non fuerit concessum.

Titulus X.

De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis.

1. In Dominicis, etiam minoribus, quodcumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel eius dies Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominica cum commemoratione Festi. Quod si Festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio (65).

(65) Rubrica huiusmodi nil aliud est, nisi corollarium alterius, nempe Tituli III, n. 2, in quo praescribitur, persolvendum esse semper officium de Dominica, etiam minore, dummodo non occurrat Duplex aliquod 1 vel 2 classis, aut aliquod festum Domini vel eius dies Octava. Additur hoc loco, quod, si in Dominica occurrat aliquod Duplex commemorandum, tunc, in eius obsequium, sicut et infra Octavas, omittenda est III oratio in Missa, sicut omittuntur suffragium et preces.

2. In Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis (non tamen I vel II classis aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque

Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi (66): prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis: quae item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae (67). In Quadragesima vero, Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in Kalendario Ecclesiae in qua Missa celebratur (68).

(66) Dispositio huiusce Rubricae ad libitum relinquit celebrationem Missae in Feriis et Vigiliis propriam missam habentibus, vel de festo occurrenti, vel de feria aut Vigilia, dummodo tamen festum occurrens non fuerit Duplex 1 aut 2 classis. Ratio est, quia in casu Missa est propria de die, tam si legatur de Feria vel Vigilia, quam de Festo.

Cum autem mens sit Summi Pontificis, ut redeat pristinus honor, quem patres nostri tribuebant missis ferialibus, et cum de facto, missae in honorem sanctorum, ut plurimum centies milliesque de communi repetantur, melius est, ut de Sancto in missa fiat commemoratio debita, et Sacerdotes potius legant proprias missas feriarum, quae ex communi sententia doctorum, pulcherrimae sunt ac mira venustate et pietate praeditae.

Nonnulli quidem proposuerant, ut de praecepto, missae huiusmodi semper essent dicendae, commemoratis officiis; attamen consultius statutum est, ut ad libitum celebrantium, res derelinqueretur; in posterum vero, multa festa ex Quadragesima amovebuntur, ut frequentius Officium feriale in dicto venerando tempore dicatur.

(67) *Prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro defunctis; quae item prohibentur in Feria, in qua anticipanda vel reponenda sit Missa Dominicae.* Lex ista liquido consequitur; cum enim desiderium sit Ecclesiae, ut quoad fieri possit, non omittantur Missae feriales, necessario Votivae et Defunctorum privatae prohiberi de-

buerunt diebus omnibus, in quibus missae huiusmodi habentur in Missali; alioquin nil valeret haec nova Rubrica, si votivae Missae aut pro defunctis in feriis istis adhuc permitterentur.

Vetantur quoque missae votivae et pro Defunctis ea die, qua anticipanda vel reponenda sit missa Dominicalis. Anticipatur missa de Dominica aliqua post Epiphaniam, et aliquando etiam Dominica XXIII post Pentecosten, cum de iis agi nequeat officium, vel saltem commemoratio in sua die; quando scilicet Dominicae post Pentecosten sint tantummodo 23, vel quando aliqua Dominica post Epiphaniam celebrari nequeat, nec transferri post Pentecosten.

Item quando Missa de Dominica aliqua per annum impedita sit a Duplici 1 vel 2 classis, vel ab aliquo festo vel die Octava Domini, de ea fit quidem commemoratio, attamen, si infra suam hebdomadam sequentem fieri debeat officium de feria, iuxta Rubricas Missalis (IV, 3) missa legenda est de praecedenti Dominica: quo in casu missae pariter votivae et Defunctorum prohibentur, ut legatur missa Dominicalis, quae sua die omissa fuit.

(68) *In Quadragesima vero, Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae, libera in Kalendario Ecclesiae, in qua missa celebratur.* Ne scilicet tota Quadragesima, missae pro defunctis prohiberentur, hoc loco conceditur, ut prima die libera cuiusvis hebdomadae, libera nempe a quolibet officio duplici, possint dici missae pro defunctis. Quae concessio valet solummodo pro missis Defunctorum, non vero pro aliis missis votivis. Item, prima dies libera in hebdomada ea consideranda est, quae habetur libera in calendario Ecclesiae, in qua missa celebratur. Itaque si ego, ex. gr., Feria III alicuius hebdomadae Quadragesimae, celebro missam in Ecclesia, in qua die praecedenti, utpote libera, celebratae sunt missae defunctorum privatae, licet in meo calendario ipsa feria III sit prima libera ab officio duplici, non amplius ego legere possum missam defunctorum, eo quod standum est, in casu, calendario Ecclesiae, in qua Sacerdos Sacrum facit.

3. Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur (69). Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur (70).

(69) *Si alicubi aliquod festum impeditum a Dominica minore, celebretur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius) missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una missa de Dominica ne omittatur.* Intellige tamen, dummodo agatur officium ipsius Dominicae, vel alicuius festi Domini ritus duplicis maioris, vel de aliqua die Octava Domini, nam si in Dominica minore agitur festum duplex 1 vel 2 classis, tunc missa de alio festo impedito celebrari nequit, nisi sit cantata, iuxta Rubricam Missalis (Tit, VI). Missae autem de festo impedito celebrari poterunt cum commemoratione Dominicae, tantummodo in Ecclesiis, in quibus plures dicuntur Missae; etenim, cum una saltem Missa de Dominica omittenda non sit, in Ecclesiis, ubi una tantum missa existat, haec de Dominica omnino esse debet.

Itaque, in locis, in quibus ex. gr. Dominica III Octobris sive ex voto, sive fundatione, cum concursu fidelium celebratur festum Puritatis B. Mariae V., si Ordinarius iudicet, quod revera existant causae rationabiles, et verus habeatur populi concursus, bene poterunt omnes missae, in illa Ecclesia celebrari de Puritate, una excepta de Dominica, quae convenienter esse deberet illa, in qua Parochus Evangelium populo explicare solet.

(70) *Quoties extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium*

in fine legatur. Antiquitus in missis, quae non erant de die, numquam dicebatur Evangelium de Dominica vel de feria, etiamsi de ea fieret commemoratio. Lex ista procul dubio ad normam ducta fuit, qua moderantur duae missae in choro Cathedralium; quando enim duae dicendae sunt missae in choro, una de festo, alia de feria, in neutra fit commemoratio de altera, ac proinde neque ultimum Evangelium legitur. Ita in missis solemnibus votivis, non fit commemoratio officii currentis, et ideo neque ultimum Evangelium dicitur; quando vero de Dominica, vel de Feria agitur commemoratio, non videtur, cur omitti debeat Evangelium in fine, lectio enim Evangelii in casu est pars ipsius Commemorationis. In hac ergo nova Rubrica, opportune praescribitur, in Missa qualibet, in qua commemoratur vel Dominica, vel Feria, vel Vigilia, de ipsis recitandum quoque esse ultimum Evangelium in fine.

4. Ad Missam Dominicae, etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum maioris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicae, cum Praefatione Ss.mae Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavae alicuius Festi Domini (71).

(71) Juxta Missalis Rubricam (XIII, n. 2, 4 et 5) color paramontorum in missis dominicalibus, est violaceus in omnibus Dominicis majoribus, albus in Dominicis post Pascha, ac infra Octavae Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi, et viridis in Dominicis post Epiphaniam et Pentecosten.

Sed huiusmodi color viridis mutabatur in album, vel in rubrum, quando Dominica infra Octavam, unum ex istis coloribus habentem, incidebat.

Cum autem hodie Missa Dominicalis restituta sit in suo antiquo honore, visum est quoque illi tribuere jus non variandi proprium colorem. Quapropter, post Epiphaniam, et post Pentecosten, semper utendus erit color viridis, quotiescunque Missa de Dominica cantetur vel legatur.

Item, ob eamdem rationem, et etiam, quia Praefatio de Trinitate propria est de die Dominico, nunquam mutanda erit Praefatio, etiamsi occurrat Dominica infra octavam aliquam, propriam Praefationem habentem. Excipe tamen Dominicas, quae occurrunt infra Octavas festorum Domini, nempe Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Christi; et etiam, nostro judicio, infra Octavas Nominis Jesu, SS. Cordis, Redemptoris, Transfigurationis etc., quia, in casu, agitur de Praefatione festorum Domini, quae Missae de Dominica bene congruunt.

5. Leges pro Missis Defunctorum in cantu, immutatae manent. Missae vero lectae permittuntur in Duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit Festum de praecepto, aut Duplex I vel II classis, vel Feria excludens Duplicia I classis. Quoad vero Missas lectas Defunctorum dicendas diebus ritus Semiduplicis aut Simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in Feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi Missis de Feria orationem addi pro Defunctis, pro quibus Sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis. Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae Defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, Summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis. In reliquis autem Feriis per annum n. 2 non exceptis, nec non in Semiduplicibus infra Octavas non privilegiatas et in Simplicibus, Missae Defunctorum sicu et aliae Missae votivae dici poterunt iuxta Rubricas (72).

(72) Missae defunctorum in cantu iisdem diebus, et iisdem sub conditionibus celebrari possunt, sicut disponunt Rubricae Missalis, anno 1897 emendatae, et liturgici

scriptores docent; hac enim de re nil diversum praescribunt novae Rubricae, quas hic exponimus. Quod autem attinet missas lectas, quae praedictae emendatae Missalis Rubricae permittunt in die obitus aut depositionis, etiamsi occurrat festum duplex, aliquid novi declaratur circa duplicia 2 classis.

Antiquae Rubricae S. Pii V missas lectas omnino vetabant, etiam in die obitus vel depositionis, quando occurrebat quodvis Duplex, etiam minus; cum autem plus aequo duplicia in Calendariis succrevissent, ac proinde raro, nempe nonnisi in diebus semiduplicibus, etiam praesente cadavere, celebrari possent missae lectae, S. R. C. tandem legem istam mitigare voluit, et suis generalibus decretis 19 Maji 1896 n. 3903 et 12 Januarii 1897 n. 3944, permisit, ut huiusmodi missae pro defuncto, cuius celebrantur exequiae, legi possent, etiam in diebus ritus Duplicis, exceptis tantummodo omnibus Festis diebus de praecepto, Duplicibus 1 classis, nec non diebus privilegiatis, qui celebrationem excludunt ipsorum Duplicium 1 classis.

Viri illi ecclesiastici, qui, uti dicitur in decreto 3903, rogaverant, ut etiam diebus duplicibus minoribus missas legere fas esset, admirati sunt, quod in concessione ne Duplicia quidem 2 classis forent excepta.

Ratione huiusmodi admirationis, in die depositionis Cardinalis Miecislai Lodokowski, quae incidit die s. Jacobi Apostoli (25 Julii) anni 1902, nonnulli Praelati disposuerunt, ne in exequiis illis, celebrarentur in nigris missae lectae, pro defuncto Cardinali, quia festum erat 2 classis, et quidem de praecepto, licet suppresso. Nunc ergo excipiuntur quoque duplicia 2 classis, quia semper inter solemniora habita sunt in Liturgia.

Missae vero lectae, quae diebus infra octavas non privilegiatas, et in festis ritus semiduplici celebrari possunt, juxta Rubricas Pii V, quae immutatae manent, hodie impediuntur tantummodo in Feriis Quadragesimae, quatuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, ut supra dictum est, cum exceptione ibidem posita, quoad primam Feriam cuiusque Hebdomadae in Quadragesima.

In missis porro, quae celebrantur in feriis exceptis, in colore violaceo, permittit Summus Pontifex, ut addi possit oratio pro defunctis, in quorum suffragium applicantur, paenultimo loco, prout disponit Missalis Rubrica (VII, 3).

Titulus XI.

De Collectis in Missis.

Quod ad Collectas ab Ordinariis locorum imperatas attinet, deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi praescriptae) non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in Duplicibus II classis, in Dominicis maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa dicendae sint plus quam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae (73).

(73) Cum in hac reformatione Officii divini, inter alia, dignitas Festorum solemnium et Dominicarum, et etiam brevitas Officii prae oculis habita fuerit, incongruum non esse existimatum fuit, etiam de Collectis agere, ac propterea melius declaratur quando ipsae sint omittendae.

Juxta antiquam legem, prohibitae erant tantummodo in Duplicibus 1 classis, in Vigiliis Nativitatis ac Pentecostes, et in Dominica Palmarum; in Duplicibus vero 2 classis, erant vetitae in Missis cantatis, et etiam in conventuali, licet esset lecta (cf. S. R. C. Decr. 2461, 2597, 3009). Hodie vero prohibentur etiam in omnibus Duplicibus 2 classis, etiamsi missae sint privatae, et in omnibus Dominicis majoribus, et infra Octavas privilegiatas, nempe Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Christi. Et quia multis jam in dioecesibus consuetudo coeperat omittendi collectas, de mandato Episcopi, etiam quando in missa dicendae erant plus quam tres orationes, a Rubrica ea die praescriptas, opportunissima huiusmodi consuetudo

adprobata fuit, et tamquam lex universalis hodie ubique est observanda, ita ut Episcopi diebus hic exceptis, imperare nequeant collectam aliquam.

Excipe tamen, si agatur de *re gravi*, de cuius gravitate judex est Episcopus, quia tunc Ordinarius collectas imperare potest etiam diebus exceptis, uti declaravit S. R. C. (7 Augusti 1875, n. 3365, III).

Titulus XII.

De Missis Conventualibus.

In Ecclesiis, in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant; aliae Missae, quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur, in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litaniis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificit, Electionis et Consecrationis seu Translationis Episcopi, nec non in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canonicorum, omnesque Missae ex fundatione (74).

(74) Una tantum nunc missa in choro cantari debet, quandocumque duae vel tres missae (uti in Vigilia Ascensionis in qua occurant Missae de Rogationibus et de Vigilia, ac etiam ut plurimum missa de officio novem lectionum occurrente), ex Rubrica dicendae sunt in Cathedralibus et Collegiatis; porro ex benigna dispositione regnantis Pontificis, missa tantummodo Officio diei conveniens

in Choro celebrabitur, aliae extra chorum. Igitur Capitulum curabit, ut alia missa in Ecclesia sua celebretur, post tamen horam canonicam propriam, quae missa olim canenda erat in choro.

Hic dicitur, quod missa conventualis esse debeat *de officio diei*, illa scilicet quae cum officio diei conveniat, uti si in Feria IV Temporum occurrat aliquod festum duplex vel semiduplex, de eo post Tertiam erit cantanda missa conventualis, et missa ferialis post nonam privatim absque assistentia choralium celebrabitur. In Ecclesiis, ubi in Quadragesima habentur quotidie conciones, valde laudabile esset, si ante concionem, populo adstante, missa celebraretur de Feria; eo magis, hoc est dicendum, si concio fieret infra Missam Conventualem.

Merito excipiuntur ab hac regula, missae Rogationum et in die S. Marci, ratione processionis, nec non tres missae in festo solemni Nativitatis, atque ille quae in anniversariis electionis aut consacrationis Summi Pontificis, vel Episcopi proprii, vel ex aliqua fundatione, praesente choro, sint celebrandae.

Titulus XIII.

De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

1. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, omissis Officio et Missa diei currentis, fit tantum Officium cum Missa pro Defunctis, prout in Appendice novi Psalterii praescribitur.

2. Si die 2 novembris occurrat Dominica vel aliquod duplex I classis, Commemoratio Defunctorum celebrabitur die proxime sequenti, similiter non impedita; in qua, si forte occurrat Duplex II classis, hoc transfertur iuxta regulam traditam Tit. III n. 3 (75).

(75) Nulla indiget elucidatione Rubrica ista, siquidem, die 2 Novembris, vel die 3, quando in crastino Omnium Sanctorum occurrit Dominica, vel Festum Duplex I classis, deinceps agenda erit Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, cum Officio solito quod invenitur in fine Breviarii Romani; attamen Lectiones trium Nocturnorum, propriae dicendae erunt, prout in Appendice novi Psalterii proponuntur. Idem dicatur de Horis minoribus, quae ibidem habentur, cum ea die non amplius fieri debeat de die infra Octavam Omnium Sanctorum. Sed de hisce partibus officii Omnium Defunctorum suo loco nobis erit dicendum.

PRAESCRIPTIONES TEMPORARIAE

I. Kalendaria uniuscuiusque Dioeceseos, aut Ordinis seu Congregationis Breviario Romano utentium, pro anno 1913, ad Regulas supra traditas omnino redigenda sunt (76).

(76) Regula ista nil aliud est, nisi applicatio praescriptionis in Bulla *Divino afflatu* factae; quivis ergo locorum Ordinarius, et Regularis familiae Superior, ritum Romanum sequentes, juxta quae explicavimus in nota 1, curare debent, ut Calendarium Liturgicum proximi anni 1913, iuxta novas has Rubricas, conficiatur.

II. Diebus Dominicis, quibus in Kalendariis proximi anni 1912 inscribuuntur, sub ritu Duplici maiori vel minori, Festa Sanctorum, vel Angelorum vel etiam B. Mariae Virginis, vel dies octava, quae non sit Festorum Domini, tum Officium in privata recitatione, tum Missae lectae erunt ad libitum, vel

prout notatur in Kalendario anni 1212, vel de Dominica cum commemoratione duplicis maioris aut minoris. In Feriis quoque, de quibus Tit. X n. 2, Missae privatae celebrari poterunt, ut ibi adnotatur (77).

(77) Vi huiusce concessionis, anno praesenti 1912, quisquis pro lubito, recitare poterit divinum Officium, et Missas celebrare, vel ut in Calendario ipsius anni 1912 ordinatur, vel juxta novas Rubricas, nonnullis exceptis.

Nonnullis exceptis dicimus, eo quod, ex. gr. translationes officiorum, hoc anno jam factae in Calendario, erunt servandae etiam ab iis ex Clero, qui statim novo Psalterio uti desiderant; in Dominicis autem minoribus, in quibus Calendarium ponit aliquod Festum, quod non sit Duplex I vel II classis, aut Festum quodcumque Domini, vel ejus dies Octava, pro lubitu quisquis poterit agere officium de Dominica cum commemoratione festi eo die occurrentis, vel de festo eodem, cum commemoratione Dominicae, ut in Calendario praescribitur.

Similiter in Feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum et II Rogationum, sicut et in Vigiliis, Missae tantummodo, non Officium, si occurrat aliquod Festum novem Lectionum, celebrari poterunt pro lubito, vel de Festo, vel de Feria.

Quod hic dicitur de celebratione privata Officii et Missa de Dominicis minoribus, intelligi quoque potest de Chorali celebratione, prouti permittit explicite Summus Pontifex in sua Constitutione, ut supra in nota (*q*) dictum est.

Quaerendum est tamen, utrum etiam hoc anno 1912, ii qui Officium Divinum recitare coeperint juxta novum Psalterium et novas Rubricas, teneantur quoque Missas votivas vel pro defunctis numquam legere, in Feriis praedictis, excepta una tantum missa pro ipsis Defuuctis quavis hebdomada in Quadragesima. Quia agitur de indulto, verum praeceptum, ut patet, non est hoc ipso anno 1912 omittendi missas votivas et pro defunctis in Feriis de quibus agimus;

attamen, qui statim ab istis Missis celebrandis abstinebit, finem legis magis obtinendum curaret, ac proinde nostro judicio, bene id facere potest, etiam si Missam iis in Feriis ex commissione celebret.

III. Quod Tit. XIII harum Rubricarum dispositum est quoad Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, inde ab anno 1912, in usum omnino deducendum est (78).

(78) Dispositio huiusmodi tollit libertatem, sed jam ab anno 1912 Officium die 2 novembris persolvendum erit tantummodo pro Omnibus Defunctis, omisso illo de secunda die infra Octavam Omnium Sanctorum.

IV. Usque dum nova correctio Breviarii et Missalis Romani, a Sanctissimo Domino Nostro decreta, vulgetur :

a) Kalendaria perpetua Sacrae Rituum Congregationi reformanda et approbanda deferri non debent ; (79)

b) De Festorum augendo ritu, vel de Festis novis invehendis nulla fiat postulatio ; (80)

c) Festa particularia, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum aut Beatorum, ritus Duplicis maioris aut minoris, Dominicis diebus assignata, locorum Ordinarii seu Superiores Regularium, aut in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa commemoranda praescribant ; aut in aliam diem, validis S. R. C. oblatis argumentis, transferenda curent ; aut potius omittant ; (81)

d) Nulla interim facta correctione Rubricarum, Regulae superius traditae in novis Breviariis et Missalibus post Rubricas Generales inserantur,

omissis S. R. C. Decretis, quae hucusque in principio Breviarii inserta inveniuntur; (82)

e) In futuris Breviarii editionibus mutentur, ob novam Psalterii reformationem, sequentes Antiphonae in Laudibus (83):

In Dominica Sexagesimae:

Ant. 5. In excelsis * laudate Deum.

In Dominica III Quadragesimae:

Ant. 3. Adhaesit anima mea * post te, Deus meus.

In Dominica IV Quadragesimae:

Ant. 3. Me suscepit * dextera tua, Domine.

In Feria IV Maioris Hebdomadae:

Ant. 3. Tu autem, Domine, * scis omne consilium eorum adversum me in mortem.

Ant. 5. Fac, Domine, * iudicium iniuriam patientibus: et vias peccatorum disperde.

(79) Calendaria perpetua vel reformanda, vel ex novo approbanda, S. R. C. deferri hic prohibetur, quia in proxima Breviarii reformatione, cuius nova distributio Psalterii non est nisi primus gradus, ut ait Summus Pontifex, Calendarium Universalis Ecclesiae erit emendandum; ideoque inutiliter hodie adprobaretur Calendarium perpetuum particularis Ecclesiae vel Ordinis, quando brevi denuo reformari deberet.

(80) Eadem ex ratione hic prohibetur, ne S. R. C. fiat postulatio ulla tam pro alicuius Festi augendo ritu, quam pro aliquo novo festo obtinendo. Excipe, ut patet, si agatur de novo Officio alicuius Sancti vel Beati, cuius cultus nuper sit adprobatus a S. Sede, sive per beatificationem proprie dictam, sive aequipollentem, ut docet Benedictus XIV (L. IV, p. 2; c. 1, et 3), quia ideo beatificantur huiusmodi Servi Dei, ut a populo Christiano honorentur, ideoque festa in diebus natalitiis instituuntur, praecipue iis in locis ubi

adest Corpus. Hinc est propterea, quod non obstante temporaria praescriptione ista, optime exposci poterunt nova festa, si agatur de aliquo novo Sancto vel Beato, iis tantum in locis, vel pro iis Institutis regularibus, in quibus novus Sanctus vel Beatus inclaruit.

(81) Festa quae hucusque celebrabantur perpetuo in Dominicis diebus, sub ritu Duplici sive majori sive minori, et non sunt festa Domini, non amplius celebrari possunt, cum pristinus honor Dominicis diebus fuerit restitutus; quid ergo faciendum de hujusmodi festis? Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum hic tribuitur facultas, vel penitus omittendi, vel commemorandi officia ipsa, ita ut nullimode oporteat, quod ad hoc, recursum faciant ad S. Sedem, sed audito voto Capituli, poterunt hac super re decernere quod melius eis videbitur, semel pro semper.

Ut plurimum agitur de festis omnino secundariis, quae saeculo XIX multis in locis inscripta sunt in Calendariis, et in populo satis non sunt nota; quod si, uti diximus in nota 69, alicubi coeptum fuerit etiam in populo celebrari aliquod ex istis festivitatibus, optime poterunt Episcopi, vel pro tota dioecesi, vel tantummodo pro locis ubi vere honorantur a Christiana plebe, commemorationem praescribere, et unius missae solemnis celebrationem. Quod si agatur de aliquo festo primario cuiusvis Sancti particularis, quod consuevit celebrari die Dominico, in casu isto, validum exstat argumentum, de quo hic loquitur Rubrica, ut poscatur a S. R. C. indultum, illud in die fixa rite reponendi.

(82) In novis Breviarii et Missalis editionibus, nulla correctio fieri debet Rubricarum Generalium, ut inducantur novae praescriptiones istae, sed in fine earundem, novae Rubricae istae erunt edendae. Ratio est, quia cum nova totius parabitur Breviarii reformatio, tunc ex integro Rubricae Generales erunt quoque reficendae.

Attamen, quia nonnullae Rubricae speciales emendandae sunt tam in Breviario quam in Missali, ratione reductionis Festorum ad formam S. R. C. decretorum ge-

neralium d. d. 24 et 29 julii 1911, bene poterunt nonnullae quoque Rubricae speciales, sicut et Tabellae tum Occurrentiae, tum Concurrentiae emendari juxta leges in his novis Rubricis contentae.

Cum autem in iisdem novis Rubricis opportune inductae fuerint omnes praescriptiones quae hucusque habebantur aliquibus in Decretis initio Breviarii editis, haec ipsa Decreta deinceps in futuris editionibus omittenda erunt, nam inutilis nunc foret eorum existentia in Breviario. Antea ex necessitate inibi erant posita, eo quod prescriptiones ipsae in Rubricis desiderabantur, cum post Urbanum VIII Rubricae intactae manserant; ideoque, ut illae ipsae praescriptiones innotescerent, tamquam essent nonnullae addititiae Rubricae, in Breviario edi debuerant.

Aliter dicendum est de aliquibus Decretis, quae inveniuntur in principio Missalis; cum enim in ipsis nonnulla habeantur quae in Rubricis desiderantur, et in novis Rubricis locum habere non potuerunt, ideo adhuc erunt edenda in futuris editionibus, usque dum nova Rubricarum Missalis revisio non decernatur ab Apostolica Sede.

(83) Lex antiqua ac veneranda est illa in divinis Officiis, quod Antiphonae psalteriales, illae scilicet quae eruuntur ex Psalterio, comitari debeant psalmum ipsum e quo sunt excerptae. Cum autem in nostra nova psalmorum distributione ex Laudibus Dominicae expunctus fuerit psalmus 150, ex quo excerpta erat quinta Antiphona Dominicae Sexagesimae: *In tympano et choro etc.* necessario alia Antiphona suffecta fuit, ex psalmo 148 desumpta.

Idem dicendum est pro aliis antiphonis; quae hoc loco positae sunt, ac proinde in novis editionibus Breviarii suis locis ponendae erunt.

ADNOTANDA NONNULLA IN PSALTERIUM

ORDINARIUM DIVINI OFFICI.

(1) Ante Psalterium proprie dictum, ponitur *Ordinarium divini officii iuxta romanum ritum persolvendum.* Etiam in principio Breviarii S. Pii v, habetur: *Psalterium dispositum per hebdomodam, cum ordinario officii de Tempore;* attamen in hoc novo Psalterio, diversa ratione Ordinarium proponitur. In Breviario enim Pii V, cum semper iidem essent Psalmi ad Horas minores, et tantummodo ad maiores pro unoquoque hebdomadae die haberentur diversi, Ordinarium confunditur cum ipso Psalterio; e contra, cum in novo psalterio, etiam pro Horis minoribus quotidie diversi ponantur Psalmi, ne inutiliter repeti deberent multa, quae communia sunt per omnes Horas, ante Psalterium ipsum opportune positum est Ordinarium ipsum, in quo, tamquam in Communi, apponuntur ex. gr. Psalmus invitatorius *Venite exultemus,* Hymni pro minoribus Horis et similia, una tantum vice. Ad Matutinum, Laudes, et Vesperas vero posita sunt quoque per extensum Invitatoria, nec non Hymni Adventus, Quadragesimae, Passionis et Temporis Paschalis, ad maiorem psallentium commoditatem, sed ibi ex praecepto non debent typis edi in omnibus Breviarii editionibus, prout non in omnibus edebantur ex antiquis, cum sufficiat citare tantummodo, ex proprio de Tempore.

HYMNUS AMBROSIANUS.

(2) Uti probavimus in nostra Rubricarum expositione (Vol. II, pag. 512) doctores non amplius admittunt attributionem Hymni *Te Deum* ad Sanctos Ambrosium et Augustinum, sed cum maiori probabilitate auctor huius hymni, censetur esse S. Niceta episcopus in Dacia, amicus

S. Paulini Nolani (Cf. Baudrillart S. Paulino Desclée 1908. p. 129). Cum autem ex antiqua traditione hymnus iste Ambrosianus dictus fuit, in novo psalterio, suppressa denominatione: Hymnus SS. Ambrosii et Augustini, suffecta est inscriptio: *Hymnus Ambrosianus.*

PRECES FERIALES.

(3) Preces feriales in Ordinario appositae, illae ipsae sunt, quae iam inveniuntur in usu apud Monachos saeculi IX (Cf. Martène *Ant. Rit. Monach.* I, III, 15), et vocabantur *collectiones. collectae* aut *capitella.* In antiquis Breviariis habebatur Versiculus: *Domine, salvos fac reges;* in Breviario S. Pii V vero legebatur: *Salvum fac regem nostrum N.,* quae formula in correctione Clementis VIII in hodiernam mutata est. Hac de re placet hic referre, quae scripsimus in nostra Expositione Rubricarum Breviarii Romani (Vol. 2, p. 533, nota 909): " Meratus (Sect. 5, c. 17, n. II) iure arguit Gavantum, qui scribit „, Regem autem hoc loco totius Ecclesiae intelligimus Papam. Nescimus profecto, quomodo Gavantus, alioquin circumspectus, hoc scribere potuerit; certum enim videtur, precem illam fundi pro Principe, cuius dominio subiecti sunt, qui precem ipsam recitant, quocumque vocabulo nominetur, sive Imperatoris, sive Dynastae, ac etiam Praesidis, iuxta hodiernum Rerum-publicarum ordinem.

Mirum videbatur in precibus Breviarii, fieri obsecrationes pro Principe, non vero pro Papa. Meratus (ibid) notat, in ℣. praecedenti: *Sacerdotes Dei induantur iustitiam,* comprehendi primario Papam, quod summo iure bene dici potest; plurimi tamen Scriptores optabant, ut sicut fit in aliis locis S. Liturgiae (Feria VI maioris hebdomadae, Sabbato sancto ad benedictionem cerei, et in precibus post Litanias Sanctorum, et in Canone Missae) explicitam precem, etiam pro Summo Pontifice, funderent hoc loco chorales. Et sane, in Breviario Gallicano, inter precibus habentur Versiculi: *Oremus pro Papa nostro N... Pro Pastore nostro N... Pro universa Ecclesia... Pro Rege no-*

stro N...; Singulare autem videtur, quod in Breviario Carmelitarum antiquae observantiae nil in precibus habeatur de Papa, et nihilominus post ℣. pro defunctis, addatur: ℣. *Pro Priore Generali nostro!*

Opportunissime ergo in hac nova Psalterii emendatione adiecti sunt Versiculi pro Papa et pro Episcopo dioecesano. Notandum est ergo, quod in speciali Rubrica post adiectos versiculos istos dicitur, exprimendum esse *ab omnibus*, nempe a saeculari clero et a Regulari, nomen Episcopi dioecesani, sicut enim Regulares in Sabbato Sancto et in Canone Missae nomen exprimunt Episcopi loci, in quo degunt (S. R. C. 12 nov. 1605, n. 194), ita et hisce in precibus.

CUJUS EPISCOPI NOMEN SIT EXPRIMENDUM IN PRECIBUS.

(4) Quia vero Rubrica ista explicite dicit exprimendum esse nomen *Episcopi dioecesani*, non vero Ordinarii, dicendum est, in territorio *nullius dioecesis* exprimi non posse nomen Abbatis vel Praepositi exempti; quia, ut notat Benedictus XIV (Syn. Dioec. II, 11, 15) licet Ordinarius sit, non est tamen Episcopus; igitur nominari potest Episcopus vicinior, ad cuius Synodum dioecesanam accedere debet exemptus Praelatus, et ad quem mittere debet suos Clericos pro Ordinatione in Sacris, quique nominatur in Canone Missae (Cf. Gavantum p. 2, tit 8, rub. 2, *O*). Cum autem plurimi hodie teneant cum D. Alphonso (Coer. Mis. c. 8, 2) quod in territorio *Nullius*, nemo in Canone praeter Summus Pontificem sit nominandus, ideo videtur, quod etiam in precibus omitti debeat Versus pro Episcopo dioecesano.

Ad Preces ergo nunc credimus esse applicandas regulas, quas S. R. C. tradidit pro exprimendo, vel omittendo nomine Antistitis in Canone, nempe: *a*) quando Episcopus, consecratus vel non, possessionem dioecesios non adhuc susceperit, non est nominandus (decr. 2500, II). *b*) Nominandus est Episcopus dioecesanus etiam ab exemptis

(decr. 924, VI: 1827, I, et 1333, IX). *c*) Quando Ordinarius loci, non sit verus illius loci Episcopus, sed, licet Consecrationem episcopalem sit consecutus, attamen dioecesim administrat, tamquam Vicarius Capitularis, aut Apostolicus Administrator (decr. 2274). *d*) Item in missionibus, quae reguntur a Praefectis vel Vicariis Apostolicis (decretum 3047, 4), in quibus, sicut et in Urbe Romae, dicendus est versus tantummodo, *Oremus pro beatissimo Papa nostro*. Ratio est, quia hisce in casibus, territorium Missionum, est sub immediata iurisdictione Romani Pontificis, qui curam animarum illis in regionibus gerit per suos Delegatos; igitur, hi dignitate episcopali fulgeant vel non, non sunt Episcopi illarum regionum, sed Papa tantummodo. Id etiam fit Romae, ubi in Canone non exprimitur nomen Cardinalis Vicarii, licet sit verus Ordinarius, eiusque iurisdictio non cesset in morte Summi Pontificis. Quaeri potius valet, utrum clericus, extra propriam dioecesim recitans Officium, in precibus exprimere debeat nomen Episcopi proprii, vel illius Episcopi in cuius dioecesi fortuito degit. Procul dubio in Canone missae, ut aperte praescribit Rubrica Missalis (Rit. VIII, 2). " Non (specificatur nomen) alterius Superioris, etiamsi celebrans omnino sit exemptus, vel sub alterius episcopi iurisdictionem „ ; ergo semper exprimitur a celebrantibus, nomen Episcopi loci, in quo Missa revera celebratur. Sed huiusmodi lex ubique servata, debetne applicari ad preces feriales? Si consideratur Officium etiam private recitatum, nil aliud esse nisi Officium pubblicum, forsan quis arguere inde posset, eadem lege nomen Episcopi loci, in quo clericus degit, esse exprimendum in precibus ad Laudes et Vesperas; attamen aliter nos sentimus, salva declaratione quae a competenti Auctoritate erit expectanda. Ratio est, quia Beneficiatus, etiam extra suam Ecclesiam et dioecesim, omnino recitare debet Officium iuxta calendarium Ecclesiae, ubi habet beneficium; (haec est sententia communis declarata a S. R. C. per decretum n. 2682, ad 46). E contra Missa celebrari debet, iuxta calendarium Ecclesiae, in qua fit Sacrum, (S. R. C. decr. 3862), ergo datur

vera differentia inter Officium private recitatum, et Missam private celebratam; recitatio Officii sequitur personam, Missae vero celebratio sequitur locum. Quam ob rem beneficiatus, licet extra patriam degat, dum canonicas horas persolvit, fictione iuris quasi cum sodalibus in choro recitat, qui profecto exprimunt nomen Episcopi dioecesani; e contra, qui celebrat in Ecclesia non sua, fictione iuris fit quasi unus ex sacerdotibus Ecclesiae illius, qui nomen in Canone exprimunt Episcopi loci, in quo exstat Ecclesia ipsa. Datur ergo vera differentia, ideoque, sine errandi formidine, videtur quod Sacerdos beneficiatus, etiam extra suam dioecesim degens, nomen Episcopi sui omnino exprimere debet in precibus. Alius vero clericus, qui non habet beneficium, et in aliena dioecesi moratur, per maiorem anni partem, melius est ut se conformet calendario illius Dioecesis (decr. 1596, n. 61). Ab iis autem qui recitant simul Officium, ex. gr. tempore Exercitiorum spiritualium, nomen Episcopi loci in precibus exprimendum erit, ut patet.

UNICUM SUFFRAGIUM.

(5) De unico suffragio faciendo, jam supra disseruimus in nota 57. Hic tantummodo innuere placet, quod in oratione *A cunctis*, ad litteram *N.* Rubrica praecipit ut exprimatur Sanctus Titularis Ecclesiae propriae. Liquido sequitur, quod si plures habeantur sancti Titulares [1] omnes exprimi

[1] Sunt qui tenent dari posse titulares principales et minus principales seu secundarii, prout dicitur de patronis locorum, ac proinde ritu duplici maiore celebrari; quod est error pergrandis.

Scimus haberi in collectione decretorum S. R. C. nonnullas responsiones, quae huiusmodi titularium distinctioni favent; ut ex. gr. quae inscribuntur n. 3041, et 3417, quibus declaratum est fieri debere festum sub ritu duplici I classis, duorum titularium, *dummodo sint aeque principales*; itaque, arguunt aliqui scriptores, existunt et titulares non aeque principales, scilicet secundarii.

Hoc fortasse, quodammodo eveniri potuit iis in locis in quibus cultus solemnis antiquissimi titularis alicuius ecclesiae deperditus est,

debent: S. R. C. (decr. 3296) explicite enim declaravit quod de duobus Titularibus Ecclesiae, quae consecrata sit sub utroque titulo, non solum celebranda sunt festa sub ritu Diplici 1 classis cum Octava, sed et in Suffragiis de utroque facienda commemoratio. Igitur, ex gr. Ecclesia Urbis quae vulgo vocatur *S. Carlo al Corso*, revera dicata est tam ipsi S. Carolo, quam S. Ambrosio utrique Episcopo Mediolanensi, ideoque in Oratione ista ad unicum suffragium, presbyteri Rosminiani, ad curam illius Ecclesiae addicti, ad litteram *N.* exprimere debent: *et beatis Ambrosio et Carolo*, ut patet. Item in Cathedrali Placentina, quae dicata est B. Mariae Assumptae, et etiam S. Justinae virgini et martyri Antiochenae (26 sept.), cum nomen B. Mariae primo loco in Oratione jam sit expressum, ad litteram *N.* exprimendum erit nomen ipsius S. Justinae. Quid ergo faciendum de Patronis locorum? Ante omnia notandum est, quod antiquitus solemne habebatur, quod de sancto, sub cuius nomine erecta fuerat Ecclesia, fieret commemoratio, atque ignota prorsus erat commemoratio Patroni loci. Baumer

ob popularem devotionem ad alium sanctum, cuius nomine progressu temporum eadem ecclesia vocata fuit.

Id accidit in civitate Ferentini in Hernicis, in qua vetus ecclesia S. Sebastiani data fuit fratribus minoribus, saeculo xvi, ac proinde nuncupata est ecclesia S. Francisci, quin huic Santo umquam fuerit consecrata.

Quidquid sit, ex notione titularis plane evincitur, quod si aliqua ecclesia pluribus sanctis dicata fuerit, hi omnes iuribus gaudent titularium, neque dici potest ipsam ecclesiam magis esse dicatam uni, quam alteri.

Episcopus enim in actu consecrationis, nomen titularis, vel nomina titularium, in litaniis sanctorum invocat, et in precibus sequentibus, ac in unctionibus, utriusque nomen invocat pluries; quapropter concipi nequit aliquam ecclesiam habere plures titulares, cum iuribus diversis. Esto quod populus unum ex titularibus, quasi esset patronus, maiori externa festivitate concelebrat, ac proinde videatur alium titularem esse secundarium, sed aliud est consideratio populi, ex qua pluries sancti, qui ritu duplici minori aut maiori decorantur in officio, solemnius recoluntur, quam alii qui ritu gaudent duplici I classis; aliud est dispositio liturgica, de qua nos agimus, cuius vi titulares, (si vere sunt titulares) ritu suo sunt recolendi.

(Hist. Brev. Rom. I, p. 374) mentionem invenit, jam tempore S. Gregorii magni, de suffragiis faciendis S. Crucis, S. Mariae, et Sancti *cuius veneratio in praesenti ecclesia colitur*. Rubricae Breviarii S. Pii v. licet loquantur (tit. XXXV) de Patrono vel Titulo ecclesiae, post Canticum *Benedictus* tamen in Laudibus, et ante Completorium Rubrica specialis loquitur tantummodo de Patrono Ecclesiae; quapropter plane conveniunt auctores mentem Pontificis fuisse ut fieret commemoratio de Titulari Ecclesiae, non vero de loci Patrono. (Cf. Guyetum l. 3, c. 18, q. 9 et Merati sect. V, c. 18, n. viij). Quod si S. R. C. (decr. 3823) declaraverit posse fieri in suffragiis commemorationem etiam de loci Patrono, id tamen restrinxit dicendo: *ubi vigeat consuetudo*. Ergo jure meritoque in his novis Rubricis de Patrono nihil dicitur.

Sed insitendo in citato decreto, etiamne in posterum de Patrono loci poterit fieri commemoratio? Statim negative est respondendum: mens enim legislatoris fuit, ut unum tantummodo fiat Suffragium, et ideo, ut patet, alia commemoratio de Patrono addi non potest. Sed poteritne saltem nomen patroni, cum nomine Titularis Ecclesiae, in Oratione invocari? Item respondendum censemus negative, eo quod, si ista fuisset mens legislatoris, exprimere debuisset, cum notae sint quaestiones ab auctoribus agitatae nostris quoque temporibus hac de re. Ergo nonnisi nomen Titularis Ecclesiae est in unico suffragio exprimendum, et nil aliud.

PRECES DOMINICALES.

(6) Preces quae dicuntur ad Primam et ad Completorium, vocantur *Dominicales*, et distinguuntur a *Ferialibus*, quae tantummodo dicuntur in Laudibus et ceteris horis. Rubrica Breviarii Pii v ante preces ipsas sic se habet: *Sequentes Preces non dicuntur in Duplicibus, nec infra Octavas.*

Ante saeculum xiv preces infra Octavas non omittebantur quia, tam Belhetus (saec. xij), quam Durandus

(saec. xiij) de huismodi omissione non loquuntur. Veruntamen, cl. Joannes Mercati, in suo eruditissimo opuscolo (Appunti per la Storia del Brev. rom. 1903 Roma Desclée) refert nonnulla ex Rubricis novis quae inveniuntur in Breviario Romano Venetiis edito a. 1478; et in una ex ipsis, sub Clemente vj (1342-1351) redacta, circa Octavas sic legitur: *Praeterea in octavis non fiunt in Laudibus suffragia neque Preces tam in Prima quam in Completorio sed fit sicut in duplici festo.* Huius vero Rubricae dispositio, ubique postea accepta fuit. In Breviario antiquo Placentino (edito 1530, pag. 46) legimus: " In festis autem duplicibus, etiam per totum annum, et in octavis solemnitatum, et in quibuscumque festis per octavas praedictas occurrentibus, nullo umquam tempore dicuntur Preces „.

Omittuntur ergo Preces diebus infra octavas, eo quod, licet ritu semiduplici celebrentur, nihilominus solemnitas diei Festi, Octavam habentis, quodammodo perdurare censetur, ideoque in obsequium huismodi perdurantis solemnitatis, preces omittuntur, non tantum si de ipsa octava fiat officium, sed etiam si peragatur festum ritus semiduplicis.

In Expositione nostra Rubricarum specialium in *Ephemerid. Liturg,* edita (an. 1911, p. 78) hac de re scripsimus:

" Idem esset agendum in Dominicis maioribus, in quibus occurrat commemoratio duplicis, quod ad instar simplicis redactum sit; nempe, sicut in obsequium officii diei infra octavam, quod est minus, omittuntur in Dominicis Preces, ita et in obsequium officii duplicis, quod est maius, essent omittendae.

Ratio est, quia cum duo festa eodem die occurrunt, ut plurimum in nobiliori officio, fit commemoratio de minus digno, ita ut ipsa commemoratio sit quasi totius omittendi officii contractio. Attamen, de commemorato officio, ea omnia dicuntur propria, quo magis potest; idest omissa doxologia et praefatione communi, dicitur in officio diei, doxologia et praefatio de officio commemorato si habet; uti statutum est in decreto, S. R. C. 29 iulii 1904 ad V. quo praecipitur: occurrente in Dominica Adventus commemoratione Translationis Domus Lauretanae, ad in-

star simplicis, in locis ubi transferri nequeat, ob deficientiam diei liberae, omissa commemoratione Octavae Immaculatae Conceptionis, in missa dicitur Praefatio, B. M. V. *Et te in festivitate*, non vero; *Et te in Conceptione*, in obsequium commemorati officii.

Siquidem, si officium commemoratum diei infra octavam ita influit in officio diei, ut omitti debeant Preces, procul dubio duplex commemoratum non minorem influxum habere debet, ac proinde, nec Preces dicendae, nec commemorationes comunes seu suffragia neque tertia oratio in Missa.

Sed et huiusce Rubricae locutio ipsa, favet sententiae nostrae, dicit enim: *Preces non dicuntur in duplicibus, nec infra Octavas*, atqui, sicut omittuntur Preces diebus infra octavas, licet de eis non celebratur Officium, sed tantum fiat commemoratio, ita et in duplici pariter commemorato, etsi de eo totum non dicatur integrum Officium, sed eius tantum Commemoratio, quae nil aliud est nisi contractio Officii eius: Dominica enim in casu occurrit *in festo Duplici*, in quo Rubrica prohibet preces.

Itaque, Rubrica quam hic exponimus, licet antiqua sit, non obscure tamen excludit preces in Dominicis maioribus, si in eis occurrat duplex commemorandum; etenim tempore S. Pii V, casus impossibilis erat, ideoque ipsum Rubrica explicite praevidere non poterat. Poterat quidem tunc temporis, occurrere dies Octavus in Dominicis vel Adventus, vel Septuagesimae etc., et tunc explicite preces respuebantur per verba: *nec infra octavas*, ut patet.

Quod hic dicimus de omittendis precibus in Dominicis maioribus, occurrente commemoratione duplicis simplificati applicandum esse non intelligimus feriis maioribus, nempe IV Cinerum, et maioris hebdomadae, quia preces in officio dominicali, non ita sunt propriae, ut aliquando in eo omitti non possint, sicut de facto, vi Rubricarum, omittuntur in Dominica in Albis, nec non in Dominicis, quae infra aliquam octavam occurrunt; e contra, preces feriales, quae *flebiles* vocantur, seu *poenitentiales*, ita sunt propriae feriis, quae ieiunantur, sive historice sive mystice consi-

derentur, ut ab officio feriali separari nunquam possint, nisi cum immutatione naturae ipsius ferialis officii, ut docet Guyetus (lib. 4, c. 18, q. 34).

Et sane, ipsae dicendae sunt flexis genibus, sunt prolixiores, quod aliud est signum poenitentiae, et dicuntur non tantum ad Primam et Completorium, sed et ad alias quoque Horas, Laudibus et Vesperis non exclusis. Cum autem Feria IV Cinerum, et illae maioris hebdomadae eminenter et reduplicative luctuosae sint et poenitentiales, et tales, quod in eis tantummodo occurrere possit Duplex simplificatum, non obstante huius occurrentia, preces in dictis Feriis non sunt omittendae.

Iuxta Meratum in suis notis ad Gavantum (sect. 5, c. 17, n. III), illi qui ex speciali privilegio celebrant aliquam octavam, etiam in Quadragesima, si dies IV Cinerum occurrat infra octavam, dicere debent Preces, relinquendo commemorationem Octavae, iuxta S. R. C. decretum 24 Januarii 1662, quod refert in suo indice.

Quod congruit cum recentiori decreto generali 22 Maii 1894, n. 3826, quo declaratur: " Octavas quascumque in Quadragesima in posterum non esse concedendas, indultas vero ab antiquiori aevo, non solum in Feria IV Cinerum atque in Dominica Passionis, sed in omnibus aliis Dominicis Quadragesimae, esse omnino intermittendas, vel abrumpendas „. Et bene, ut melius lex servetur maiorum.

Vide tamen, ne ex hoc decreto aliquid contra nostram sententiam deducas, scilicet, quod omittenda sit in Feriis maioribus, de quibus hic loquimur, commemoratio duplicis simplificati, sicut omittitur commemoratio diei infra octavam in casu; nam, ut patet, huiusmodi omissio, si parum nocet cotavae, quae aliis diebus commemorata est, totaliter prorsus noceret duplici, cui Rubricae reformatae ius translationis abstulerunt; hinc, fiat de eo commemoratio, alioquin penitus periret eo anno eius officium; in obsequium tamen indolis officii ferialis, non omittantur preces.

Nunc autem haec nostra sententia, quae pluribus arrisit praeclaris Liturgistis, quibus eam exposuimus, in praxim deduci debet, ut Rubricae novae disponunt.

DE *Confiteor* IN CHORO MONIALIUM.

(7) In hac Rubrica addita fuit praescriptio, quod in choro Monialium una tantum vice dicatur *Confiteor*, eodem modo, quo dicitur, quando unus privatim Officium recitat; omittendo scilicet verba: *et vobis fratres, et vos fratres*, aut *et tibi Pater*, et *te Pater*. Ut de hac optima dispositione rationem reddamus, non abs re esse censemus hic referre, quae scripsimus in nostra Expositione Rubricarum specialium Breviarii (V. Ephemer. Liturg. an. 1911 mense Martio pag. 141 et seq.) " Martène (Ant. rit. IV, viij, 2) docet fuisse Chodegangum Episcopum Metensem, qui ad Primam jussit fieri confessionem; et sane, celeber episcopus iste (742-766) in *Regula* (Migne *P. L.* LXXXIX, col. 1066-1101) quam suis canonicis dedit, quaeque fuit postea fere ubique lex acceptissima ad rite officium celebrandum, praescribit ad Primam. " ante psalmum quinquagesimum (qui inter preces dicebatur) donent (canonici) confessiones suas vicissim, dicentes: *Confiteor Domino, et tibi frater, quod peccavi in cogitatione et locutione et opere, propterea precor te, ora pro me.* Et ille respondeat: *Misereatur tui omnipotens Deus, et indulgeat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni bono, et perducat te ad vitam aeternam.* Et ille dicit *Amen.* Supplici corde certatim pro se orantes hoc sibi faciant „.

Monachi semper consueverunt confessionem culparum facere in capitulo, coram communitate, et hodie apud etiam recentiores congregationes mos idem invaluit, sicut pius episcopus Chodegangus clericis suis, licet monachi non essent, proposuerat.

Perplures variasque tradunt generalis confessionis formulas Bona et Martène, ubi agunt de Missa; iis adiungi possunt formulae Breviarii tum Carmelitani, tum Dominicani, tum Bracharensis, quae parum differunt inter se; nobis autem liceat hic addere formulam Breviarii nostrae Ecclesiae Placentinae (edit. 1530, E. iiij) quae sic se habet:

" Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper virgini, beato *N.* et omnibus sanctis et vobis, fratres, quia peccavi nimis in lege Dei mei, cogitatione, delectatione, locutione, opere et omissione, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam virginem Mariam, beatum *N.* et omnes sanctos Dei orare pro me „.

Est autem notatu digna sequens Rubrica: " Quando autem ille qui incipit horas, non est sacerdos, respondetur: *Confiteor* etc. *et tibi fratri*, etc. *Ideo precor* etc. *et te fratrem*, etc. „. Quod in formulis a Bona et Martène relatis, neque in aliis Breviariis, minime invenimus.

S. R. C. suis decretis n. 512 et 1334, declaravit, quod Moniales officium recitantes in Choro, nequeunt ad confessionem mutare verbum *Fratres* in *Sorores*, et *Te, Pater* in *Te, Mater*, sed verba recitare debent prout in Breviario. Si nobis licet, nostrum sentiendi modum hac super re, candide pandimus: melior et aptior haec videtur placentini Breviarii dispositio, nempe, sicut clerico non sacerdoti (licet Diaconus esset) respondendum erat a choro: *Tibi frater* et *Te frater*, ita et moniali hebdomadariae convenientius respondere deberent choristae: *Tibi soror*, et *Te soror;* pariterque ab ipsa hebdomadaria dicendum esset: *Vobis sorores*, et *Vos sorores*, sicut praescribitur in breviariis gallicanis (Cf. *Breviarium Parisiense*, ed. 1822).

Dicendum est autem, consuetudinem huiusmodi, non tantum in Gallia, sed et alibi invaluisse, nam citatum decretum 512, sic se habet: " Expositum fuit, abusum irrepsisse in multis monasteriis Italiae per Moniales, quando faciunt inter ipsas confessionem, alterantes verba, *Vobis Fratres*, in *sorores*, et *Te Pater* in *Te Mater* „.

Scimus quod Gavantus (sect. 5, c. 17, n. 13) ad rem docet: " Neque monialas mutare debent in verba *mater, matrem, sorores*, sed eodem modo loqui nomine Ecclesiae, ac si essent viri „; sed pace tanti magistri, sicut Rubrica generalis (Tit. XV, n. 2) hac de re habet: *quando aliquis solus recitat officium, semel tantum dicit* Confiteor, *omissis illis verbis* tibi Pater, *vel* vobis fratres *et* te Pater, *vel* vos fratres, *et similiter dicit* Misereatur nostri etc.: ideoque

sicut variatur textus, quando aliquis solus recitat officium, licet nomine Ecclesiae illud persolvat, ita, ne verba impropria exeant ab ore psallentium laudes divinas, moniales locutionem in casu paululum immutare deberent. Haec tamen dicta esse volumus sub censura S. R. C.

Ne autem textus immutetur, bene possent sanctimoniales feminae, simul recitare confessionem eisdem verbis quibus Rubrica iubet, quando quis solus recitat. Ratio est, quia, sicut sufficit, si duo tantummodo vel tres privatim simul recitant officium, quod una tantum vice dicant simul confessionem, ita et sufficere deberet pro monialibus in choro; et hoc eo magis dicimus, quia valde decet, quod confessio in horis canonicis, fiat vicissim, quando tantummodo adest Sacerdos, qui revera est *Pater;* quando vero Sacerdos abest, ac praesertim in choro Monialium, melius esset si confessio fieret una tantum vice, absque verbis *tibi Pater* vel *tibi Mater* etc. Scilicet, sicut quando unus privatim officium recitat, confessionem agit coram Deo et Sanctis, ita et illi, qui in sacris non sunt, numquam deberent vicissim facere confessionem.

Commissio Pontificia, ad novum Psalterium disponendum deputata, hanc nostram argumentationem, ac propositionem probavit; ideoque Rubricam, de qua agimus, reformavit, sicque nunc Moniales, Confessionem facient ad Primam et ad Completorium, una tantum vice, simul dicendo *Confiteor.*

De Psalmorum distributione et partitione.

(8) Non unum schema pro distributione et partitione Psalmorum in novo Psalterio propositum fuerat; aliqui enim ordinem numeralem omnino servare volebant, quod in praxi impossibile est, et alioquin ordo qui invenitur in Vulgata, neque historicus est, neque per materiam dispositus; sed neque in aliis Psalteriis in usu apud diversos ritus, numquam videtur idem ordo servatus. Alii reliquendo psalmos necessarios in unaquaque die ad Matutinum, reliquos ad horas minores ejusdem diei distribuendos esse dicebant. Alii tandem diversa ratione psalmos

seligere proposuerant. Attamen, cum ante omnia oporteret ita psalmos distribuere, ut omnes revera dicerentur in termino unius hebdomadae, divisio selecta fuit, quae magis ad rem congruere visa fuit. De ipsa scimus, quod P. Paschalis Brugnani, O. M. unus ex iis, qui ad novum Psalterium parandum adlaboravit, in scripto suo, quod brevi in lucem proferre curabit, rationem redde tum de divisione adoptata, tum de Psalmorum partitione.

Ad Laudes in Dominicis a Septuagesima usque ad Palmas antiquum Breviarium ponit psalmos *Miserere* et *Confitemini*.

Nonnulli, ad majorem simplicitatem in regulis Psalterii obtinendam, deserere volebant huiusmodi antiquam consuetudinem, ut scilicet. in nova psalmorum distributione, nulla haberetur exceptio: nihilominus, quia consuetudinem ipsam cum parvo incommodo sequi adhuc passumus, et summopere decet, ut illis in Dominicis poenitentialibus, ritus antiquus servetur, statutum est, ut schema secundum in Laudibus Dominicae induceretur pro iisdem Dominicis diebus.

Idem dicendum est de Laudibus Feriarum in quibus ieiunatur, et in quibus iuxta solitum, primo loco ponitur psalmus *Miserere*, ac proinde ad Primam, in iisdem Feriis, reponitur psalmus ille, qui relictus fuit, ad Laudes, ut eius loco dicatur *Miserere*.

Notandum est etiam, quod variata sunt in Laudibus, Cantica quae dici debent inter psalmos, ut prolixiora illa, nempe quae iam habentur in Breviario Pii v, reservata essent pro Feriis poenitentialibus, et breviora in aliis. Quapropter in primo schemate quod in festis inservit, posita fuerunt cantica David, Tobiae, Judith, Jeremiae, Isaiae (diversum ab eo, quod habetur in Feria II) et Ecclesiastici.

Item ut in secundo schemate varia semper essent cantica, in Dominicis poenitentialibus positum fuit aliud Canticum trium Puerorum, quod nihil aliud est, nisi pars illius, quod dicitur in aliis Dominicis.

Ut habeatur sub oculis ordo distributionis Psalmorum, eorumque divisionum, prout nunc iacet in novo Psalterio, ordinem ipsum in sequenti tabula exhibemus.

	Dominica	Feria II	Feria III	Feria IV	Feria V	Feria VI	Sabbato
Matutinum	1	13	34. i	44. i	61	77. i	104. j
	2	14	34 ij	44. ij	65. j	77. ij	104. ij
	3	16	34. ij	45	65 ij	77. iij	104. iij
	8	17. i	36. i	47	67. i	77. iv	105. j
	9. i	17. ij	36. ij	48. j	67. ij	77. v	105. ij
	9. ij	17. iij	36. iij	48. ij	67. iij	77. vj	105. iij
	9. iij	19	37. i	49. j	68 i	78	106. j
	9. iv	20	37. ij	49. ij	68. ij	80	106. ij
	10	29	38	50	68 iij	82	106. iij
Laudes	92	46	95	96	97	98	149
	99	5	42	64	89	142	91
	62	28	66	100	35	84	63
	Cant.	C.	C.	C.	C.	C.	C.
	148	116	134	145	146	147	150
Prima	117	23	24. j	25	22	21. j	93. j
	118. i	18. j	24. ij	51	71. j	21. ij	93. ij
	118. ij	18. ij	24. iij	52	71. ij	21. iij	107
Tertia	118. iij	26. j	39. j	53	72. j	79. j	101. j
	118. iv	26. ij	39. lj	54. j	72. ij	79. ij	101. ij
	118. v	27	39. iij	54. ij	72. iij	81	101. iij
Sexta	118. vj	30. j	40	55	73. j	83. j	103. j
	118. vij	30. ij	41. j	56	73. ij	83. ij	103. ij
	118. viij	30. iij	41. ij	57	73. iij	86	103. iij
Nona	118. ix	31	43. j	58. j	74	88. j	108. j
	118 x	32. j	43. ij	58 ij	75. j	88 ij	108. ij
	118. xj	32. ij	43. iij	59	75. ij	88. iij	108. iij
Vesperae	109	114	122	127	132	138. j	143. j
	110	115	123	128	135. j	138. ij	143 ij
	111	119	124	129	135. ij	139	144. j
	112	120	125	130	136.	140	144. ij
	113	121	126	131	137	141	144. iij
Completorium	4	6	11	33. j	69	76. j	87
	90	7. j	12	33. ij	70. j	76. ij	102. j
	133	7. ij	15	60	70. ij	85	102. ij

PROSPECTUS COMPARATIVUS

in quo traditur numerus Versiculorum, quibus Psalmi constant in qualibet Hora Canonica, tam in novo Psalterio, quam in communioribus Officiis Breviarii Pii V.

Horae Canonicae	In novo Psalterio							In Breviario Pii V		
	Dominica	Feria ij	Feria iij	Feria iv	Feria v	Feria vj	Sabbatum	Dominica	Commune Apostolorum	Commune Confessoris
Matutinum .	87	127	111	105	110	108	130	273	124	97
Laudes . . .	56	46	57	44	63	63	56	88	88	88
Prima . . .	61	26	23	29	27	34	37	108	39	39
Tertia . . .	48	42	24	34	28	28	29	48	48	48
Sexta . . .	48	31	29	33	24	20	36	48	48	48
Nona . . .	48	36	28	33	22	50	30	48	48	48
Vesperae . .	71	39	31	46	52	36	40	71	64	46
Completorium	30	28	26	30	37	36	41	40	40	40
In totum .	449	375	329	354	363	375	399	724	499	454

Ex quo Prospectu apparet, quod Officium hodiernum Dominicae, versiculos psalmorum habet 275 minus quam antiquum; et per hebdomadam, Officium hodiernum, brevius est, quam Officium Confessorum, quod omnium contractius ex Communibus erat in Breviario Pii V.

Aliqui optavissent, ut Officium diei Dominicae brevius fieret prae ceteris officiis hebdomedae, ideoque propraposuerant: *a*) quod novem Psalmi ad Matutinum inter breviores brevissimi seligerentur, non excedentes numerum 8 vel 9 versiculorum; *b*) quod ad Laudes quintus Psalmus esset 150, loco psalmi 148; *c*) quod per Horas minores psalmus 118 distingueretur in octonarios, prout

invenitur in Vulgata, sicque inserviret ad Horas Dominicae et Feriae II, prout habetur in Breviario Monastico; *d*) quod quinto loco, ad Vesperas, haberetur psalmus 116 *Laudate Dominum omnes gentes*, remisso psalmo 113 *In exitu* ad sequentem Feriam II, ut habent Benedictini. Hac ratione distribuendo psalmos in Dominica, Officium eius non habuisset, nisi psalmorum versiculos numero 237, ac proinde brevius omnium revera evasisset.

Attamen aliter opportunum fieri visum fuit, quia a tempore S. Benedicti et S. Gregorii Magni, usque ad hodiernum diem, Officium in Dominica prolixius semper fuit: decet enim in die specialiter Domino dicata, in prolixiore oratione permanere. Sed et variando distributionem Psalmi 118 per Horas, officia majorum Solemnitatum, et in Triduo Mortis Domini, nimis laesa fuissent. Ceterum, numerus 151 versiculorum, qui in casu dempti fuissent, prolixius Officium non reddunt, nisi pro quinta decima parte unius horae. Itaque ad tam leve temporis lucrum assequendum, tanti non erat aliam distributionem inducere.

De unico officio in die commemorationis omnium defunctorum.

(9) Nonnullis forsan inconguum videtur, quod die 2 Novembris nihil amplius fiat de Octava Omnium Sanctorum, quia eis apparet quasi obtruncata Octava ipsa, de qua neque missa celebrari, neque commemoratio fieri potest; attamen, hoc novum non est prorsus, et quandocumque occurrit aliquod Duplex 1, imo et 2 classis infra quamlibet Octavam, quae privilegiata non sit, revera Octava ipsa suspenditur, in obsequium festi solemnis celebrandi. Atqui Octava Omnium Sanctorum privilegiata non est; ideo, sicut suspenditur obveniente festo classico, bene potest etiam suspendi in solemni Commemoratione Omnium Defunctorum.

Hoc autem duplici ex ratione: Primo quia, cum hodie ob iniquas ubique leges, quae suppresserunt tot legata in suffragium defunctorum a maioribus nostris instituta, imminuta sint suffragia ipsa, opportunissime voluit Summus Pontifex, ut de omnibus fidelibus Defunctis dicerentur et Horae minores. Secundo quia, si uti faciunt patres Praedicatores et Carmelitae, bis horae minores dici deberent, de Sanctis et pro defunctis, onus Officii gravius esset, quod, ut saepe diximus, vitare voluit Pontifex; itaque unum tantum Officium integre in suffragium Defunctorum hac Die dicendum praecepit. Ceterum optime inter se distinguuntur Festum Omnium Sanctorum, et Commemoratio Omnium defunctorum; sapientissimus pontifex Innocentius iij, in suo sermone pro huiusmodi solemnitate (Migne, P. L. CCXVII, 533) dicit:

" Deus tribus locis habet tres exercitus, unum qui triumphat in caelo, alterum qui pugnat in mundo, tertium qui iacet in purgatorio..... medius autem exercitus hodie laudes reddit pro exercitu qui triumphat in caelo, cras fundens preces pro exercitu, qui iacet in purgatorio. „

Primo obtutu videretur quod in II Vesperis Festi omnium Sanctorum, fieri deberet commemoratio sequentis Officii Defunctorum, quia est officium concurrens, et non amplius addititium, uti fuit hucusque in Breviario; attamen in festo solemni, iungi nequeunt laetis canticis preces luctuosae; ideoque, loco commemorationis, pro Defunctis dicuntur Vesperae, plane a Vesperis Festi separatae.

DE COMPLETORIO DEFUNCTORUM.

(10) Fuerunt, qui nullatenus volebant Completorium, post Vesperas Omnium Sanctorum, esse pro defunctis; atque contendebant, quod de Festo omnino esse deberet, ne ipsius Festi Officium hora sua Completorii privaretur; nihilominus non una ex ratione aliter dispositum fuit, ut Completorium ea die esset pro Defunctis.

Et sane: *a*) in compositione partium, quibus constat Completorium, nulla ex iis invenitur, quae cum festo Sanctorum aliquam habeat relationem, neque ipsam Hymni doxologiam: ideo, dicendo Completorium pro Defunctis, nihil detrahitur Officio Omnium Sanctorum.

b) Vesperae Defunctorum, quae dicuntur post Vesperas Festi, licet locum teneant Commemorationis, quae, ut diximus, fieri nequit in Officio Sanctorum, nihilominus censentur revera tamquam I Vesperae sequentis diei; ergo reputatur cessasse Officium Sanctorum, et intrasse Officium Defunctorum: quam ob rem Completorium debet esse omnino congruum Officio sequenti, et hoc eo magis, quia dedecet post Vesperas luctuosas, in paramentis nigris, audire in Completorio vocem exultationis *Alleluia*, et doxologiam *Gloria Patri*.

Neque valet opponere, quod Festum Omnium Sanctorum, ius habet ad integrum suum Officium, ideoque et ad suum Completorium, quia novum non est aliquod Officium suspendi et usque ad suum finem non expleri. Ex. gr., quando Episcopus consecrat Ecclesiam aliquam, Officium de die, licet esset solemne, cessat ad Horam Primam: et quia incipit novum Festum, nempe novae Ecclesiae Dedicatio, de Dedicatione agitur Officium ab Hora Tertia et deinceps, nil amplius addendo de festo, cuius dictum fuit Matutinum. Ita in Sabbato ante Dominicam Septuagesimae, etiamsi actum fuisset officium de solemnissimo festo, Completorium dicitur absque *Alleluia*, quia intravit tempus poenitentiale: congruum est ergo, quod nunc die 1 novembris Completorium dicatur pro Defunctis, etiam ad maius obtinendum suffragium animarum, quae in purgatorio detinentur.

DE STRUCTURA OFFICII PRO DEFUNCTIS AD COMPLETORIUM ET AD HORAS MINORES.

(11) In principio Missae pro Defunctis, omittur psalmus *Iudica*, eo quod huiusmodi omissio censetur esse signum moestitiae: in missa quidem Dominicae Passionis

omittendus est, quia dicitur ad Introitum psalmus ipse; postea vero consuetudo antiquitus invaluit, ut toto tempore Passionis omitti debeat, licet in ceteris Missis de Tempore alius psalmus ad Introitum dicatur; sicque revera, omissio huius psalmi in principio Missae, habita fuit tamquem nota moestitiae. Similiter Officium ad Completorium et per horas pro Defunctis ad instar officii Hebdomadae Sanctae propositum fuit: ideoque, ut fit ad Matutinum et Vesperas, omittitur *Deus in adiutorium*, Lectio ad Completorium, et Hymni ac Responsoria ad Horas. Omittuntur vero etiam antiphonae, prout fit in triduo mortis Domini.

Ad Primam autem omitti non poterat lectio Martyrologii, sed, ut id sine dissonantia fieret, opportune lectioni Martyrologii praemittitur: *Hac die Commemoratio* etc. ut congrue uniatur memoria *Exercitus qui iacet in purgatorio*, cum *illo qui regnat in coelo*, ut ait Innocentius iij; sicque optime audientium animi praeparantur ad sequentem Martyrologii lectionem, quam aptissime excipit . . *In memoria aeterna erunt iusti.* ℟. *Ab auditione mala non timebunt*, qui habetur in precibus pro defunctis, in Pontificali (Ordo ad visitandas Parochias) cum oratione: *Deus veniae largitor*, in qua Deus oxoratur, *ut animas omnium fidelium qui ex hoc saeculo transierunt, B. Maria semper Virgine intercedente cum omnibus sanctis suis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedat.*

CONCLUSIO.

Absoluto hoc Commentario, opportunum ducimus, aliquid lectoribus, qui usque ad finem nostras animadversiones sunt secuti, dicere de faciliori ratione, per quam in praxim deducatur intentio Summi Nostri Pontificis. Ipse enim, uti evidenter ex Constitutione quam interpretari studuimus, duo praesertim prae oculis habuit, scilicet, recitationem totius Psalterii in hebdomada, et majorem Officii Divini brevitatem ob auctos Cleri labores in sacris ministeriis exercendis.

Attamen in praxi ejusmodi utilitates nullatenus obtineri poterunt, quin augeatur numerus officiorum ferialium: compertum est enim, haec officia revera esse prae ceteris breviora; siquidem tres solummodo habent lectienes ad Matutinum, et psalmos, sicut in ceteris officiis.

Summopere igitur concipienda spes est, quod prurigo illa, de qua locutus est Cavalerius a nobis citatus in nota *c*, scilicet a S. Sede petendi nova Sanctorum Festa, omnino evanescat, apud Ecclesiasticos viros.

Tandem aliquando vota tot illustrium virorum, per hanc sapientissimam Psalterii instaurationem, ab eodem Pio Papa X feliciter peractam, sunt adimpleta!

Ad rem referre juvat, quae eximius Grancolas scripsit (Comment. hist. Brev. Rom. P. I; c. 4) " Numquam majori gaudio affici soleo, quam cum per anni circulum festa huiusmodi (simplicia) occurrunt, atque millies conceptis votis exoptavi, ut aliquando potissima festorum Duplicium, et semiduplicium pars in hanc classem redigeretur. Atque hoc potissimum fere est caput, quod Pontifici (qui eo tempore erat Benedictus XIV) Breviarium Romanum emendari cupienti proponendum esset „.

Et sane, Locorum Ordinarii, qui simul cum suis Capitulis calendarium proprium iuxta principia, in Rubricis novis Titulo II tradita, emendare sibi proponerent, vere mentem Pontificis nostri omnino sequerentur, iuxta votum praefati Gracolas. Cum enim citato rubricarum titulo distinguantur festa in Universalia, Propria, et Particularia *ex indulto*, opportune possent Ordinarii, retinere tantummodo in suis Calendariis ea Festa, quae revera sunt *Propria*, et alia, quae sunt de praecepto, illa nempe quae inveniuntur in Calendario universali.

Quod autem attinet ad alia Festa, quae *ex mero indulto* S. Sedis concessa fuere, ipsi eadem expungere a calendario poterunt, cum, iuxta sententiam communem Canonistarum, cuique liceat indultis renunciare. Probe scimus, quod in hac materia Officiorum, iis, quae concessa fuerunt, et acceptata, permulti docent, non posse amplius renunciari; quoniam vero hodie agitur de reformatione

Psalterii, in praxim deducenda, curandum est, ut voluntati Pontificis satis fiat quam citissime. Scimus etiam, inter temporaneas praescriptiones, illam quoque adesse, qua prohibetur, ne calendaria perpetua reformanda S. R. C. deferantur; nihilominus, quando Ordinarius, nil novi in suo Calendario inducit, et iuxta Rubricas, ordinat festa sua Propria, simul cum festis praeceptivis pro tota Ecclesia, omittens festa, ut diximus, ex *mero indulto* concessa, optime attingit finem, a Summo Pontifice nostro intentum; et ita multiplicando dies in mensibus vacuos, efficiet, ut frequentius ex una parte Officia ferialia recitentur, et ex altera, rarius negligendi sint psalmi de psalterio, si nimius maneret Festorum numerus.

Nec denique omittenda alia ratio, quae Summum permovit Pontificem ad reformationem istam Psalterii, videlicet, ut clerici ex majori psalmodiae varietate, majus etiam pietatis alimentum acciperent; hinc est, quod in Constitutione *Divino afflatu*, merito in memoriam revocare voluit S. Basilii verba: " in aequalitate torpescit, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est: mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratûr „.

Gratiae ergo plurimae Ss. D. N. Pio Papae X agendae sunt, quia Officium divinum ita reformare coepit, ut revera in eo variata quotidie esset psalmodia, et sic brevitate obtenta, majori devotione ac semper remoto torpore, quotquot ad divinas laudes persolvendas sunt ab Ecclesia deputati, velut almae Sionis aemuli, ejusdem Ecclesiae votis plenissime satisfacere possent.

INDEX

Lectori . . . . . *Pag.* 5
Constitutio Apostolica *Divino afflatu* . . . . . » 6
Commentarium in Bullam – notae *a*) . . . . . » 14
Rubricae . . . . . » 29
Tit. I. De ratione Divini Officii, recitandi iuxta novum Psalterii ordinem . . . . . » 29
§ 1. Commentarium notae 1-5 . . . . . » 29
§ 2. » » 6-11 . . . . . » 32
§ 3. » » 12-15 . . . . . » 36
§ 4. » » 16-19 . . . . . » 38
§ 5. » » 20 . . . . . » 43
§ 6. » » 21 . . . . . » 45
§ 7. » » 22 . . . . . » 45
Tit. II. De Festorum praestantia . . . . . » 46
§ 1. Commentarium notae 23-27 . . . . . » 46
§ 2. » » 28-34 . . . . . » 49
Tit. III. De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione . . . . . » 60
§ 1. Commentarium notae 35 . . . . . » 60
§ 2. » » 36-37 . . . . . » 60
§ 3. » » 38-40 . . . . . » 65
§ 4. » » 41-42 . . . . . » 71
§ 5. » » 43-44 . . . . . » 75
§ 6. » » 45 . . . . . » 76
Tit. IV. De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione . . . . . » 76
§ 1. Commentarium notae 46 . . . . . » 76
§ 2. » » 47 . . . . . » 77
§ 3. » » 48-50 . . . . . » 77
§ 4. » » 51 . . . . . » 79

Tit. V. De concurrentia Festorum . . . . . *Pag.* 80
§ 1 et 2. Commentarium notae 52 . . . . » 80
§ 3. » » 53 . . . . » 82
Tit. VI. De Commemorationibus . . . . . » 83
§ 1 et 2. Commentarium notae 54 . . . . » 84
§ 3. » » 55 . . . . » 88
Commemorationes faciendae in duplicibus I et II classis . . . . . » 89
Ordo praefarentiae officiorum in Occurentia . » 90
Idem in Concurrentia . . . . . » 92
Tit. VII. De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo, de III oratione in Missa . . . . . » 93
§ 1. Commentarium notae 56 . . . . » 93
§ 2. » » 57 . . . . » 94
§ 3 et 4. » » 58 . . . . » 95
Tit. VIII. De Officiis votivis deque aliis Officiis addititiis . . . . . » 96
§ 1. Commentarium notae 59 . . . . » 96
§ 2 et 3. » » 60 . . . . » 97
Tit. IX. De Festis Dedicationis ae Tituli Ecclesiae et de Patronis . . . . . » 99
§ 1. Commentarium notae 61 . . . . . » 99
§ 2. » » 62 . . . . . » 100
§ 3. » » 63 . . . . . » 102
§ 4. » » 64 . . . . . » 103
Tit. X. De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis . . . . . » 104
§ 1. Commentarium notae 65 . . . . . » 104
§ 2. » » 66-68 . . . . . » 105
§ 3. » » 69-70 . . . . . » 107
§ 4. » » 71 . . . . . » 108
§ 5. » » 72 . . . . . » 109
Tit. XI De Collectis in Missa . . . . . » 111
Commentarium nota 73 . . . . . » 111
Tit. XII. De Missis Conventualibus . . . . . » 112
Commentarium nota 74 . . . . . » 112
Tit. XIII. De Commemorationem Omniun Fidelium defunctorum . . . . . » 113
Commentarium nota 75 . . . . . » 114

Praescriptiones temporaneae . . . . . *Pag.* 114
§ I. Commentarium notae 76 . . . . » 114
§ II. » » 77 . . . . » 115
§ III. » » 78-83 . . . . » 116
Adnotanda nonnulla in Psalterium . . . . . » 120
Ordinarium divini officii . . . . . » 120
Hymnus Ambrosianus . . . . . » 120
Preces feriales . . . . . » 121
Cujus Episcopi nomen sit exprimendum in precibus . . . . . » 122
Unicum Suffragium . . . . . » 124
Preces Dominicales . . . . . » 126
De *Confiteor* in choro monialium . . . . . » 130
De Psalmorum distributione et partitione . . » 132
Tabella distributionis Psalmorum per hebdomadam . . . . . » 134
Prospectus comparativus officiorum . . . . » 135
De unico officio in die Commemorationis omnium Defunctorum . . . . . » 136
De Completorio Defunctorum . . . . . » 137
De structura Officii pro Defunctis . . . . . » 138
Conclusio . . . . . » 139

11063/464 Rel